Hans H. Ørberg


LINGVA LATINA
PER SE ILLVSTRATA

PARS II

ROMA AETERNA

SECOND EDITION




Theatrum Pompeii:
ex tabula marmorea
FORMA VRBIS ROMAE
fragmentum
Mausoleum Augusti
Via Flaminia
Ager Vaticanus
Mausoleum
Hadriani
Tiberis
Pons
Aelius
Ara Pacis
T. Divi
Hadriani
Stadium
Domitiani
Thermae
Neronis
Pantheum
Thermae
Agrippae
Via Lata
Campus Martius
Quirinalis
Viminalis
Theatrum
Pompeii
Porticus
Pompeii
Tiberis
Circus Flaminius
Forum
Traiani
Arx
T. Iunonis
Monetae
Argiletum
Porticus
Octaviae
Capitolium
Templum
Pacis
Esquiliae
Thermae Traiani
Pons
Aurelius
Templum
Iovis
Forum
Romanum
Theatrum Marcelli
Saxum
Tarpeium
Sacra Via
Velia
Thermae
Titi
Vicus Iugarius
Pons
Fabricius
Arcus Titi
Templum
Veneris
et Romae
Vicus Tuscus
Domus
Tiberiana
T. Iovis
Statoris
Amphitheatrum
Flavium
Via Aurelia
Pons Aemilius
Forum
Boarium
Palatium
Templum
Apollinis
Pons Sublicius
Domus
Augustana
Ara Maxima
T. Divi
Claudi
Aqua Claudia
Circus Maximus
Caelius
Vallis Murcia
Aqua Appia
Porta Capena
Tiberis
Aventinus
Via Appia

VRBS ROMA

LINGVA LATINA PER SE ILLVSTRATA II
ROMA AETERNA

HANS H. ØRBERG

LINGVA LATINA

PER SE ILLVSTRATA

PARS II

ROMA AETERNA

SECOND EDITION

DOMVS LATINA
ANNO MMIII

LINGVA LATINA
PER SE ILLVSTRATA

Pars I
Familia Romana
Companion to *Familia Romana*
Exercitia Latina I
Grammatica Latina
Latine Disco: Student's Manual (in English)
Latin-English Vocabulary I
Lingua Latina: A Companion to Familia Romana
Colloquia Personarum
Fabulae Syrae

Pars II
Roma Aeterna
Companion to *Roma Aeterna*
Exercitia Latina II
Indices
Instructions
Latin-English Vocabulary II

Ancillaries
Plautus Amphitryo Comoedia
Sallustius & Cicero: Catilina
Sermones Romani
Vergilii Maronis: Aeneis: Libros I et
Petronius: Cena Trimalchionis
Ars Amatoria: Ovidii Nasonis
Caesaris: Commentarii De Bello Gallico I (partial), IV, V
Epitome Historiae Sacrae

For further information on the complete series and new titles, visit www.hackettpublishing.com.

Lingua Latina Pars II Roma Aeterna
© 1990 Hans Ørberg

Distributed by Hackett Publishing Co. by agreement with Domus Latina.

Focus an imprint of
Hackett Publishing Company, Inc.
P.O. Box 44937
Indianapolis, Indiana 46244-0937

www.hackettpublishing.com

Illustrations by Peer Lauritzen
Illustration colorization by Steve Morrison

Cataologing-in-Publication data is on file with the Library of Congress.

Hardcover ISBN: 978-1-58510-864-0
Paperback ISBN: 978-1-58510-863-3

All rights reserved


Printed in the United States of America.


24 23 22 21 20 2 3 4 5

The paper used in this publication meets the minimum requirements of American National Standard for Information Sciences—Permanence of Paper for Printed Library Materials, ANSI Z39.48–1984.

INDEX CAPITVLORVM

		pāgina
Cap. XXXVI.	ROMA AETERNA	7
XXXVII.	TROIA CAPTA (Vergilius)	29
XXXVIII.	PIVS AENEAS (Vergilius)	44
XXXIX.	KARTHAGO (Vergilius)	55
XL.	INFELIX DIDO (Vergilius)	70
XLI.	ORIGINES. Līvius	85
	GEMELLI EXPOSITI. Ovidius	93
XLII.	BELLVM ET PAX. Līvius	98
	RAPINA SABINARVM. Ovidius	111
	MVLIERES PACEM FACIVNT. Ovidius	112
XLIII.	ROMA ET ALBA. Līvius	116
	CAVSA HORATII. Cicerō	129
XLIV.	REGES ET REGINAE. Līvius	133
	FILIA IMPIA. Ovidius	152
XLV.	ROMA LIBERATA. Līvius	156
	HOSTIS PRO HOSPITE. Ovidius	170
XLVI.	POST REGES EXACTOS. Eutropius	176
XLVII.	GRAECI ET ROMANI. A. Gellius	199
	LIBRI SIBYLLINI. A. Gellius	205
	DE IVRE IVRANDO. A. Gellius	206
XLVIII.	BELLVM PVNICVM SECVNDVM. Līvius	209
XLIX.	HANNIBAL. Cornēlius Nepōs	248
	SCIPIO ET HANNIBAL. Līviī Periocha	258
L.	GRAECIA LIBERATA. Līvius	263
LI.	SCIPIO AEMILIANVS. Līviī Periochae	292
	CIVITAS DILACERATA. Sallustius	303
LII.	IVGVRTHA. Sallustius	309
LIII.	MARIVS ET SVLLA. Eutropius	339
	M. TVLLIVS CICERO. Cicerō	350
LIV.	CN. POMPEIVS MAGNVS. Cicerō	359
	FINIS MITHRIDATIS. Līviī Periochae	379
	FINIS POMPEII. Eutropius	381
LV.	DE RE PVBLICA. Cicerō	387
LVI.	SOMNIVM SCIPIONIS. Cicerō	407
	INTEGER VITAE. Horātius	420


Ager Vaticanus
Tiberis
Quirinalis
Viminalis
Campus Martius
Capitolium
Esquiliae
Forum Romanum
Palatium
Roma quadrata
Caelius
Ianiculum
Vallis Murcia
Aventinus
Porta Capena
Tiberis
Moenia antiqua
ROMA ANTIQVA


Carcer
Tabularium
Aedes Concordiae
Curia
Comitium
Aedes Divi
Argiletum
Ianus
Rostra
Basilica Aemilia
Porticus Deorum
Aedes Saturni
Lacus Curtius
Clivus Capitolinus
Sacra Via
T. Divae Faustinae
Vicus Iugarius
Basilica Iulia
T Divi Iulii
Arcus Augusti
Regia
Aedes Castoris
Aedes Vestae
Sacra Via
Vicus Tuscus
T. Divi Augusti
Atrium Vestae
Nova Via
FORVM ROMANVM



Terrārum dea gentiumque Rōma,
cui pār est nihil et nihil secundum
[*Mārtiālis XII.8*]



fōrma templī

ROMA AETERNA

Palātium et Capitōlium

Urbs Rōma in rīpā Tiberis flūminis sita est vīgintī mīlia passuum ā marī. Hōc locō flūmen facile trānsītur, et collēs propinquī bene mūnīrī possunt. Moenia Rōmāna antīqua septem collēs sīve montēs complectuntur, quōrum haec sunt nōmina: Palātium, Capitōlium, Aventīnus, Caelius, Ēsquiliae, Vīminālis, Quirīnālis. Ā colle Quirīnālī et ā monte Capitōlīnō ūsque ad Tiberim flūmen campus Mārtius patet.

Palātium prīmum mūnītum est, sed ea moenia quadrāta quibus Rōmulus, prīmus rēx Rōmānōrum, Palātium mūnīvisse dīcitur iam prīdem periērunt, neque ūlla casa restat ex illā urbe antīquissimā, quae ā fōrmā moenium 'Rōma quadrāta' appellābātur, praeter 'casam Rōmulī' strāmentō tēctam. Posteā Rōmānī nōbilissimī in Palātiō habitāvērunt, ibique post Iūliī Caesaris aetātem Augustus, Tiberius, Caligula aliīque prīncipēs Rōmānī domōs magnificās sibi aedificāvērunt. Omnium

complectī : cingere

Capitōlīnus -a -um < Capitōlium


fōrma quadrāta

[annō 753 a. C.: ante Chrīstum (nātum)]

casa -ae *f* = parva domus pauper
re-stāre = reliquus esse, superesse
tegere tēxisse tēctum = operīre


strāmentum -ī *n*
casa

magnificus, *comp* -ficentior, *sup* -ficentissimus
Palātīnus -a -um < Palātium

arx arcis



fīrmus -a -um = quī frangī nōn potest, validus

summum Iāniculum = summa Iāniculī pars
trāns (↔ cis) = ultrā
arduus, *comp* magis a., *sup* māximē a.

praecipitāre = prōicere (capite prīmō)
sacer -cra -crum: (locus) s. = ubi diī adōrantur
clārus = nōbilis

L. = Lūcius (praenōmen)

sacrāre = sacrum facere et deō trādere
ex-pellere -pulisse -pulsum
cōnsul -is *m*

[annō 509 a. C.]

augustus -a -um = deō dignus, magnificus

dea: *pl dat/abl* -ābus
cōn-secrāre = sacrāre
tertium *adv*
incendium -ī *n* = ignis quō domus cōnsūmitur
re-ficere -fēcisse -fectum < -facere
[annō 82 p. C.: post Chrīstum (nātum)]

splendēre = clārē lūcēre

vērō magnificentissima est domus illa ā Domitiānō prīncipe in colle Palātīnō aedificāta, quae vocātur 'domus Augustāna'.

Ea Capitōliī pars quae spectat ad septentriōnēs, ardua atque mūrīs fīrmīs mūnīta, Arx dīcitur. Nec vērō 'arx' nōmen huius montis proprium est, nam aliī quoque montēs arduī nātūrā et opere mūnītī 'arcēs' dīcuntur, ut summum Iāniculum, quod trāns Tiberim situm est. Locus in Capitōliō māximē arduus appellātur saxum Tarpēium, dē quō ōlim hominēs scelestī suppliciī causā praecipitābantur.


In monte Capitōlīnō, quī prae cēterīs sacer habētur, multa sunt aedificia sacra, quōrum clārissimum est templum Iovis Optimī Māximī. Hoc templum prīmum aedificāvit L. Tarquinius Superbus, septimus et ultimus rēx Rōmānōrum. Ille vērō, cum nōndum sacrāvisset novum templum, Rōmā expulsus est ā L. Iūniō Brūtō, atque prō rēge duo cōnsulēs populō Rōmānō praepositī sunt. Nōn rēx igitur, sed cōnsul Rōmānus hoc templum augustum Iovī Optimō Māximō, summō deō populī Rōmānī, et Iūnōnī et Minervae, duābus māximīs deābus, cōnsecrāvit. Deinde idem templum iterum et tertium sacrātum est, cum post incendia refectum esset. Postrēmō Domitiānus templum Iovis Capitōlīnī incendiō cōnsūmptum refēcit atque tantīs dīvitiīs exōrnāvit ut nihil magnificentius fierī posset: aurō et gemmīs splendet tēctum, quod plūrimīs columnīs ē

marmore pulcherrimō factīs sustinētur; intus in cellā, post forēs aurō opertās, ingēns simulācrum Iovis in altā sēde sedentis positum est. Ad hoc templum imperātor victor post triumphum ascendit, ut Iovī Optimō Māximō sacrificium faciat, dum ducēs hostium, quī in triumphō ante currum imperātōris ductī sunt, ad supplicium trāduntur.

cella -ae *f* = locus in templō clausus
operīre -uisse -rtum
simulācrum -ī *n* = imāgō, signum
sēdēs -is *f* = locus ubi aliquis sedet

sacrificium -ī *n*: s. facere = bovem/ovem/porcum occīdere et deō offerre

marmor -oris *n*





triumphus -ī *m*


In summā Arce templum Iūnōnis Monētae situm est, in quō nummī ē metallīs pretiōsīs, aurō, argentō, aere, efficiuntur atque imāginibus imprimuntur. In īnfimō Capitōliō est Tabulārium, id est amplum aedificium in quō tabulae et litterae pūblicae servantur.

Monēta -ae *f*: cognōmen Iūnōnis
metallum -ī *n*
aes aeris *n* = metallum ferrō pretiōsius ex quō assēs efficiuntur
amplus -a -um = magnus, lātus et altus
servāre = salvum cūstōdīre

Forum Rōmānum

Īnfrā Capitōlīnum Palātīnumque collem est forum Rōmānum. In eā valle ōlim magna palūs erat, quae tum dēmum siccāta est cum aqua palūdis in flūmen dēdūcerētur per cloācam subterrāneam quae appellātur ‘cloāca

palūs -ūdis *f* = locus ūmidus
siccāre = siccum facere
dē-dūcere
cloāca -ae *f* = fossa tēcta
sub-terrāneus -a -um = sub terrā situs


Quirinalis
T. Divi Traiani
thecae
Columna Traiani
Biblio
Basilica Ulpia
Forum Traiani
Equus Traiani
T. Martis Ultoris
Forum Augusti
Arx
T. Veneris Genetricis
T. Iunonis Monetae
Forum Iulium
T. Minervae
Forum Nervae
Templum Pacis
Capitolium
Carcer
Tabularium
Aedes Concordiae
Curia
Argiletum
Comitium
T. Divi Vesp.
Ianus
Basilica Aemilia
Rostra
Forum Romanum
Porticus Deorum
Lacus Curtius
Aedes Saturni
Clivus Capitolinus
Sacra Via
T. Divae Faustinae
Bibliotheca Pacis
Vicus Iugarius
Basilica Iulia
T. Divi Iulii
Regia
Arcus Augusti
Aedes Vestae
Sacra Via
Aedes Castoris
T. Divi Augusti
Cloaca Maxima
Vicus Tuscus
Atrium Vestae
Palatium
Nova Via

Māxima'. Postrēmus siccātus est locus in mediō forō quī 'lacus Curtius' dīcitur ā nōmine equitis cuiusdam quī sē armātum cum equō suō in vorāginem ibi factam praecipitāvisse nārrātur.



cloāca Māxima


Magnus numerus hominum cotīdiē convenit in forum Rōmānum, locum urbis celeberrimum, quī multīs aedificiīs pūblicīs et sacrīs cingitur. Aedificia pūblica

celeber -bris -bre: (locus) c. = quō multī conveniunt



basilica -ae *f*

amplissima sunt duae basilicae, Aemilia et Iūlia. Basilica est aedificium pūblicum in quō et alia multa negōtia aguntur et iūs inter cīvēs dīcitur. Antequam illae basilicae exstrūctae sunt, tabernae in forō erant: tabernae veterēs eō locō ubi basilica Iūlia sita est, tabernae novae in locō basilicae Aemiliae. Nunc autem mercēs in vīcīs et in aliīs forīs vēneunt.



Cūria -ae *f*

ex-struere -ūxisse -ūctum = aedificāre

vīcus -ī *m* = pars urbis, viae domūsque

vēn-īre -eunt -iisse = vēndī (*pass*)

Iūxtā basilicam Aemiliam, in eā forī parte quae dīcitur Comitium, locāta est Cūria, id est aedificium quō senātus Rōmānus convenīre solet. Senātus cōnstat ex

locāre (< locus) = pōnere; locātus = situs

senātus -ūs *m*

senātor -ōris *m*

rēs pūblica = rēs omnium cīvium commūnis



ōrātor -ōris *m*

rōstrum -ī *n*





prōra

rōstrum nāvis


Rōstra -ōrum *n*

prōra -ae *f* = pars nāvis prior (↔ puppis)
illūstris -e = clārus, nōbilis
ōrātiōnem habēre = verba facere
M. = Mārcus

Cicerō -ōnis *m*

dē-struere -ūxisse -ūctum ↔ exstruere

sescentīs senātōribus, cīvibus nōbilissimīs, quī ante Caesaris aetātem summam potestātem in rē pūblicā Rōmānā tenēbant. Tunc vērō in antīquam cūriam Hostīliam, quae paulum ad septentriōnēs extrā Comitium sita erat, senātōrēs convocābantur. Via celebris quae inter Cūriam et basilicam Aemiliam in forum exit Argīlētum nōminātur.



Ante Comitium est locus superior ex quō ōrātōrēs verba faciunt ad populum. 'Rōstra' nōmen est huius locī, quia rōstrīs nāvium captārum ōrnātur ('rōstrum' enim vocantur eae hastae ferreae quae ē prōrā nāvis longae ēminent velut rōstrum avis). Multī ōrātōrēs illūstrēs in Rōstra ascendērunt, ut ōrātiōnēs ad populum habērent, neque vērō haec Rōstra sunt unde M. Tullius Cicerō, ōrātor omnium quī Rōmae fuērunt illūstrissimus, ōrātiōnēs habuit, nam Rōstra antīqua, quae in ipsō Comitiō posita erant, simul cum cūriā antīquā ā Iūliō Caesare dēstrūcta sunt cum nova cūria aedificārētur.

Ex aedibus sacrīs forī Rōmānī minima quidem, sed veterrima est aedēs Iānī, quae ad īnfimum Argīlētum sita est. Illa aedēs duās iānuās vel portās habet, quae tum dēmum clauduntur cum per tōtum imperium populī Rōmānī terrā marīque pāx facta est — id quod per septingentōs annōs inter Rōmulum et Augustum bis tantum ēvēnit. Augustus vērō, cum ad Actium, prōmunturium Ēpīrī, classem M. Antōniī vīcisset, Iānum tertium claudī iussit.

In contrāriā forī parte est aedēs Vestae antīquissima, quae fōrmam habet rotundam, nōn quadrātam. Vesta est dea focī rērumque domesticārum, in cuius aede ignis aeternus ārdet neque ūllum deae simulācrum inest. Sex virginēs Vestālēs ex fīliābus Rōmānōrum illūstrium ēlēctae dīligenter cūrant nē ignis Vestae umquam exstinguātur, namque ignis ille semper ārdēns Rōmam urbem aeternam esse significat. Iūxtā aedem Vestae est ātrium Vestae, id est domus Vestālium, et Rēgia, domus pontificis māximī, in quā ōlim rēgēs Rōmānī habitāvisse dīcuntur. (Pontifex māximus est summus sacerdōs, quī cēterīs omnibus sacerdōtibus Rōmānīs praefectus est; sacerdōtum negōtium est sacrificia facere atque rēs dīvīnās cūrāre.)

Ante Rēgiam est templum C. Iūliō Caesarī cōnsecrātum, quod templum Dīvī Iūliī appellātur. Caesar enim, ut plērīque prīncipēs Rōmānī, post mortem in deōrum numerō habētur et 'dīvus' vocātur. Templum Dīvī Iūliī

aedēs -is *f* = templum
vetus, *comp* veterior, *sup* veterrimus



terrā marīque *(loc = abl)* = *in* terrā marīque

ē-venīre = accidere
prōmunturium -ī *n* = mōns in mare ēminēns
Ēpīrus -ī *f*
Iānus = aedēs Iānī


fōrma rotunda

focus -ī *m* = ignis domesticus
domesticus -a -um < domus
aeternus -a -um = perpetuus
Vestālis -e < Vesta
fīlia: *pl dat/abl* -ābus
ex-stinguere -īnxisse -īnctum ↔ accendere

Vestālis -is *f* = virgō Vestālis
rēgia -ae *f* = domus rēgis
pontifex -icis *m*

prae-ficere -fēcisse -fectum = praepōnere

dīvīnus -a -um (< deus) = sacer
C. = Gāius (praenōmen)

dīvus -a -um = dīvīnus

ab Augustō aedificātum est eō ipsō locō ubi corpus Caesaris ā cīvibus lūgentibus cremātum erat postquam M. Antōnius cōnsul ōrātiōne clārissimā amīcum suum mortuum laudāvit.

Ab utrāque parte basilicae Iūliae magna aedēs sita est, ā dextrā sub clīvō Capitōlīnō aedēs Sāturnī, ā sinistrā aedēs Castoris et Pollūcis.

Aedēs Sāturnī est aerārium populī Rōmānī, id est locus ubi pecūnia pūblica dēpōnitur ac servātur. Hoc templum antīquissimum SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS INCENDIO CONSVMPTVM RESTITVIT, ut in fronte īnscrīptum est.

Aedēs Castoris cōnsecrāta est diīs Castorī et Pollūcī, Iovis fīliīs geminīs, quī saepius Rōmānīs in proeliīs auxiliō vēnērunt. Inter hanc aedem et templum Dīvī Iūliī senātus populusque Rōmānus post proelium ad Actium factum Augustō victōrī arcum marmoreum aedificāvit. Templum Dīvī Augustī situm est post basilicam Iūliam.

Īnfrā Capitōlium iūxtā Tabulārium sunt aedēs Concordiae et Dīvī Vespasiānī.

Aedēs Concordiae antīqua eō tempore aedificāta esse dīcitur cum post longam discordiam quae populum Rōmānum dīvīserat in duās factiōnēs inter sē inimīcissimās, patriciōs et plēbēiōs, tandem concordia omnium cīvium restitūta est. Deinde, temporibus Augustī, senātus populusque Rōmānus aedem Concordiae vetustāte

cremāre = ūrere

[annō 44 a. C.]



clīvus -ī *m* = latus montis

Castor -oris *m*
Pollūx -ūcis *m*
aerārium -ī *n* < aes (: pecūnia)
dē-pōnere = pōnere in tūtō locō

re-stituere -uisse -ūtum = reficere
frōns = pars prīma

aedēs Castoris *et Pollūcis*

(fīliī) geminī = duo eōdem diē nātī
auxiliō (*dat*) = ad auxilium

marmoreus -a -um = ē marmore factus

Vespasiānus: prīnceps Rōmānus (mortuus annō 79 p. C.)

[annō 367 a. C.]

factiō -ōnis *f* = pars cīvium quae idem dē rē pūblicā sentit
patriciī -ōrum *m*
plēbēiī -ōrum *m*
concordia -ae *f* ↔ discordia

vetustās -ātis *f* < vetus

collāpsam in meliōrem faciem restituit. Prope aedem Concordiae est Carcer, cuius pars subterrānea, tenebrīs et odōre foeda atque terribilis, Tulliānum appellātur; multī hostēs Rōmānōrum in Tulliānō suppliciō affectī sunt.

col-lābī -lāpsum = ad terram lābī
faciēs = fōrma
odor -ōris *m* = quod per nāsum sentītur

Aedēs Dīvī Vespasiānī ā fīliīs Titō et Domitiānō aedificāta, ā Domitiānō patrī mortuō dēdicāta est. Iūxtā aedem Dīvī Vespasiānī est porticus duodecim diīs et deābus cōnsecrāta, quōrum simulācra aurāta in porticū stant. Nōmina duodecim deōrum hīs Enniī versibus hexametrīs continentur:

Iūnō, Vesta, Minerva, Cerēs, Diāna, Venus, Mārs,
Mercurius, Iovi', Neptūnus, Vulcānus, Apollō.

dēdicāre = sacrāre
porticus -ūs *f* = ordō columnārum tēctus
aurātus -a -um = aurō opertus
Cerēs -eris *f*
Diāna/Dīāna -ae *f*
Iovi': Iovis (*nōm*) = Iuppiter

Multae viae ex omnibus urbis partibus in forum ferunt, ut Argīlētum, Sacra via, Nova via, vīcus Tūscus, vīcus Iugārius, atque clīvus Capitōlīnus, quō imperātōrēs triumphantēs in Capitōlium ascendunt. ('Clīvus' dīcitur via quae in clīvō montis facta est.)

vīcus = via quae per vīcum fert
triumphāre = triumphum agere

 āra -ae *f*



In summā Sacrā viā īnfrā clīvum Palātīnum est arcus Titī, dē quō mox dīcendum erit, et templum Iovis Statōris. In hoc templum senātus eō diē convēnit quō Cicerō cōnsul ōrātiōne clārissimā habitā Catilīnam, hostem patriae, ē senātū atque ex urbe expulit.

Stator -ōris *m*: cognōmen Iovis
[annō 63 a. C.]

Vīcus Tūscus forum Rōmānum cum forō Boāriō iungit, id est forum celebre prope Tiberim flūmen ubi bovēs aliaeque pecudēs vēneunt. In ārā Māximā, quae in forō Boāriō locāta est, sacrificia Herculī, deō Graecō,

boārius -a -um < bōs
pecus -udis *f* = bēstia quā ūtitur agricola

fīunt. Herculēs enim antīquīs temporibus bovēs fōrmōsōs in hunc locum ēgit

> cōn-stituere -uisse -ūtum = locāre (rem novam), prīmum facere

cōnstituitque sibī quae 'Māxima' dīcitur āram
hīc ubi pars urbis dē bove nōmen habet,

> [*Fāstī I.581–582*]

ut versibus nārrat Ovidius.

Urbs marmorea

> inter-icere -iēcisse -iectum < -iacere; inter-iectus esse = interesse
> re-novāre = novum (dēnuō) facere
> capere = continēre (in sē habēre) posse
> [annō 220 a. C.]
> (viam) mūnīre = aedificāre, facere
> Cn. = Gnaeus (praenōmen)
> [annō 55 a. C.]
> theātrum aedificandum cūrāre = cūrāre ut theātrum aedificētur
> statua -ae *f* = signum hominis
> [annō 44 a. C.]
> īdūs Mārtiae = diēs XV mēnsis Mārtiī
> superāre = vincere
> Pharsālus -ī *f*
> in-cendere -cendisse -cēnsum = accendere

Extrā forum Rōmānum sunt alia multa aedificia pūblica. Iam veterēs rēgēs Rōmānī in valle Murciā, quae inter Palātium et Aventīnum interiecta est, circum Māximum cōnstituērunt, quī ā Caesare renovātus plūs quam trecentōs passūs longus est et octōgintā mīlia spectātōrum capit. Alter circus posteā in campō Mārtiō aedificātus est et circus Flāminius appellātus ā nōmine C. Flāminiī, quī eōdem tempore viam Flāminiam mūnīvit; tertius circus trāns Tiberim in agrō Vāticānō cōnstitūtus ā prīncipe C. Caligulā. Nōn procul ā circō Flāminiō Cn. Pompēius cōnsul amplissimum theātrum marmoreum aedificandum cūrāvit cum porticū et novā cūriā. In cūriā Pompēiā statua Pompēiī locāta erat, ad cuius pedēs C.Iūlius Caesar ā M. Brūtō, C. Cassiō aliīsque senātōribus necātus est. Id factum est īdibus Mārtiīs quārtō annō postquam Caesar exercitum Pompēiī superāvit in Thessaliā ad oppidum Pharsālum. Post necem Caesaris cūria Pompēia ā populō īrātō incēnsa est.

Caesar autem, priusquam ita necātus est, nōn sōlum vetera opera refēcerat, sed etiam nova cōnstituerat. In

eā urbis parte quae est post Comitium, multīs domibus prīvātīs dēstrūctīs, novum forum fēcerat in quō templum Veneris Genetrīcis situm est. Venus enim ā Iūliō Caesare 'genetrīx' nōminābātur, quia gēns Iūlia ā Venere orta esse dīcitur.

Caesare interfectō C. Octāviānus adulēscēns necem eius ulcīscī cōnstituit, neque vērō id sine auxiliō deōrum, praecipuē Mārtis, fierī posse arbitrābātur. Ergō Mārtī deō templum vōvit priusquam proelium commīsit cum Brūtō et Cassiō. Quibus victīs Octāviānus iūxtā forum Iūlium novum forum cum templō Mārtis incohāvit. Magnum quidem opus fuit, neque brevī tempore perfectum est, nam quadrāgintā dēnique annīs post Caesar Octāviānus Augustus, quō cognōmine tum appellābātur, magnificum illud monumentum victōriae suae Mārtī dēdicāvit. Templum Mārtis Ultōris nōminātum est, quod ille deus mortem Caesaris ultus esse putābātur.


Nēmō prīnceps Rōmānus tot aedificiīs magnificīs Rōmam auxit ōrnāvitque quot Augustus. Nōn sōlum aedēs sacrās vetustāte collāpsās aut incendiīs absūmptās refēcit, sed plūrimās domōs ē lateribus factās dēstrūxit atque tot et tanta nova opera marmorea aedificāvit ut iūre glōriātus sit 'marmoream sē relinquere urbem quam latericiam accēpisset.' Iūxtā domum suam Palātīnam templum Apollinis fēcit cum porticibus et bibliothēcā Latīnā Graecāque. In campō Mārtiō plūrima opera ex-

genetrīx -īcis *f* = māter
gēns (Iūlia) = cūnctī quibus nōmen commūne est (Iūlius/Iūlia)
orīrī ortum = initium facere


ulcīscī necem Caesaris = pūnīre eōs quī Caesarem necāvērunt
vovēre vōvisse vōtum = (deō) prōmittere
(proelium) com-mittere = incipere
[annō 42 a. C.]
incohāre = aedificāre incipere

monumentum -ī *n* < monēre; m. reī = quod monet dē rē
ultor -ōris *m* = quī ulcīscitur
ulcīscī ultum

augēre -xisse -ctum
ab-sūmere = cōnsūmere, perdere

later -eris *m*


glōriārī = glōriōsē dīcere
latericius -a -um = ē lateribus factus
"marmoream relinquō urbem quam latericiam accēpī"
bibliothēca -ae *f* = locus ubi librī servantur



mausōlēum Augustī

strūxit, ē quibus memoranda sunt haec: porticus ad circum Flāminium, quam ā nōmine sorōris suae porticum Octāviae nōmināvit; theātrum Mārcellī, appellātum ā sorōris fīliō M. Claudiō Mārcellō; āra Pācis, in quā sacerdōtēs virginēsque Vestālēs anniversārium sacrificium facere iussit; mausōlēum Augustī, id est monumentum in quō ossa prīncipis cremāta servantur. Eōdem tempore Panthēum, altum templum rotundum, in campō Mārtiō exstrūctum est ā M. Agrippā, duce illūstrī quī classī Augustī praefectus erat, itemque magnae balneae quae ab eōdem thermae Agrippae vocantur.

Hae prīmae thermae Rōmae fuērunt, sed posteā aliae thermae etiam magnificentiōrēs aedificātae sunt ab imperātōre Nerōne in campō Mārtiō, ā Titō et Trāiānō in Ēsquiliīs. Rōmānī cotīdiē in thermās illās celebrēs lavātum eunt atque ibīdem corpora exercent natandō, currendō, luctandō. Aqua, cuius magna cōpia ā lavantibus cōnsūmitur, ē montibus in thermās dēdūcitur per longōs aquae ductūs, quōrum veterrimus, aqua Appia, in urbem inducta est ab Appiō Claudiō Caecō, quī etiam viam Appiam ā portā Capēnā ūsque ad urbem Capuam mūniendam cūrāvit. Ductus eius habet longitūdinem passuum ūndecim mīlium centum nōnāgintā (ex eō rīvus est subterrāneus passuum ūndecim mīlium centum trīgintā, suprā terram opus arcuātum passuum sexāgintā). Sed ductus clārissimus, aqua Claudia, ab imperātōre Claudiō, quī ante Nerōnem Rōmae imperā-

anniversārius -a -um = quī quotannīs fit
mausōlēum -ī *n* = monumentum magnificum mortuō aedificātum
ossa = corpus mortuum
Panthēum (-on) -ī *n*

balneae -ārum *f* = balnea pūblica
thermae -ārum *f* = magnae balneae

imperātor: titulus prīncipis Rōmānī
Nerō -ōnis *m*

ibī-dem = eōdem locō
(corpus) exercēre = movendō parāre

ductus -ūs *m* < dūcere

in-dūcere
[annō 312 a. C.]

longitūdō -inis *f* < longus; habet l.em passuum M = M passūs longus est
11 190 p. [*16,5 km*]

arcuātus -a -um = quī fōrmam arcūs habet

imperāre = imperātor esse

vit, perfecta est, et habet longitūdinem passuum quādrāgintā sex mīlium quadringentōrum sex (ex eō opus arcuātum passuum sex mīlium quadringentōrum nōnāgintā et ūnīus).


Urbis incendium et domus aurea Nerōnis

Nerōne imperante terribile incendium ā circō Māximō ortum magnam urbis partem absūmpsit. Nerō, cum urbem ārdentem prōspiceret, pulchritūdine flammārum dēlectātus dīcitur iniisse domesticam scaenam et cecinisse Trōiae incendium, sed incertum est num tyrannus ille īnsānus, quī vetera aedificia vīcōsque angustōs contemnēbat, urbem ipse incenderit. Cum sextō dēmum diē ignis exstīnctus esset, ex regiōnibus quattuordecim, in quās Augustus Rōmam dīvīserat, quattuor tantum integrae manēbant, trēs funditus flammīs dēlētae erant, in septem reliquīs pauca tēctōrum vestīgia supererant.

Post incendium, cum tōta vallis quae inter Ēsquiliās et Palātium interiecta est domibus vacua facta esset, Nerō in hāc regiōne domum amplissimam sibi exstrūxit, quae ita aurō atque gemmīs splendēbat ut iūre 'domus aurea' nōminārētur. Longissima porticus ā Sacrā viā ad illam domum splendidam ferēbat. In vestibulō stābat ingēns statua tyrannī ex aere facta, quae Colossus appellābātur. In hortīs Nerōnis, quī ūsque ad montem Caelium patēbant, stāgnum arte factum erat

46 406 p. [*68,6 km*]

6491 p. [*9,6 km*]


aquae ductus arcuātus

[annō 64 p. C.]
orīrī ortum esse (: prīmum fierī, incipere)
in-īre = intrāre
scaena = locus in theātrō ubi fābula agitur

īn-sānus -a -um = cui mēns sāna nōn est


flamma -ae *f*

dēlēre -ēvisse -ētum = absūmere, perdere
tēctum : domus
vestīgium : quod reliquum est


splendidus -a -um = splendēns
vestibulum -ī *n* = locus clausus ante iānuam
Colossus -ī *m*: statua Sōlis Rhodī locāta
stāgnum -ī *n* = lacus aquae stantis (: nōn fluentis)

probāre = probum esse putāre

"quasi homō tandem habitāre coepī!"

T. = Titus (praenōmen)

aedificiīs circumdatum atque campīs silvīsque cum multitūdine omnis generis pecudum ac ferārum. Nerō ipse domum suam perfectam ita probāvit ut 'sē' dīceret 'quasi hominem tandem habitāre coepisse!' Hōrum omnium operum nihil paene restat, nam post mortem Nerōnis imperātor T. Flāvius Vespasiānus in locō stāgnī



amphitheātrum Flāvium

clārissimum amphitheātrum exstrūxit, quod ā nōmine prīncipis amphitheātrum Flāvium appellātur; atque Titus et Trāiānus in ipsō locō domūs aureae thermās suās collocāvērunt.

col-locāre = locāre

Flāviī: T. Flāvius Vespasiānus eiusque fīliī

īdem Vespasiānus = Vespasiānus quoque



candēlābrum -ī *n*


Hierosolyma -ōrum *n*

Imperātōrēs Flāviī

Īdem Vespasiānus duo templa aedificāvit: templum Dīvī Claudiī in Caeliō monte (coeptum quidem ab Agrippīnā, Claudiī uxōre, sed ā Nerōne prope funditus dēstrūctum), et templum Pācis forō proximum. Hoc templum incohātum est cum Titus, fīlius Vespasiānī māior, Iūdaeōs vīcisset atque Hierosolyma, urbem illōrum nōbilissimam, dēlēvisset. In templō Pācis servan-

tur rēs sacrae quās Titus Iūdaeīs victīs adēmit, in iīs candēlābrum aureum et mēnsa aurāta quae in templō Hierosolymōrum stābat tubaeque argenteae quibus Iūdaeī convocābantur.

ad-imere -ēmisse -ēmptum ↔ dare



tuba -ae *f*



arcus Titī

Postquam imperātor Titus morbō mortuus est, senātus populusque Rōmānus arcum pulcherrimum Dīvō Titō dēdicāvit, quī in summā Sacrā viā positus est. In parte interiōre triumphus Titī dē Iūdaeīs imāginibus illūstrātur: ab alterā parte imperātor laurō ōrnātus currū triumphālī vectus vidētur, ab alterā mīlitēs candēlābrum et tubās Iūdaeōrum ferentēs.

morbus -ī *m* = mala valētūdō
[annō 81 p. C.]

interior -ius *comp* (< intrā) = internus
illūstrāre = illūstrem facere
triumphālis -e < triumphus

Domitiānus, frāter Titī minor, quī post eum imperāvit, templum Iovis Optimī Māximī in Capitōliō refēcit et domum Augustānam in Palātiō aedificāvit, ut suprā dictum est. Inter cētera Domitiānī opera memorandum est stadium in campō Mārtiō factum, ubi iuvenēs Rōmānī cursū sē exercent.

laurus -ī *f*



stadium -ī *n* = circus in quō iuvenēs currendō sē exercent

Trāiānus et Hadriānus

[annō 96 p. C.]

Domitiānō interfectō, prīmum M. Coccēius Nerva annum tantum et quattuor mēnsēs imperāvit, deinde M. Ulpius Trāiānus, optimus prīnceps, imperium accēpit. Quōrum uterque novum forum faciendum cūrāvit. Forum Nervae cum templō Minervae situm est inter forum Augustī et templum Pācis. Forum Trāiānī, omnium māximum et splendidissimum, inter Arcem et collem Quirīnālem interiectum est. In mediō forō locāta est statua equī quī ipsum prīncipem vehit. Illa basilica quam Trāiānus forō suō adiūnxit et ā nōmine suō basilicam Ulpiam appellāvit, etiam amplior est quam basilica Iūlia. Iūxtā basilicam Ulpiam, inter duās bibliothēcās ab eōdem prīncipe cōnstitūtās, stat alta columna in quā bella quae Trāiānus in Dāciā gessit plūrimīs imāginibus illūstrantur. In summā columnā statua imperātōris aerea posita est.



columna Trāiānī

aereus -a -um = ex aere factus

[annō 117 p. C.]

P. = Pūblius (praenōmen)

prae-clārus -a -um = prae aliīs clārus, clārissimus

Trāiānō mortuō, imperātor P. Aelius Hadriānus templum praeclārum post basilicam Ulpiam aedificātum Dīvō Trāiānō dēdicāvit. Māxima vērō Hadriānī opera sunt templum Veneris et Rōmae sīve Urbis Aeternae in Veliā situm, id est in colle humilī quī ā Palātiō ad Ēsquiliās versus ēminet; Panthēum novum in campō Mārtiō; ac mausōlēum trāns Tiberim situm. Pōns Aelius, quō Hadriānus mausōlēum suum cum campō Mārtiō iūnxit, māximus et fīrmissimus est omnium pontium quī in Tiberī factī sunt.





pōns pontis *m*

Antōnīnus Pius, quī post Hadriānum imperāvit, tertiō annō imperiī suī Faustīnam uxōrem perdidit, quae ā senātū cōnsecrāta est. Templum Dīvae Faustīnae dēdicātum — ac deinde, vīcēsimō annō post, Dīvō Antōnīnō — in Sacrā viā situm est iūxtā basilicam Aemiliam.

perdere = āmittere
cōnsecrāre = Dīvum /Dīvam nōmināre
vīcēsimus -a -um = xx (20.)

Orbis caput

orbis = orbis terrārum

Sed satis hōc locō dictum est dē magnitūdine et pulchritūdine urbis Rōmae. Videāmus nunc quōmodo haec urbs mīrābilis ā parvā orīgine ad tantam magnitūdinem tantamque glōriam pervēnerit ut caput orbis terrārum appellētur. Nam, ut dīcit Ovidius:

Hīc ubi nunc Rōma est, orbis caput, arbor et herbae
et paucae pecudēs et casa rāra fuit.

Nunc vērō

Iuppiter, arce suā cum tōtum spectat in orbem,
nīl nisi Rōmānum quod tueātur habet.

magnitūdō -inis *f* < magnus
orīgō -inis *f* < orīrī
[*Fāstī V.93–94 et I.85–86*]
arbor : arborēs
casa rāra: paucae casae
cum *ab* arce suā (: ab Capitōliō)
tuērī = intuērī

Omnium prīmum igitur dīcendum est dē Aenēā, duce Trōiānōrum, ā quō populus Rōmānus orīginem trahit. In carmine praeclārō quod *Aenēis* īnscrībitur, P. Vergilius poēta, quī aetāte Augustī vīxit, rēs ab Aenēā gestās hexametrīs nārrāvit, quam nārrātiōnem proximīs quattuor capitulīs solūtā ōrātiōne sequimur, aliquot Vergiliī versibus servātīs.

omnium prīmum = ante omnia
Aenēās -ae *m*
orīginem trahere = ortus esse
Aenēis -idis *f*
liber īnscrībitur = librō titulus est
ōrātiō solūta ↔ versūs

OPERA VRBANA	*annō a.C.*	PRINCIPES ROMANI
Rōma quadrāta	750	Rēgēs (753–509)
Rēgia		Rōmulus rēx
Iānus	700	
Cūria Hostīlia	650	
Pōns Sublicius		
Circus Māximus	600	
Templum et Ātrium Vestae		
	550	
Cloāca Māxima		Tarquinius Superbus rēx
Templum Iovis Capitōlīnī dēdicātum (509)	500	Cōnsulēs (509–)
Aedēs Sāturnī (498), Castoris (484)		
	450	
	400	
Aedēs Concordiae (367)		
Templum Iūnōnis Monētae (344)	350	
Rōstra ōrnāta (338)		
Aqua Appia, Via Appia (312)	300	
Templum Iovis Statōris (294)		
	250	
Circus Flāminius (220)		
	200	
Basilica Aemilia, Pōns Aemilius (179)		
	150	
Porticus XII deōrum (*c* 120)		
	100	
	90	
Templum Iovis Capitōlīnī incēnsum (83)		
Tabulārium (78)	80	
Templum Iovis Capitōlīnī refectum (69)	70	
	60	
Theātrum et Cūria Pompēiī (55)		
	50	
Forum Iūlium, Templum Veneris Gen. (46)		
Cūria Iūlia (46)		C. Iūlius Caesar (48–44)
Aedēs Sāturnī restitūta (42)		
	40	
Basilica Aemilia restitūta (34)		
Templum Dīvī Iūliī (29)	30	Augustus (31 a.C.–14 p.C)
Aedēs Apollinis Palātīna (28)		
Porticus Octāviae (27), Panthēum (28)		
Mausolēum Augustī (23)		
Thermae Agrippae (19)	20	
Theātrum Mārcellī (13)		
Āra Pācis (9)	10	
Templum Mārtis Ultōris dēdicātum (2)		

OPERA VRBANA	*annō p.C.*	PRINCIPES ROMANI
Aedēs Castoris restitūta (6)		
Aedēs Concordiae restitūta (10)	10	
Basilica Iūlia perfecta (12)		
		Tiberius (14–37)
	20	
Domus Tiberiāna in Palātiō		
	30	
Templum Dīvī Augustī perfectum		Caligula (37–41)
Domus Caligulae in Palātiō	40	
Circus Vāticānus (Gāiī et Nerōnis)		Claudius (41–54)
	50	
Aqua Claudia perfecta (52)		
		Nerō (54–68)
	60	
Thermae Nerōnis (62)		
Domus Aurea, Colossus (64)		
Templum Iovis Capitōlīnī incēnsum (69)		
Templum Dīvī Claudiī (70)	70	Vespasiānus (69–79)
Templum Pācis (75)		
Amphitheātrum Flāvium (80)		
Thermae Titī, Arcus Titī (81)	80	Titus (79–81)
Aedēs Dīvī Vespasiānī (81)		Domitiānus (81–96)
Templum Iovis Capitōlīnī refectum (82)		
	90	
Domus Augustāna (92)		
Stadium Domitiānī (96)		
Forum Nervae, Templum Minervae (97)		Nerva (96–98)
	100	Trāiānus (98–117)
Thermae Trāiānī (109)		
Forum Trāiānī, Basilica Ulpia	110	
Columna Trāiānī (113)		
		Hadriānus (117–138)
Templum Dīvī Trāiānī	120	
Panthēum renovātum (126)		
	130	
Pōns Aelius (134)		
Mausolēum Hadriānī (139)		Antōnīnus Pius (138–161)
Templum Dīvae Faustīnae (141)	140	

PENSVM A

Dē cāsū genetīvō

Urbs Rōma, quae caput orb– terr– vocātur, in rīpā Tiber– flūmin– sita est XX mīlia pass– ā marī.

In Capitōliō est magnus numerus templ–, qu– clārissimum est templum Iov– Optim– Māxim–. In cellā h– templ– simulācrum de– sedent– positum est.

Vesta est dea foc– ac r– domestic–, in c– aede nūllum de– simulācrum inest. Ātrium Vest– est domus virgin– Vestāl–. Rēgia est domus pontific– māxim–, summ– sacerdōt– popul– Rōmān–.

C. Octāviānus adulēscēns XIX ann– dux exercit– fuit; postquam necem Caesar– ultus est, monumentum victōri– su– aedificāvit: templum Mārt– Ultōr–.

Colossus est statua Sōl– Rhod– locāta; eōdem nōmine vocābātur statua Nerōn– quae Rōm– in vestibulō dom– aure– stābat. In hortīs ill– tyrann– erat multitūdō omn– gener– pecud– ac fer–.

Titus, fīlius Vespasiān– prīncip–, post expugnātiōnem Hierosolym–, urb– Iūdaeōrum nōbilissim–, triumphāvit. In templō Pāc– servantur rēs sacrae Iūdae–, in iīs tubae et candēlābrum magn– preti–. Iūdaeī eās rēs magn– aestimant, etiam plūr– quam Rōmānī. Novus imperātor triumph– cupidus est.

Domitiānus, quī mult– sceler– accusābātur, prae metū mort– dormīre nōn poterat. Māximum Hadriān– opus est templum Vener– et Rōm– sīve Urb– Aetern–.

Rōmulus rēx bell– studiōsus erat, neque eum pudēbat cassu– pauper–.

PENSVM B

Cum rēx Tarquinius Rōmā — esset, duo — populō Rōmānō — [= praepositī] sunt. Cōnsul Rōmānus — [= templum] Iovis —. Domitiānus illam aedem — [=igne] absūmptam — [= refēcit]. Tēctum aurō —, columnae ē — factae sunt. In

Vocābula nova:
casa
strāmentum
arx
cōnsul
incendium
marmor
cella
simulācrum
sēdēs
triumphus
sacrificium
metallum
aes
palūs
cloāca
basilica
vīcus
cūria
senātus
senātor
ōrātor
rōstrum
prōra
aedēs
prōmunturium
focus
rēgia
pontifex
aerārium
discordia
factiō
patriciī
plēbēiī
concordia
vetustās
odor
porticus
clīvus
āra
statua
genetrīx
monumentum
ultor
later

templō Iūnōnis Monētae, quod — [= positum] est in summā —, nummī efficiuntur ex aurō et argentō et —. Arx — [= validīs] mūrīs mūnītur. In aede Vestae, quae fōrmam — habet, ignis aeternus — quī numquam —. In campō Mārtiō est — Pācis, ubi sacerdōtēs et Vestālēs anniversārium — faciunt. Augustus templum Mārtis — aedificāvit, postquam necem Caesaris — est. Hadriānus — Aelium in Tiberī fēcit.

Titus Iūdaeōs — [= vīcit] et rēs sacrās, ut — argenteās et — aureum, iīs —. In summā — viā — populusque Rōmānus Dīvō Titō arcum — [= cōnsecrāvit].

— est ōrdō columnārum tēctus. Mausōlēum dīcitur — [= magnum] — in quō ossa servantur. Aqua Appia est aquae — veterrimus, quī in urbem — est ab Appiō Claudiō. — est aedificium quō senatus convenit. — est parva domus pauper; — domus rēgis est. — sunt bēstiae quibus agricola ūtitur.

Locus — est quō multī conveniunt. Is cui mēns sāna nōn est — esse dīcitur. Aedificium quod stāre nōn potest —. Cicerō est — Rōmānus — [= clārissimus].

Synōnyma: imāgō et —; māter et —; dīvus et —; clārus et —; internus et —; superesse et —; operīre et —; prōicere et —; sacrāre et —; aedificāre et —; accidere et —; ūrere et —; accendere et —; deō prōmittere et —; glōriōsē dīcere et —; intrāre et —; eōdem locō et —.

Contrāria: puppis et —; discordia et —; plēbēiī et —; bona valētūdō et —; exstruere et —; dare et —.

PENSVM C


Num hominēs pauperēs in Palātiō habitant?
Quis templum Iovis Capitōlīnī aedificāvit?
Templumne Iovis ā rēge dēdicātum est?
Quid facit imperātor post triumphum?
Quid significat ignis Vestae?
Quid est negōtium sacerdōtum?
Quot senātōrēs in senātū Rōmānō sunt?
Quis fuit M. Tullius Cicerō?

bibliothēca
mausōlēum
balneae
thermae
ductus
longitūdō
flamma
vestibulum
stāgnum
pecus
candēlābrum
tuba
morbus
laurus
stadium
pōns
magnitūdō
orīgō
quadrātus
fīrmus
sacer
augustus
amplus
subterrāneus
celeber
illūstris
rotundus
domesticus
aeternus
dīvīnus
dīvus
marmoreus
aurātus
interiectus
latericius
anniversārius
arcuātus
īnsānus
splendidus
interior
triumphālis
aereus
praeclārus
vīcēsimus
restāre
tegere
praecipitāre
sacrāre
expellere
cōnsecrāre
reficere
splendēre
siccāre

dēdūcere
exstruere
vēnīre
locāre
ēminēre
dēstruere
ēvenīre
ārdēre
exstinguere
praeficere
cremāre
dēpōnere
restituere
collābī
dēdicāre
triumphāre
renovāre
superāre
incendere
ulcīscī
vovēre
incohāre
absūmere
glōriārī
exercēre
indūcere
inīre
probāre
collocāre
adimere
tertium
ibīdem

Ubi C. Iūlius Caesar necātus est?
Cūr Caesar Dīvus Iūlius appellātur?
Ubi templum Dīvī Iūliī aedificātum est?
Quārē Augustus Mārtem 'Ultōrem' appellābat?
Quandō Augustus Iānum clausit?
Quamobrem Nerō urbem incendisse putābātur?
Cūr domus Nerōnis 'aurea' vocābātur?
Quid aedificātum est in locō domūs aureae?
Quam gentem Titus in oriente superāvit?
Ubi mausōlēum Hadriānī situm est?





TROIA CAPTA

[*Ex Vergiliī Aenēidis librō II, solūtīs versibus*]

Aborīginēs

Italiae incolae prīmī Aborīginēs fuērunt, quōrum rēx Sāturnus tantā iūstitiā fuisse dīcitur ut nec servīret quisquam sub illō nec quidquam suum proprium habēret, sed omnia commūnia omnibus essent. Ob memoriam illīus aetātis 'aureae', quae vocātur, mōs Rōmānōrum est ut mēnse Decembrī diēbus fēstīs quī dīcuntur Sāturnālia servī in convīviīs cum dominīs discumbant.

Post hunc Pīcus, deinde Faunus in Latiō rēgnāvit. Eō tempore Euander, Mercuriī et Carmentis fīlius, profugus ex Arcadiā, regiōne Peloponnēsī mediā, in Italiam vēnit cum parvā manū Graecōrum; cui Faunus, rēx benignus, montem, quem ille posteā Palātium appellāvit, et arva colenda dedit.

Faunō mortuō, Latīnus, fīlius eius, rēgnum accēpit. Huius fīlius in prīmā iuventūte periit; sōla in rēgiā erat fīlia, nōmine Lāvīnia, iam mātūra virō. Illam multī virī

Aborīginēs -um *m*

iūstitia -ae *f* < iūstus; tantā iūstitiā esse = tam iūstus esse

fēstus -a -um: diēs f. = diēs ōtiōsus quō dī adōrantur
Sāturnālia -ium *n*
dis-cumbere = accumbere
Euander -drī *m*
Carmentis -is *f*
profugus -a -um = ex patriā fugiēns

manus = armātōrum numerus
benignus -a -um = quī alicui bene vult

arvum -ī *n* = ager quī arātur
rēgnum -ī *n* = rēgis imperium
iuventūs -ūtis *f* = aetās iuvenis

ē Latiō tōtāque Italiā petēbant, ante omnēs Turnus, rēx Rutulōrum.

uxōrem petēbant
Rutulī -ōrum *m*: gēns Latiī

Equus Trōiānus

Dum Latīnus in Italiā in pāce diūturnā rēgnat, Trōia seu Īlium, clārissima Asiae urbs, post bellum decem annōrum tandem ā Graecīs capta est. Graecī enim, cum urbem vī expugnāre nōn possent, dolō ūsī sunt: equum ingentem ē lignō fabricāvērunt eumque mīlitibus armātīs complēvērunt, quibus praefectī erant Ulixēs et Pyrrhus, Achillis fīlius. Equō ligneō in lītore relictō, cēterī Graecī celeriter in īnsulam propinquam, cui nōmen est Tenedos, profectī sunt ibique latuērunt.


Trōiānī vērō, cum Graecōs Argōs in patriam suam āvectōs esse arbitrārentur, tum dēmum post tot annōs portās aperuērunt atque exīre ausī sunt. Sine cūrā sub altīs mūrīs ambulābant atque castra Graecōrum dēserta īnspiciēbant; sed ubi prīmum equum ligneum in lītore collocātum vīdērunt, stupentēs cōnstitērunt et mōlem equī mīrābantur. Aliī eum ut dōnum Minervae, deae Trōiānīs benignae, sacrātum intrā mūrōs dūcī et in arce locārī iubēbant, aliī dōnum Graecōrum suspectum in mare praecipitandum et flammīs ūrendum esse cēnsēbant, aliī interiōrem equī partem īnspicere volēbant.

Ita dum populus incertus in contrāriās sententiās dīviditur, Lāocoōn, Neptūnī sacerdōs, ab summā arce dēcurrēns cīvēs suōs monuit nē Danaīs cōnfīderent:

Trōiānus -a -um < Trōia
diūturnus -a -um = quī diū manet
Īlium -ī *n* = Trōia
[annō 1184 a. C.]
dolus -ī *m* = cōnsilium fallendī
fabricāre = cōnficere (arte fabrōrum)
com-plēre -ēvisse -ētum
Ulixēs -is *m*
Tenedos -ī *f*
Argī -ōrum *m*: urbs Peloponnēsī
ā-vehere ↔ ad-vehere
cūra = metus nē quid malī accidat
īn-spicere = dīligenter aspicere
cōnsistere -stitisse
mōlēs -is *f* = ingēns fōrma, magnitūdō
suspectus -a -um = cui nēmō cōnfīdit
Lāocoōn -ontis *m*
dē-currere
Danaī -um/-ōrum *m* = Graecī

42 ... "Ō miserī, quae tanta īnsānia, cīvēs?
Crēditis āvectōs hostēs? aut ūlla putātis
dōna carēre dolīs Danaum? Sīc nōtus Ulixēs?
45 Aut hōc inclūsī lignō occultantur Achīvī,
aut haec in nostrōs fabricāta est māchina mūrōs...
49 Quidquid id est, timeō Danaōs — et dōna ferentēs!"

Sīc fātus omnibus vīribus ingentem hastam in latus equī mīsit; sed illa tremēns in fīrmō rōbore stetit neque in partem interiōrem ad mīlitēs occultōs penetrāvit.



Paulō post animī Trōiānōrum rē horrendā turbātī sunt: Dum Lāocoōn ad āram taurum immolat, subitō duo anguēs ingentēs ab īnsulā Tenedō per mare tranquillum ad lītus natant. Cum terram attigissent, capitibus ērēctīs oculīsque ārdentibus Trōiānōs perterritōs prōspiciunt. Inde rēctā viā Lāocoontem petunt; et prī-

īnsānia -ae *f* < īnsānus

āvectōs *esse*
ūlla dōna Danaum
vōbīs nōtus *est* U.?

Achīvī -ōrum *m* = Graecī
haec māchina in nostrōs mūrōs f. est
māchina -ae *f* = īnstrūmentum bellī (ad mūrōs dēstruendōs)
fātus = postquam fātus est
rōbur -oris *n* = lignum dūrissimum
stāre stetisse
occultus -a -um = latēns
penetrāre = vī intrāre

anguibus implicitī Lāocoōn et fīliī sē explicāre cōnantur

anguis -is *m*



immolāre = sacrificiī causā occīdere

at-tingere -tigisse -tāctum (< ad + tangere) = tangere
ē-rigere -rēxisse -rēctum = tollere

mum parva duōrum fīliōrum corpora complexī membra eōrum tenera edunt, tum patrem ipsum, quī miserīs fīliīs auxiliō veniēbat, corripiunt. Iam bis corpus eius medium amplectuntur, bis collō longa corpora sua circumdant. Ille simul manibus sē explicāre cōnātur, simul clāmōrēs horrendōs ad caelum tollit. At anguēs in summam arcem ad simulācrum Minervae cōnfugiunt ibique sub clipeō deae latent.

Tum vērō cūnctī Trōiānī novō pavōre perturbantur, et 'Lāocoontem poenās meritās Minervae dedisse' dīcunt, 'quod hastā scelerātā sacrum rōbur laeserit.' Conclāmant omnēs 'simulācrum equī in arcem Minervae dūcendum esse.'

Ergō parte mūrōrum dēstrūctā māchina illa hostibus armātīs plēna magnō labōre in urbem trahitur fūnibus, dum puerī puellaeque carmina sacra canunt et fūnem manū contingere gaudent. In ipsō līmine portae cōnsistit atque penitus ex ventre sonant arma, sed Trōiānī pergunt et mōnstrum īnfēlīx in arce sacrā pōnunt.

Etiam tunc Cassandra, fīlia Priamī virgō cui rēs futūrās praedīcentī nēmō umquam crēdēbat, fātum Trōiae cīvibus suīs praedīxit, nec vērō Trōēs miserī, quibus ille diēs suprēmus futūrus erat, eī crēdidērunt, sed velut fēstō diē templa deōrum fronde exōrnāvērunt.

Cum iam sōl occidisset et nox obscūra terram tegeret, Trōiānī fessī somnō sē dedērunt. Tum equō patefactō mīlitēs Graecī per fūnem dēmissum ad terram lāpsī

complectī -plexum

tener -a -um = mollis et tenuis, invalidus
cor-ripere -uisse -reptum = celeriter rapere
am-plectī = complectī
rem collō (*dat*) circumdare = collum rē c.
ex-plicāre ↔ implicāre
clāmōrem tollere = clāmāre
cōn-fugere = fugere in locum tūtum
clipeus -ī *m* = scūtum rotundum
pavor -ōris *m* = timor subitus
poenās dare alicui = pūnīrī ab aliquō
scelerātus -a -um < scelus

con-clāmāre = simul clāmāre


fūnis -is *m*

con-tingere -tigisse -tāctum = tangere
penitus *adv* = ex interiōre parte
sonāre -uisse = sonum dare
īnfēlīx = quī malam fortūnam affert

prae-dīcere

Trōēs -um *m* = Trōiānī

suprēmus -a -um = summus, ultimus
frōns -ondis *f* = folia arborum
oc-cidere -cidisse

pate-facere = aperīre

dē-mittere ↔ tollere

sunt. Urbis cūstōdibus occīsīs, portās patefēcērunt et cēterōs Graecōs, quī interim Tenedō redierant, in urbem recēpērunt.

Somnium Aenēae

Dum haec aguntur, Trōiānī sine cūrā dormiēbant, in iīs Aenēās, dux ēgregius, Anchīsā et Venere deā nātus. Ecce eī in somnō appāruit maestissimus Hector, fīlius Priamī mortuus — sed quālis erat, quantum mūtātus ab illō Hectore quī ex tot proeliīs victor redierat! Sordidam barbam crīnēsque cruentōs gerēbat et vulnera illa quae plūrima circum mūrōs Trōiae accēperat. Ille graviter gemēns Aenēam monuit 'ut deōs Penātēs urbis Trōiae caperet atque ex urbe incēnsā fugeret':

289 *"Heu, fuge, nāte deā, tēque hīs" ait "ēripe flammīs!*
Hostis habet mūrōs. Ruit altō ā culmine Trōia."

Hīc Aenēās clāmōribus hominum et strepitū armōrum ē somnō excitātus est. Celeriter in summum tēctum ascendit, unde cum multās domōs per tōtam urbem flagrantēs vidēret, hostēs dolō in urbem penetrāvisse intellēxit. Arma āmēns cēpit, ut in arcem curreret cum manū mīlitum.

Ecce autem Panthūs, Apollinis sacerdōs, ex tēlīs Graecōrum ēlāpsus, āmēns ad līmen accurrit sacra manū tenēns. Quem cum Aenēās interrogāvisset 'quae fortūna esset patriae?' magnō cum gemitū haec respondit:

cūstōs -ōdis *m* = is quī cūstōdit

re-cipere -cēpisse -ceptum

somnium -ī *n* = quod in somnō vidētur
agī = fierī

Anchīsēs -ae *m*, *acc* -ēn
deā nātus : deae fīlius



barba -ae *f*

crīnis -is *m* = capillus

gemere = graviter spīrāre ob dolōrem
(dī) Penātēs -ium: dī quī domum vel patriam tuentur
ex hīs flammīs
ruere = praecipitārī, collābī
culmen -inis *n* = summa pars (aedificiī/montis), summa fortūna

flagrāre = ārdēre

ā-mēns -entis = cui mēns abest, īnsānus

Panthūs -ī *m*
tēlum -ī *n* = pīlum vel sagitta
ē-lābī = effugere
sacra -ōrum *n* = rēs sacrae

gemitus -ūs *m* < gemere

summa : ultima
in-ēluctābilis -e = quī vītārī nōn potest
Dardania -ae *f* = Trōia
Teucrī -ōrum *m* = Trōiānī
dominārī = dominus esse (↔ servīre)
in urbe incēnsā

sē armāre = arma capere

stringere -īnxisse -ictum = ēdūcere (gladium)
moritūrus -a -um *part fut* < morī

in-citāre = animum ex-citāre (ad īram)
vādere -sisse = īre, prō-cēdere
sternere = humī prōicere

lūctus -ūs *m* < lūgēre

"Vēnit summa diēs et inēluctābile tempus 324
Dardaniae. Fuimus Trōēs, fuit Īlium et ingēns
glōria Teucrōrum! Ferus omnia Iūppiter Argōs
trānstulit. Incēnsā Danaī dominantur in urbe."

Hōc audītō Aenēās iuvenēs audācēs, quōs pugnandī cupidōs videt, paucīs verbīs hortātur ut sē arment et strictīs gladiīs in media hostium arma moritūrī sē praecipitent:

"Ūna salūs victīs: nūllam spērāre salūtem!" 354

Tālibus verbīs ad pugnam incitātī iuvenēs ācerrimī per tēla, per hostēs vādunt in mortem haud dubiam. Plūrima corpora sternuntur per viās et per domōs, ubīque fit lūctus et pavor...


turris -is *f*

pandere -disse passum = lātē extendere
Āiāx -ācis *m*
Oīleus -ī *m*

vinculum -ī *n* = id quō aliquis vincītur
speciēs -ēī *f* = quod aspicitur

ruere = sē praecipitāre, prōcurrere

aedēs -ium *f pl* = domus

undique = ex omnibus locīs/partibus

Priamus

Neque quisquam nē in templīs quidem deōrum tūtus erat. Ecce virgō Cassandra crīnibus passīs ā templō Minervae (ubi Āiāx, Oīleī fīlius, eī vim attulerat) trahēbātur, frūstrā oculōs ārdentēs ad caelum ērigēns — nam tenerās manūs vincula tenēbant. Trōiānī hanc speciem ferre nōn poterant et cūnctī in medium hostium agmen ruēbant. Pugna ācris ante templum orta est multīque Trōiānī ab hostibus numerō superiōribus occīsī sunt. Paucī cum duce Aenēā ēlāpsī prōtinus ad aedēs Priamī clāmōre vocātī sunt. Hīc vērō ācerrimē pugnābātur: Graecīs undique prōcurrentibus Trōiānī inclūsī vī et armīs resistēbant, aliī turrēs et culmina domōrum dē-

struēbant atque laterēs trabēsque in hostēs mūrōs ascendentēs coniciēbant, aliī strictīs gladiīs forēs dēfendēbant. Aenēās vērō, cupidus cīvibus inclūsīs auxilium ferendī, per forēs occultās in rēgiam penetrat atque dēfēnsōribus sēsē adiungit.

Domus interior gemitū ac tumultū miscētur, penitusque magna ātria ululātū fēminārum resonant, cum mātrēs pavidae in aedibus errent īnfantēs suōs amplexae. Neque vērō rōbur iānuae vim Graecōrum diūtius ferre potest: frāctīs cardinibus forēs concidunt, Graecī ferōcēs in ātrium penetrant prīmōsque trucīdant, rēgia tōta hostibus armātīs complētur.

Rēx Priamus senex, ut prīmum forēs frāctās et hostēs in mediīs aedibus vīdit, manibus īnfirmīs arma capit et gladiō cingitur atque moritūrus in hostēs prōgreditur. Hoc vidēns Hecuba, uxor eius, quae cum fīliābus pavidīs circum magnam āram sedēbat, "Ō miserrime coniūnx!" inquit, "Quārē inūtilī gladiō cingeris? aut quō vādis ita armātus? Iam nōn tēlīs egēmus, sed auxiliō deōrum:

523 Hūc tandem concēde! Haec āra tuēbitur omnēs
— aut moriēre simul!"

Sīc locūta marītum senem ad sēsē recēpit et in ārā locāvit.

Ecce autem Polītēs, ūnus fīliōrum Priamī, ex caede vix ēlāpsus per porticūs longās et vacua ātria ad āram fugit saucius. Illum Pyrrhus īrātus persequitur iam iam-

trabs -bis *f*


con-icere -iēcisse -iectum = iacere (in ūnum locum)

dēfēnsor -ōris *m* = quī dēfendit
miscēre = turbāre

ululātus -ūs *m* < ululāre
re-sonāre

pavidus -a -um = timidus, territus

con-cidere = cadere (in locō), collābī
trucīdāre = crūdēliter occīdere

ut prīmum (+ *perf*) = cum prīmum
īn-fīrmus -a -um = invalidus, dēbilis
(gladiō) cingī = sē armāre

coniūnx *m* = marītus
in-ūtilis -e = quī nihil prōdest, quō nēmō ūtī potest
egēre (+ *abl*) = (rē necessāriā) carēre

con-cēdere = cēdere

moriēre = moriēris
simul *nōbīscum*

Polītēs -ae *m*

saucius -a -um = vulnerātus
iam iam(que) = statim

que manū tenet et hastā percutit. Tandem Polītēs ante oculōs parentum concidit ac multō cum sanguine vītam effundit.

vītam effundere = morī
caelestis -e < caelum
nēquīquam = frūstrā
haerēre -sisse -sum = fīxus esse, movērī nōn posse
laeva -ae *f* = manus laeva (↔ dextra)
coma -ae *f* = crīnis, capillus
dē-fīgere

Hīc Priamus, quamquam ipse mortem iam propinquam videt, īrā permōtus exclāmat: "At prō tālī scelere dī caelestēs praemia dēbita reddant tibi, quī cōram patre fīlium foedē trucīdāvistī!" Sīc fātus senex īnfīrmus tēlum inūtile coniēcit, quod Pyrrhum laedere nōn potuit, sed nēquīquam in clipeō haesit. Cui Pyrrhus "Nunc morere!" inquit, senemque trementem et in sanguine fīliī lābentem ad ipsam āram trāxit, ubi laevā comam eius prehendēns dextrā ēnsem sustulit atque in latere rēgis dēfīxit!

quondam = ōlim, aliquandō

Sīc periit Priamus, quondam tot gentium atque terrārum rēx superbus, cum Trōiam patriam ab hostibus captam et incēnsam vidēret.

Anchīsēs

horror -ōris *m* < horrēre
per-fundere -fūdisse -fūsum = tōtum afficere, permovēre
fulgēre = (subitō) splendēre
sē offerre = sē ostendere
patrius -a -um < pater

At tum prīmum saevus horror Aenēam perfūdit: nam cum rēgem senem ex crūdēlī vulnere morientem vidēret, vēnit eī in mentem ipsīus pater senex Anchīsēs et uxor Creūsa et parvus fīlius Ascanius, quōs sōlōs domī dēseruerat. Tum subitō māter Venus, in lūce pūrā per noctem fulgēns, fīliō sē videndam obtulit eīque suāsit ut celeriter domum ad suōs fugeret, simulque prōmīsit sē ipsam fīlium tūtum ad līmen domūs patriae ductūram esse. Aenēās igitur dēscendit ac dūcente deā inter flam-

mās et hostēs ēlāpsus est: neque tēla neque flammae eī nocuērunt.

Ubi iam ad antīquam domum patriam pervēnit, Anchīsēs pater, quem prīmum in altōs montēs portāre volēbat, ex patriā captā fugere recūsāvit. "Vōs quibus integrae sunt vīrēs" ait, "vōs capite fugam! Dī caelestēs, sī mē vītam prōdūcere voluissent, hanc patriam mihi servāvissent. Nōlō urbī captae superesse. Ipse meā manū mortem inveniam!" Tālia dīcēns fīxus eōdem locō haerēbat, dum fīlius et parvus nepōs omnisque domus multīs cum lacrimīs eī suādent 'nē omnēs suōs sēcum perderet!'

Aenēās vērō, rūrsus armīs sūmptīs, "Mēne putās" inquit "tē relictō pedem hinc efferre posse? Sī tibi certum est Trōiae peritūrae tē tuōsque addere, patet iānua mortī: iam aderit Pyrrhus sanguine Priamī cruentus, quī fīlium cōram patre, tum patrem ipsum ad āram obtruncāvit! — Num ideō, māter cārissima, per tēla, per ignēs mē ēripuistī, ut hostem in mediīs aedibus, ut Ascanium puerum et patrem meum uxōremque alterum in alterīus sanguine trucīdātōs cernam?

668 *Arma, virī, ferte arma! Vocat lūx ultima victōs.*
Reddite mē Danaīs! Sinite īnstaurāta revīsam
proelia! Numquam omnēs hodiē moriēmur inultī!"

Sed coniūnx pedēs virī abeuntis complexa in līmine haerēbat parvumque Iūlum patrī ostendēbat:

575 *"Sī peritūrus abīs, et nōs rape in omnia tēcum!"*

nocēre -uisse
ubi (+ *perf*) = ubi prīmum, postquam
re-cūsāre = dīcere sē nōlle
fugam capere = fugere
prō-dūcere = longiōrem facere
urbī captae super-esse = post urbem captam superesse (: vīvere)
nepōs -ōtis *m* = fīlius fīliī /fīliae
domus : familia
ef-ferre < ex-; pedem efferre = ēgredī
certum mihi est = certum cōnsilium meum est
iam (+ *fut*): mox
obtruncāre = trucīdāre
lūx : diēs
sinite re-vīsam = sinite mē *re-vīsere*
īnstaurāre = rūrsus incipere
in-ultus -a -um = cui ultor nōn est
Iūlus -ī *m*: alterum nōmen Ascaniī

Tālia exclāmāns omnem domum gemitū complēbat — cum subitō mīrābile prōdigium vīsum est: namque inter manūs maestōrum parentum lūmen in summō Iūlī capite appāruit, neque flamma puerō nocēbat! Parentēs pavidī ignem aquā restinguere properant; at pater Anchīsēs laetus Iovem invocat, subitōque fragōre ā laevā tonat, et simul stēlla dē caelō lāpsa multā cum lūce per tenebrās currit. Quae cum, quasi viam mōnstrāns, post montem Īdam occidisset, Anchīsēs manūs ad caelum tendēns deōs sīc alloquitur:

"Iam iam nūlla mora est, sequor et quā dūcitis adsum, 701
dī patriī! Servāte domum, servāte nepōtem! ...
Cēdō equidem nec, nāte, tibī comes īre recūsō." 704

Tum Aenēās, cum iam strepitus flammārum propius audīrētur, "Ergō, cāre pater" inquit, "in umerōs meōs tē impōnam; ipse tē portābō, nec mihi grave erit hoc onus. Parvum Iūlum mēcum dūcam, et Creūsa vestīgia nostra sequētur. Vōs, famulī, haec quae dīcam animadvertite: extrā urbem est tumulus et vetus templum Cereris, in eum locum omnēs conveniēmus. Tū, pater, cape sacra manū et deōs Penātēs! Neque enim mihi fās est rēs sacrās tangere priusquam manūs caede cruentās flūmine vīvō lāverō."

Creūsa

Haec locūtus pius Aenēās patrem in umerōs sustulit et parvum fīlium manū tenēns domō ēgressus est.

prōdigium -ī *n* = rēs mīrābilis contrā nātūram facta
lūmen -inis *n* = lūx

re-stinguere = ex-stinguere
fragor -ōris *m* = strepitus gravis
tonāre -uisse: tonat = tonitrus fit

tendere = extendere
al-loquī < ad-loquī
quā = quā viā, ubi

nātus -ī *m* = fīlius
tibi comes īre = tē comitārī

onus -eris *n* = quod portātur
famulus -ī *m* = servus

tumulus -ī *m* = collis parvus
Cerēs -eris *f*: Sāturnī fīlia, dea agrōrum et frūgum
fās *indēcl n* = iūs dīvīnum; fās est = licet per deōs

vīvō : fluentī

pius -a -um = quī deōs et patriam et parentēs dīligit
ē-gredī -gressum

Creūsa eōs sequēbātur. Ita per tenebrās vādunt, et Aenēam, quem dūdum neque tēla neque agmen Graecōrum commovēbat, nunc omnis aura, omnis sonus terret, cum pariter fīliō patrīque timeat.

Iam portīs appropinquābant atque salvī esse vidēbantur, cum Anchīsēs per umbram prōspiciēns "Fuge, mī fīlī!" exclāmat, "Hostēs appropinquant. Clipeōs atque gladiōs micantēs cernō." Quā rē perturbātus dum Aenēās celeriter ē nōtā viā discēdit, Creūsa incerta cōnstitit neque marītum aberrantem sequī potuit. Nec prius ille respexit quam ad tumulum templumque Cereris pervēnit.

Hīc cum uxōrem deesse vidēret, fīliō et patre et Penātibus apud sociōs relictīs, ipse armātus in urbem revertit et eādem viā quā vēnerat domum patriam repetīvit; quam ā Graecīs captam et incēnsam invēnit. Inde prōcēdēns rēgiam Priamī et arcem revīsit. Hūc undique dīvitiae Trōiānae ex templīs incēnsīs ēreptae cōnferēbantur. Puerī et mātrēs pavidae longō ōrdine circum stābant.

Aenēās autem per tenebrās errāns coniugem suam quaerēbat; quīn etiam clāmāre ausus est maestusque 'Creūsam' iterum iterumque vocāvit. Quod cum diū nēquīquam fēcisset, imāgō atque umbra ipsīus Creūsae virō stupentī appāret et hīs dictīs eum cōnsōlātur: "Quid iuvat mē lūgēre, ō dulcis coniūnx? Nōn sine nūmine deōrum haec ēveniunt, nec fās est tē hinc comitem portāre Creūsam — rēx Olympī hoc nōn sinit. Diū per

dūdum = paulō ante
com-movēre = permovēre (animum)
aura -ae *f* = ventus levis
pariter = aequē, eōdem modō

micāre = subitō movērī ac fulgēre

nec ille respexit prius quam...
re-spicere ↔ prō-spicere

sociī -ōrum *m* = hominēs quī commūnī fortūnā/negōtiō coniunguntur
re-petere

re-vīsere -sisse

cōn-ferre con-tulisse collātum = in eundem locum ferre

quīn etiam = (nōn hoc sōlum) sed etiam, atque etiam

dulcis = iūcundus, cārus
nūmen -inis *n* = voluntās deōrum
Olympus -ī *m*: mōns Thessaliae; ibi diī habitāre dīcuntur

vāstus -a -um = ingēns et dēsertus
Hesperia -ae *f*: terra ad occidentem sita
ūber -eris = fertilis
rēgius -a -um < rēx (r.a coniūnx: Lāvīnia, fīlia rēgis Latīnī)

vāsta maria tibi nāvigandum est, et tandem in terram Hesperiam veniēs, ubi inter arva ūberrima fluit Tiberis amnis: illīc rēgnum tibi parātum est et rēgia coniūnx. Nōlī meā causā lacrimās effundere!

Iamque valē, et nātī servā commūnis amōrem!" 789


haec ubi dicta dedit: ubi (= postquam) haec dīxit
re-cēdere -cessisse

Haec ubi dicta dedit, lacrimantem et multa volentem
dīcere dēseruit, tenuēsque recessit in aurās,

dum ille frūstrā imāginem eius effugientem amplectī ac manum comprehendere cōnātur.

com-prehendere = prehendere

Tum dēmum Aenēās, nocte iam cōnsūmptā, ad sociōs revertit. Atque ibi admīrāns sociōrum novōrum magnum numerum invēnit, et virōrum et fēminārum, quī undique eō convēnerant, ut duce Aenēā in aliās terrās proficīscerentur. Quōs omnēs Aenēās posterō diē sēcum trāns montēs dūxit.



PENSVM A

Dē cāsū datīvō

Aedēs Castoris sacrāta est di– Castor– et Pollūc–, Iovis fīli– gemin–, quī saepius Rōmān– auxili– vēnērunt. Octāviānus de– Mārt– templum vōvit.

Rēx Faunus Euandr–, Mercuriī fīli–, arva dedit. Rēg– Latīn– ūna fīlia erat, Lāvīnia, iam mātūra vir–. Lāvīni– nōn licuit rēg– Turn– nūbere.

Trōiānī equum ligneum Minerv–, de– Trōiān– benign–, sacrātum esse putābant, sed sacerdōs, c– nōmen erat Lāocoōn, i– suāsit nē Graec– cōnfīderent. Cassandra fātum Trōiae cīv– su– praedīxit, nec vērō Trōiānī e– crēdidērunt, sed somn– sē dedērunt.

Aenēās iuven– Trōiān– suāsit ut host– Graec– resisterent: "Ūna salūs vict–: nūllam spērāre salūtem!" Graecī, qu– diī favēre vidēbantur, nēmin– parcēbant.

Venus fīli– sē ostendit et e– imperāvit, ut patr– et uxōr– et fīli– auxilium ferret. Ille mātr– su– pāruit, neque quisquam e– redeunt– nocuit. Anchīsēs urb– capt– superesse nōluit, sed Aenēās "Sī t– certum est" inquit "Trōi– peritūr– tē addere, patet iānua mort–. Date m– arma! Reddite mē Dana–!" Tandem patr– su– sen–, c– vīrēs deerant ad fugiendum, persuāsit ut ex urbe portārētur, nec id onus fīli– grave fuit. Aenēās fugiēns nōn s–, sed patr– ac fīli– timēbat. Umbra Creūsae vir– mīrant– occurrit et "Nōn t– licet" inquit "mē tēcum dūcere. Diū nāvigandum est t–, sed in Hesperiā nova patria t– et soci– tu– parāta est."

PENSVM B

Rēx Faunus — [= ōlim] Euandrō, quī — [= fugiēns] in Italiam vēnerat, — colenda dedit. Post Faunum Latīnus — accēpit; cuius fīlius in prīmā — mortuus est. Latīnō rēgnante pāx — [< diū] fuit.

Graecī nōn vī, sed — Trōiam intrāvērunt: equum ligneum — [= cōnfēcērunt] et armātīs complēvērunt. Trōiānī, quī

Vocābula nova:
iūstitia
arvum
rēgnum
iuventūs
dolus
mōlēs
īnsānia
māchina
rōbur
anguis
clipeus
pavor
fūnis
frōns
cūstōs
somnium
barba
crīnis
culmen
tēlum
sacra
gemitus
lūctus
vinculum
speciēs
aedēs *pl*
turris
trabs
dēfēnsor
ululātus
laeva
coma
horror
nepōs
prōdigium
lūmen
fragor
nātus
onus

famulus
fās
aura
socius
nūmen
fēstus
profugus
benignus
diūturnus
suspectus
occultus
tener
scelerātus
suprēmus
āmēns
inēluctābilis
pavidus
īnfīrmus
inūtilis
saucius
caelestis
patrius
inultus
vāstus
ūber
rēgius
discumbere
fabricāre
āvehere
īnspicere
dēcurrere
penetrāre
immolāre
attingere
ērigere
corripere
amplectī
explicāre
cōnfugere
conclāmāre
contingere
sonāre
praedīcere
patefacere
dēmittere
gemere
ruere
flagrāre
ēlābī
dominārī
stringere
incitāre
vādere

Graecōs in patriam suam — esse putābant, castra dēserta — et — equī mīrābantur. Lāocoōn equum ligneum, ut dōnum —, hastā laesit, sed hasta in fīrmō — [=lignō] stetit nec ad mīlitēs — [= latentēs] —. Dum Lāocoōn taurum —, duo — eum — [= celeriter rapiunt] et corpus eius — [= complectuntur], neque ille sē — potest. Trōiānī, novō — [= timōre] perturbātī, — [= simul clāmant] 'equum dōnum esse Minervae, deae Trōiānīs —.' Equus in urbem trahitur —, dum templa velut — diē — [= foliīs] ōrnantur.

Equō — [= apertō] Graecī per fūnem — ad terram lābuntur. Aenēās in somnō Hectorem — [= vulnerātum] vīdit, quī sordidam — et — [= capillōs] cruentōs gerēbat atque Aenēae suāsit ut ex urbe — [= ārdentī] fugeret. Hōc — perturbātus Aenēās — [= sine mente] arma capit et iuvenēs ad pugnam —. Iī — gladiīs per hostēs — [= eunt]. Cassandra, quae fātum — poterat, crīnibus — ā templō trahēbātur oculōs ad caelum — [= tollēns], nam — manūs — tenēbantur. Trōiānī hanc — ferre nōn poterant et — [=ex omnibus partibus] in mediōs hostēs — [= sē praecipitābant]. Ad — [= domum] Priamī ācerrimē pugnābātur. Trōiānī altās — et — domōrum dēstruēbant et laterēs —que in hostēs — [= iaciēbant]. Frāctīs cardinibus forēs — [= collābuntur]. Rēx manibus — [= invalidīs] arma capit, sed Hecuba "Iam nōn tēlīs —" inquit, "sed auxiliō deōrum. Hūc tandem —!" Cum Polītēs cōram patre — [=obtruncātus] esset, Priamus — [= pīlum] in Pyrrhum coniēcit, quod — [= frūstrā] in — eius —. Pyrrhus — [= capillum] rēgis prehendēns ēnsem in latere eius —. Hoc vidēns Aenēās — perfūsus est. Anchīsēs fīlium et — in fugā comitārī — [= nōluit]. Tum — [= lūx] in capite Iūlī appāruit atque simul cum hōc — māximus — [= strepitus] caelestis audītus est. Aenēās patrem ex urbe portāvit nec hoc — fīliō grave fuit.

In convīviīs — [= servī] cum dominīs nōn — [= accumbunt]. In manū senis gladius — est. Quī invocat deōs — [< caelum], manūs ad caelum — [= extendit]. Caelō serēnō nōn

— [= tonitrus fit]. Manibus cruentīs — tangere — nōn est. Nihil ēvenit sine — [= voluntāte] deōrum. Quae lūget ululāre aut — solet; ululātū et — [< gemere] significātur —.


Synōnyma: fīlius et —; scelestus et —; summus et —; timidus et —; fertilis et —; splendēre et —; exstinguere et —; ubi et —.

Contrāria: dextra et —; servīre et —.

PENSVM C

Aborīginēs quī fuērunt?
Quis fuit Latīnus?
Quōmodo Graecī in urbem Trōiam penetrāvērunt?
Quid fēcit Lāocoōn et quid eī accidit?
Cuius fīlius erat Aenēās?
Quid Aenēās in somnō vīdit?
Ubi rēx Priamus interfectus est?
Cūr Aenēae redeuntī nēmō nocuit?
Num Anchīsēs statim fīlium comitātus est?
Cum quibus Aenēās ex urbe aufūgit?
Quārē Creūsa marītum sequī nōn potuit?
Quid Aenēās in urbem reversus vīdit?
Quid Creūsa Aenēae abeuntī prōmīsit?
Quō sociī Aenēae convēnērunt?

pandere
conicere
resonāre
concidere
trucīdāre
egēre
concēdere
haerēre
dēfīgere
perfundere
fulgēre
recūsāre
prōdūcere
efferre
obtruncāre
īnstaurāre
revīsere
restinguere
tonāre
tendere
alloquī
commovēre
micāre
respicere
repetere
cōnferre
comprehendere
penitus
undique
nēquīquam
quondam
quā
dūdum
pariter



PIVS AENEAS

[*Ex Vergiliī Aenēidis librō III, solūtīs versibus*]

Penātēs

Eā quae secūta est hieme Trōiānī profugī sub monte Īdā classem vīgintī nāvium aedificāvērunt. Prīmā aestāte pater Anchīsēs nāvēs dēdūcere et ventīs vēla dare iubēbat, atque Aenēās cum sociīs fīliōque et dīs Penātibus lītora patriae relīquit et campōs ubi Trōia fuit.

Prīmum in Thrāciam vectī sunt ibique in lītore curvō novam urbem condere volēbant.

Rēx Thrāciae amīcus et socius fuerat Trōiānōrum, dum fortūna fuit. Itaque Priamus, cum suās rēs dēspērāret, fīlium suum Polydōrum in Thrāciam mīserat cum magnō aurī pondere. Sed rēx ille īnfīdus, cum fortūnam Trōiānōrum recēdere vidēret, contrā iūs fāsque Polydōrum obtruncāvit et aurō vī potītus est. Quod cum Trōiānī profugī cognōvissent, citō ē terrā scelerātā excēdere

eā hieme quae...
prīma aestās = prīma aestātis pars
(nāvem) dē-dūcere = dē lītore in mare dūcere
ventīs vēla dare: nāvigāre
dīs = diīs



curvus -a -um = quī fōrmam arcūs habet
con-dere = cōnstituere

(rēx) socius = quī alterum adiuvat

pondus -eris *n*: onus grave magnum *pondus* habet

potīrī + *abl.*: rē potīrī = rem suam facere
citō *adv* = celeriter
ex-cēdere = exīre

cōnstituērunt. Ergō ubi prīmum ventus secundus fuit, iterum in altum prōvectī sunt.

In mediō marī Aegaeō est īnsula Apollinī sacra, nōmine Dēlos. Haec īnsula Trōiānōs fessōs tūtō portū recēpit, ibique deus Apollō, quem pius Aenēās in vetere templō adōrābat, novam terram Trōiānīs et posterīs eōrum pollicitus est.

Dēlō relictā Crētam petīvērunt, cuius īnsulae magna pars ab incolīs dēserta erat. Nāvibus in lītus subductīs, iuvenēs Trōiānī iam novam urbem aedificābant et arva nova colēbant, cum foeda pestilentia hominēs miserōs afficere coepit, et simul sōl flagrāns agrōs siccōs adeō torrēbat ut nec herbam nec frūmentum ferre possent.

Cum omnēs hīs malīs perturbārentur, dī Penātēs, quōs Aenēās sēcum Trōiā extulerat, noctū in somnīs eī vīsī sunt ante lectum adstāre in lūmine lūnae plēnae atque hīs dictīs cōnsōlārī: "Nōs quī tē, Dardaniā incēnsā, per mare tumidum secūtī sumus, nōs iīdem posterōs tuōs in caelum tollēmus imperiumque urbī eōrum dabimus. Tū longum fugae labōrem nē recūsāveris! Rūrsus mūtanda est sēdēs, nōn licet tibi in hāc terrā cōnsīdere. Est terra antīqua quam Grāiī 'Hesperiam', incolae ipsī 'Italiam' dīcunt. Ea nōbīs sēdēs propria est, illam terram quaere! Age, surge et haec dicta laetus refer parentī tuō!"

Hōc somniō et vōce dīvīnā stupefactus Aenēās ē lectō sē corripuit manūsque ad caelum tendēns deōs precātus

prō-vehere

Dēlos -ī *f*

posterī -ōrum *m* = fīliī et nepōtēs et eōrum fīliī et nepōtēs et cēt.

(nāvem) sub-dūcere ↔ dēdūcere

pestilentia -ae *f* = morbus gravis quī multōs simul afficit

ad-eō = tam valdē, ita

torrēre -uisse tōstum = igne siccāre

ef-ferre ex-tulisse ē-lātum

noctū *adv* = nocte

ad-stāre

tumidus -a -um = turgidus (: turbidus)

in caelum tollere : glōriā afficere

labor = rēs difficilis et molesta

sēdēs = locus ubi aliquis habitat

cōnsīdere = sēdem capere

Grāius -ī *m* = Graecus

proprius ↔ aliēnus

referre = nūntiāre

parēns -entis *m/f* = pater/māter

stupe-facere = stupentem facere

sē corripere = citō surgere

est. Quō factō patrem suum dē rē certiōrem fēcit, quī sine morā terram illam longinquam quaerendam esse cēnsuit. Trōiānī igitur, paucīs relictīs, hanc quoque sēdem dēseruērunt et rūrsus vāstum aequor classe percurrēbant.

Mare Īonium

Postquam in altum prōvectae sunt nāvēs nec iam ūllae terrae appārēbant, nimbus repentīnus sōlem occultāvit imbrem tempestātemque afferēns. Continuō magnī flūctūs surgunt et nāvēs per mare vāstum iactantur. Palinūrus, optimus gubernātor, rēctum cursum tenēre nōn poterat neque diem noctemque discernere, cum nec sōl interdiū nec stēllae noctū appārērent. Trēs diēs totidemque noctēs nāvēs caecae errābant, quoad quārtō diē in lītora Strophadum dēlātae sunt. (Strophadēs dīcuntur duae parvae īnsulae in marī Īoniō sitae.) Inde pulsī ab Harpȳiīs, mōnstrīs foedissimīs quibus corpora volucrum, vultūs virginum sunt, ad septentriōnēs cursum tenuērunt. Notus vēla implēbat, nāvēs celeriter per undās vehēbantur quō ventus ferēbat. Iam in mediō marī appārēbant īnsulae arduae Zacynthos Samēque et Ithaca, rēgnum et patria Ulixis; mox etiam cernēbātur Leucāta, īnsulae Leucadiae prōmunturium nautīs metuendum, in quō templum Apollinis situm est. Hunc locum Trōiānī fessī petīvērunt. In terram ēgressī Iovī sacrificāvērunt, atque Aenēās clipeum,

- eum certiōrem facere = eī nūntiāre
- longinquus -a -um ↔ propinquus
- aequor -oris *n* = mare summum, mare
- mare Īonium: inter Graeciam et Siciliam et Italiam
- nimbus -ī *m* = nūbēs quae imbrem affert
- repentīnus -a -um (< repente) = subitus
- dis-cernere
- inter-diū ↔ noctū
- tot-idem *indēcl* = īdem numerus
- quo-ad = ūsque ad id tempus quō
- dē-ferre -tulisse -lātum
- Strophadēs -um *f*
- Harpȳiae -ārum *f*
- volucris -is *f* = avis
- Notus -ī *m* = ventus quī ā merīdiē flat
- unda -ae *f* = parvus flūctus
- Zacynthos -ī *f*
- Samē -ēs *f* (= *Cephallēnia*)
- sacrificāre = sacrificium facere

quem cuidam hostī adēmerat, ad forēs templī fīxit et hunc versum īnscrīpsit:

288 AENEAS HAEC DE DANAIS VICTORIBVS ARMA.

Tum sociōs portum linquere iussit, ac nāvēs ab īnsulā Leucadiā praeter lītora Ēpīrī vectae prōtinus ad portum Būthrōtī urbis accessērunt.

A. haec arma dē Danaīs victōribus *capta deō dat*
linquere līquisse lictum = relinquere
Būthrōtum -ī *n*

Andromachē et Helenus

Hīc fāma incrēdibilis iīs allāta est: Helenum, Priamī fīlium, rēgnō Ēpīrī potītum esse atque Andromachēn, viduam Hectoris, uxōrem dūxisse! Hāc fāmā stupefactus Aenēās, cum ā virō ipsō certior fierī cuperet, classe in portū relictā ad urbem prōgrediēbātur. Sed ante urbem Andromachēn invēnit, quae in lūcō sacrificābat Mānēsque Hectoris invocābat ad tumulum et duās ārās quās ibi sacrāverat. Ut Aenēam cōnspexit venientem et arma Trōiāna agnōvit, rē incrēdibilī exterrita palluit animusque eam relīquit; lābitur et post longum tempus tandem "Nāte deā, vīvisne?" inquit, "aut, sī ā mortuīs revenīs, dīc mihi: Hector ubi est?" lacrimāsque effūdit et omnem locum clāmōre implēvit. Aenēās turbātus paucīs respondit: "Vīvō equidem vītamque per māxima perīcula servō. Nē dubitāveris! Sed quae fortūna tē revīsit, Hectoris Andromachē?" Illa vultum dēmīsit et parvā vōce locūta est: 'sē et Helenum Trōiā captā ā Pyrrhō in Ēpīrum abductōs esse; posteā vērō, cum Pyrrhus interfectus esset ab Oreste, Agamemnonis fīliō,

Andromachē -ēs *f*, *acc* -ēn
in-crēdibilis -e = vix crēdendus; (factum) i.e = quod vix crēdī potest
vidua -ae *f* = mulier quae marītum āmīsit
lūcus -ī *m* = silva deō sacra
(dī) Mānēs -ium *m* = animae mortuōrum
ut (+ *perf*) = ut prīmum, postquam
agnōscere -nōvisse = recognōscere
ex-terrēre = terrēre
pallēscere -luisse = pallēre incipere, pallidus fierī
paucīs *verbīs*
Orestēs -is *m*
Agamemnōn -onis *m*: dux Graecōrum

Helenum Chāoniā, parte Ēpīrī extrēmā, potītum esse et sē uxōrem dūxisse.'

Dum haec nārrat itemque dē cāsū Aenēae et Ascaniī puerī quaerit, ex urbe venit Helenus cum multīs comitibus; quī cīvēs suōs laetus agnōscit eōsque in urbem ad convīvium magnificum invītat.

Priusquam inde dīgressus est, Aenēās ā rēge Helenō, quī dīvīnā mente nūmina Phoebī sentiēbat, quaesīvit 'quae perīcula sibi vītanda essent?' Ille, immolātīs ex mōre iuvencīs, Aenēam ad Phoebī templum manū dūxit, deinde dīvīnō ex ōre haec fātus est: "Nāte deā! Pauca tibi dīcam, nam cētera fārī vetat Iūnō. Italia, quam tū iam propinquam esse rēris, longō cursū abs tē dīviditur: prius circum Siciliam tibi nāvigandum est quam in illā terrā urbem condere poteris. Haec Italiae lītora quae nōbīs proxima sunt, effuge: cūncta oppida ā malīs Graecīs habitantur. Sed ubi ventus ad ōram Siculam tē advēxerit et fretum angustum ā dextrā patēbit, laevam pete! Nam illud fretum duo mōnstra horrenda tenent, latus dextrum Scylla, laevum Charybdis, quae in īmō gurgite latēns raptās nāvēs vāstīs flūctibus mergit; at Scylla, cui caput et pectus est virginis, venter lupī, cauda delphīnī, ex antrō suō obscūrō nāvēs in saxa trahit. Praestat tōtam Siciliam longō cursū circumīre quam semel Scyllam īnfōrmem vidēre et saxa illa resonantia experīrī. Praetereā hoc ūnum ante omnia tē moneō: semper Iūnōnem prīmam adōrā atque illī deae

extrēmus -a -um *sup* < extrā

cāsus = id quod accidit

invītāre = (hospitem domum suam) vocāre, recipere

dī-gredī -gressum = discēdere

Phoebus -ī *m* = Apollō

iuvencus -ī *m* = bōs iuvenis

rērī = arbitrārī

(locum) effugere = vītāre



antrum -ī *n*

gurges -itis *m* = vorāgō turbida

prae-stat = melius/praeferendum est

circum-īre

īn-formis -e ↔ fōrmōsus

(rem) experīrī -rtum = cognōscere quālis sit (rēs)

potentī māxima sacrificia fac! Sīc dēnique, Siciliā relictā, tūtus in Italiam perveniēs. Haec sunt quae meā vōce licet tē monēre. Age, vāde, et factīs tuīs Trōiam ad caelum tolle!"

> potēns -entis = quī magnam potestātem habet

Quae postquam Helenus vātēs dīvīnō ōre fātus est, dōna magnifica ad nāvēs ferrī iussit. Item Andromachē Ascaniō vestem pretiōsam, quam suīs manibus cōnfēcerat, dōnāvit.

> vātēs -is *m/f* = homō quī dīvīnō modō rēs futūrās praedīcit

Mōns Aetna

Eō diē Trōiānī iūxtā Ceraunia prōmunturium vectī sunt, unde cursus brevissimus est in Italiam. Post sōlis occāsum in lītus ēgressī sunt et fessī somnō sē dedērunt; sed mediā nocte Palinūrus, cum ventum secundum caelumque serēnum vidēret, signum proficīscendī dedit.

> Ceraunia -ōrum *n*: prōmunturium Ēpīrī
> occāsus -ūs *m* < occidere
> signum = id quō aliquid significātur

Iam aurōra ab oriente rubēbat, cum procul humilēs collēs appāruērunt. "Italia!" prīmus exclāmat Achātēs, atque sociī omnēs laetō clāmōre Italiam salūtant. Tum pater Anchīsēs magnam pateram merō implēvit atque in celsā puppī stāns deōs invocāvit:

528 *"Dī maris et terrae tempestātumque potentēs,*
ferte viam ventō facilem et spīrāte secundī!"

> aurōra -ae *f* = prīma lūx (ante sōlem ortum)
> Achātēs -ae *m* (*acc* -ēn, *abl* -ē): Aenēae amīcus fīdissimus
> patera -ae *f* = vās humile ex quō vīnī sacrificium fit
> maris potēns = potestātem maris habēns
> spīrāre = flāre
> : date cursum facilem et ventōs secundōs


Iam vēlīs plēnīs Italiae lītorī appropinquābant, templumque Minervae in arce appārēbat. Neque vērō in terrā illā Graecōrum morātī sunt, sed Iūnōnī sacrificiīs factīs praeter lītora Italiae ad Siciliam versus nāvigāvērunt.

> morārī (< mora) = diūtius in locō manēre

ē-dere -didisse -ditum
< ē + dare
nī-mīrum *adv* = scīlicet, certē

scopulus -ī *m* = saxum ēminēns

fūmus -ī *m*



ignārus viae (*gen*) = quī viam ignōrat
Cyclōpēs -um *m*



lapis -idis *m*

horribilis -e = horrendus
ē-mittere

ortus -ūs *m* (< orīrī) ↔ occāsus
extrēmus : māximus
cōnficī = cōnsūmī, invalidus fierī
supplex -icis = ōrāns
prō-cēdere -cessisse

resistere -stitisse
sē cōnferre (in locum) = īre
flētus -ūs *m* < flēre
tollere = auferre
quī- quae- quod-cumque =quem/quam/quod libet; quās-cumque terrās = quās terrās (vōbīs) libet

pereō | hominum (-ō nōn ēlīditur)

Mox procul cernēbātur mōns Aetna, et simul ā dextrā audiēbātur fragor quem saxa flūctibus pulsāta ēdēbant, atque in īnfimā vorāgine appārēbat fundus maris. "Nī-mīrum haec est illa Charybdis" inquit Anchīsēs, "Hōs scopulōs, haec saxa horrenda Helenus memorābat. Ō sociī, ēripite nōs ē perīculō!" Prīmus Palinūrus prōram ad laevam vertit, et cūncta classis rēmīs ventīsque laevam petīvit.

Inde, postquam sōl occidit, fessī et ignārī viae ad ōram Cyclōpum advectī sunt. Iūxtā haec loca surgit Aetna, mōns ingēns, unde fūmus flammaeque ad caelum ēduntur, interdum etiam saxa lapidēsque cum fragōre horribilī ab īmō fundō ēmittuntur. Tōtam illam noctem Trōiānī perterritī in silvīs latuērunt, cum causam tantī fragōris ignōrārent.

Posterō diē paulō ante sōlis ortum vir ignōtus extrēmā fame cōnfectus ē silvīs prōcessit atque supplex manūs ad lītus extendit; barbam horrentem gerēbat et sordidam scissamque vestem — at Graecus erat, quondam armātus adversus Trōiam missus. Ubi vestīmenta et arma Trōiāna procul agnōvit, paulum exterritus restitit, sed mox ad lītus sē contulit cum flētū precibusque: "Per deōs superōs vōs ōrō, Teucrī, hinc tollite mē! In quāscumque terrās abdūcite! Hoc satis est! Fateor mē cum cēterīs Graecīs Īlium bellō petīvisse, quam ob rem, sī tantum est scelus meum, iacite mē in flūctūs!

Sī pereō, hominum manibus periisse iuvābit!" *606*

Hoc audiēns ipse pater Anchīsēs iuvenī supplicī dextram dedit eumque interrogāvit 'quis esset?' et 'unde venīret?' Ille, victō tandem terrōre, haec respondit: "Ex patriā Ithacā Trōiam profectus sum comes īnfēlīcis Ulixis. Hīc mē sociī, dum trepidī fugiunt, in vāstō Cyclōpis antrō dēseruērunt. Mōnstrum īnfandum est Cyclōps ille nōmine Polyphēmus, quī carne et sanguine hominum miserōrum vescitur! Egomet vīdī eum in mediō antrō iacentem duōs dē nostrō numerō manū prehēnsōs ad saxum frangere ac membra eōrum cruenta dēvorāre! Nec vērō tālia passus est Ulixēs, nam cum Polyphēmus carne vīnōque implētus per antrum iacēret, nōs longam hastam acūtam in oculō eius, quem sōlum in mediā fronte habēbat, dēfīximus: ita tandem sociōs necātōs ultī sumus. — Sed fugite, ō miserī, fugite ac fūnēs nāvium incīdite! Nam quālis Polyphēmus tālēs centum aliī Cyclōpēs īnfandī ad haec curva lītora habitant et in altīs montibus errant."

Vix haec dīxerat, cum ipsum Polyphēmum pāstōrem caecum inter pecudēs suās ambulantem vīdērunt et lītora nōta petentem —

658 *mōnstrum horrendum, īnfōrme, ingēns, cui lūmen adēmptum!*

Postquam ad mare vēnit, vulnus magnō cum gemitū lāvit. Trōiānī vērō celeriter fūnēs incīdērunt et nāvēs rēmīs incitāvērunt. Hoc sēnsit Polyphēmus, sed cum eōs capere nōn posset, clāmōrem horribilem sustulit,

terror -ōris *m* < terrēre

trepidus -a -um = pavidus, timidus

Cyclōps -ōpis *m*

īn-fandus -a -um = horrendus

(carne) vescī = cibō ūtī, (carnem) ēsse

ego-met = ego (ipse)

patī passum = sinere



hasta acūta

aliquem ulcīscī = necem alicuius u.

in-cīdere -disse -sum (< -caedere) = secāre

pecudēs : ovēs

cui lūmen (: oculus) adēmptum *est*

in-citāre = citō movēre

sentīre sēnsisse sēnsum

tollere sus-tulisse sublātum; clāmōrem t. = clāmāre

con-tremēscere -muisse = valdē tremere
cavus -a -um = cuius media pars vacua est
con-currere -risse = in eundem locum currere

Pachȳnum -ī *n*
Lilybaeum -ī *n*
circum-vehere: locum circumvehī = circum locum vehī
Eryx -ycis *m*
Drepanum -ī *n*
Acestēs -ae *m* (*acc* -ēn)
genitor -ōris *m* = pater
ex-cēdere -cessisse; ē vītā e.: morī

sepelīre -īvisse -ultum = (hominem mortuum) terrā operīre
sepulcrum -ī *n* = locus ubi homō sepultus est

quō mare et terrae contremuērunt atque penitus resonuit mōns cavus. Cyclōpēs ē silvīs et altīs montibus ad lītora concurrērunt, unde singulīs oculīs Trōiānōs ē cōnspectū abeuntēs prōspiciēbant.

Trōiānī profugī, postquam Pachȳnum et Lilybaeum prōmunturia circumvectī sunt, tandem sub monte Eryce portum Drepanī petīvērunt, ubi ā rēge Acestā benignē receptī sunt. Hīc Aenēās genitōrem Anchīsēn āmīsit, ille enim cōnfectus aetāte ē vītā excessit — nēquīquam ex tantīs perīculīs ēreptus.

Aenēās, postquam ossa patris in monte Eryce sepelīvit, ex Siciliā atque ā sepulcrō genitōris dīgressus est.

PENSVM A

Dē cāsū ablātīvō

Graecī, cum Trōiam v– capere nōn possent, dol– ūsī sunt: equum ligneum mīlit– armāt– complēvērunt et in lītor– relīquērunt. Mult– spectant– Lāocoōn omn– vīr– equum hast– percussit. Paul– post duo anguēs rēct– vi– eum petunt. Part– mūrōrum dēstrūct– equus host– plēnus magn– labōr– in urbem trahitur fūn–. Velut fēst– di– templa frond– ōrnantur. Equ– patefact– mīlitēs exeunt; occīs– urbis cūstōd– sociōs suōs recipiunt in urbem quae dēfēnsōr– carēbat. Interim Trōiānī sine cūr– dormiēbant, in i– Aenēās, Anchīs– et Vener– de– nātus. Ille clāmōr– et strepit– ē somn– excitātus est.

Cum Priamus gladi– cingerētur, Hecuba, quae vir– prūdentior erat, "Iam nōn tēl– egēmus" inquit, "sed auxili– deōrum!" Dūcent– Vener– Aenēās salvus domum rediit e–dem vi– qu– dom– exierat. Anchīsēs loc– sē movēre nōluit et

"Ipse" inquit "me– man– moriar. Nōlīte me– caus– hīc morārī!"

Prīm– aestāt– Trōiānī duc– Aenē– ex Asi– profectī sunt. In medi– mar– Aegae– est īnsula nōmin– Dēlos, quae Trōiānōs tūt– port– recēpit. Dēl– relict– in Crētam vēnērunt. Ibi Trōiānī foed– pestilenti– afficiēbantur et agrī sōl– flagrant– torrēbantur.

Aedēs Iovis Capitōlīnī mult– magnificentior est cēter– omn–; ea summ– de– digna est. In templum Iovis Statōris senātus e– di– convēnit qu– Cicerō, ōrātiōn– clārissim– habit–, Catilīnam Rōm– expulit. Pāc– terr– mar–que fact– Iānus clauditur.

Polycratēs tant– fēlīcitāt– et tant– glōri– erat ut dī eī invidērent.

PENSVM B

In Crētā Trōiānī foedā — afficiēbantur atque agrī sōle —. Penātēs — [= nocte] vīsī sunt ante lectum Aenēae —, quī Trōiānīs et — eōrum novam terram prōmīsērunt. Ergō ex īnsulā — [= exīre] cōnstituērunt et rūrsus in altum — sunt. Ibi — — [= subitus] sōlem occultāvit ita ut diem noctemque — nōn possent ac nāvēs trēs diēs —que noctēs caecae errārent, — in īnsulās Strophadēs — sunt.

In Ēpīrō Aenēās fāmam — [=vix crēdendam] audīvit: Helenum parte Ēpīrī — esse et Andromachēn, — Hectoris, uxōrem dūxisse. Andromachē in — [=silvā sacrā] dīs Mānibus —. Helenus laetus Trōiānōs — [= recognōvit] eōsque ad convīvium — [= vocāvit]. Tunc ille — dīvīnō ōre rēs futūrās praedīxit.

Charybdis nāvēs in — [= vorāginem] mergit, et Scylla — [↔ fōrmōsa] nāvēs in — perīculōsōs trahit. — [= melius est] tōtam Siciliam — quam illa mōnstra —.

— [= ut prīmum] Italia in cōnspectum vēnit, Anchīsēs — vīnō implēvit et deōs maris — [= potestātem habentēs] invocāvit. Trōiānī in terrā Graecōrum — [< mora] nōlēbant.

Vocābula nova:
pondus
posterī
pestilentia
aequor
nimbus
volucris
unda
vidua
lūcus
iuvencus
gurges
antrum
vātēs
occāsus
aurōra
patera
scopulus
fūmus
lapis
ortus
flētus
terror
genitor
sepulcrum
curvus
tumidus
longinquus
repentīnus
incrēdibilis
extrēmus
īnfōrmis
potēns
supplex
trepidus
īnfandus
horribilis
cavus
condere
potīrī
excēdere

prōvehere
subdūcere
torrēre
adstāre
stupefacere
certiōrem facere
discernere
dēferre
sacrificāre
linquere
agnōscere
exterrēre
pallēscere
invītāre
dīgredī
rērī
praestāre
circumīre
experīrī
morārī
ēdere
ēmittere
sē cōnferre
vescī
incīdere
contremēscere
concurrere
circumvehere
sepelīre
citō
adeō
noctū
interdiū
totidem
quoad
quīcumque
nīmīrum
egomet

Ex Aetnā — flammaeque surgunt atque saxa —que —. In ōrā Cyclōpum vir Graecus accessit cum — [= lacrimīs] precibusque: "Hinc in quās— terrās abdūcite mē!" Anchīsēs virō — [= ōrantī] manum dedit. Mōnstrum horrendum erat Polyphēmus, quī in — obscūrō habitābat et carne hūmānā —. Cum ille accēderet, Trōiānī fūnēs nāvium — [= secuērunt] et — [= celeriter] aufūgērunt. Polyphēmus clāmōrem — [< horrēre] sustulit, quō penitus resonuit mōns —.

In Siciliā Aenēās ossa — [= patris] suī —. Tum ex Siciliā atque ā — patris — est [= discessit].

Fōrma litterae C est līnea —. Onus grave magnum — habet. — est parvus flūctus. Chāonia est pars Ēpīrī —. — est bōs iuvenis. Saxa flūctibus pulsāta fragōrem —.

Synōnyma: (summum) mare et —; avis et —; turgidus et —; pavidus et —; (urbem) cōnstituere et —; relinquere et —; arbitrārī et —; tam valdē et —; scīlicet et —; ego (ipse) et —.

Contrāria: occāsus et —; (nāvem) dēdūcere et — ; propinquus et — ; noctū et —.

PENSVM C

Quid Trōiānī profugī sub monte Īdā fēcērunt?
Quōmodo rēx Thrāciae aurō Priamī potītus est?
Quid deus Apollō Trōiānīs pollicitus est?
Cūr Trōiānī in Crētā manēre nōn potuērunt?
Cūr Palinūrus rēctum cursum tenēre nōn potuit?
Quae īnsulae in marī Īoniō sitae sunt?
Quid fēcit Aenēās in īnsulā Leucadiā?
Ubi Aenēās Andromachēn invēnit?
Quid Andromachē Aenēae nārrāvit?
Cūr Aenēās per fretum Siciliae nāvigāre nōluit?
Quid Andromachē Ascaniō dōnāvit?
Cūr Trōiānī Italiam relīquērunt?
Quid accidit in ōrā Cyclōpum?
Num Polyphēmus Trōiānōs fugientēs vīdit?
Ubi pater Anchīsēs sepultus est?





Ventī

KARTHAGO

[*Ex Vergiliī Aenēidis librō I, solūtīs versibus*]

Iūnō

Urbs antīqua fuit, Karthāgō, in ōrā Āfricae contrā Italiam sita, dīves atque bellicōsa. Hanc urbem Iūnō magis aliīs omnibus dīlēxisse dīcitur, hoc rēgnum omnium gentium esse volēbat. Sed audīverat genus ā Trōiānō sanguine ortum ōlim arcem Karthāginis expugnātūrum esse. Id metuēns et memor veteris bellī quod ad Trōiam prō cārīs Argīs gesserat (nōndum oblīta erat causam īrae ac dolōris: iūdicium Paridis, quī Venerem deam pulcherrimam esse iūdicāverat), Trōiānōs per mare tōtum iactātōs longē ā Latiō arcēbat. Itaque fātīs āctī multōs iam annōs circum omnia maria errābant.

33 *Tantae mōlis erat Rōmānam condere gentem!*

Vix ē cōnspectū Siciliae in altum vēla dabant laetī, cum Iūnō, aeternum vulnus sub pectore servāns, haec

Karthāgō -inis *f*
bellicōsus -a -um = bellī studiōsus
dīligere -lēxisse -lēctum
genus = gēns
ōlim = aliquandō post
memor -oris = quī meminit, reminīscēns (↔ oblītus)
iūdicium -ī *n* = sententia
pulcherrimam: ex tribus deābus Iūnōne, Venere, Minervā
iūdicāre = cēnsēre
arcēre = prohibēre
fāta *pl* = fātum
mōlēs = labor molestus ac difficilis
ventīs vēla dabant
vulnus : dolor

haec sēcum *dīxit*
mē-ne nōn posse? = nōn-ne ego possum?
dis-icere -iēcisse -iectum = in variās partēs iacere
scelus: v. XXXVII. 128

rēgīna -ae *f* = rēgis coniūnx, fēmina rēgnāns
Iovis soror: Sāturnus est pater utrīusque

scēptrum -ī *n* = baculum quō rēgis imperium significātur

Nympha -ae *f*: Nymphae sunt deae minōrēs quae silvās, montēs, flūmina incolunt

im-pellere -pulisse -pulsum = pulsāre
Eurus -ī *m* = ventus quī ab oriente flat
Āfricus -ī *m* = ventus quī ab Āfricā flat
volvere = circum (in orbem) agere/vertere
crēber -bra -brum = frequēns

rigēre = flectī nōn posse

oc-cidere = cadere, interficī, morī
Īliacus -a -um (< Īlium) = Trōiānus
procella -ae *f* = ventus rapidus

sēcum: "Mēne rēgem Teucrōrum ab Italiā āvertere nōn posse? Nōnne Minerva classem Graecōrum ventīs disicere atque submergere potuit ob ūnīus Āiācis scelus? At ego, deōrum rēgīna Iovisque et soror et coniūnx, ūnā cum gente tot annōs bellum gerō!" Tālia animō incēnsō sēcum cōgitāns dea in Aeoliam, nimbōrum patriam, vēnit. Hīc rēx Aeolus in vāstō antrō ventōs tempestātēsque in vinculīs tenet; ipse rēx in celsā arce sedet scēptrum tenēns. Quem tum Iūnō supplex ōrāvit ut classem Aenēae submergeret aut disiceret — et simul eī Nympham suam fōrmā pulcherrimam uxōrem prōmīsit!

Tempestās

Aeolus, ubi haec audīvit, cavum montem hastā impellit, ac ventī velut agmine factō ex antrō ruunt: Eurus Notusque et Āfricus terrās mariaque turbant et vāstōs flūctūs ad lītora volvunt. Subitō nūbēs ātrae caelum occultant atque crēbra fulgura cum tonitrū in tenebrīs micant. Omnia mortem praesentem nautīs ostendunt.

Statim Aenēās manūs frīgore rigentēs ad caelum tendēns exclāmat: "Ō virī beātī, quibus in patriā sub altīs Trōiae moenibus licuit occidere! Utinam ego quoque in campīs Īliacīs animam prō patriā effūdissem!" Dum tālia verba iactat, rapida procella vēla scindit flūctūsque ad caelum tollit. Franguntur rēmī, tum prōrā āversā latus flūctibus pulsātur. Nāvēs aliae summō flūctū tolluntur, aliae inter flūctūs fundum attingunt! Trēs in

saxa latentia abripiuntur, trēs ab altō in vada feruntur, ūnam ante ipsīus Aenēae oculōs ingēns flūctus in puppim ferit atque ter circumagit, tum rapidus vertex eam vorat.

118 *Appārent rārī nantēs in gurgite vāstō...*

Intereā Neptūnus, cum pontum tantā tempestāte miscērī sentīret, graviter commōtus caput ex summā undā extulit et prōspiciēns classem Aenēae per tōtum aequor disiectam vīdit. Tum Eurum Zephyrumque ad sē vocāvit et sīc fātus est: "Iamne audētis, ventī, sine meō nūmine caelum terramque miscēre et tantās tempestātēs excitāre? Ego vōs...! Sed praestat mōtōs flūctūs sēdāre. Properāte domum rēgīque vestrō haec dīcite: nōn illī datum esse imperium pontī saevumque tridentem, sed mihi!" Sīc ait, et dictō citius aequor tumidum sēdāvit, nūbēs collēctās dispulit sōlemque redūxit.

Fessī Aenēadae proxima lītora petentēs ad ōrās Āfricae cursum vertunt. Est in sinū longō locus ubi īnsula portum tūtum efficit inter duōs scopulōs quibus frangitur omnis flūctus. Hūc Aenēās nāvēs septem quae ex omnī numerō supersunt colligit, ac Trōiānī ē nāvibus ēgressī magnō cum gaudiō fessa corpora in lītore sternunt. Ac prīmum Achātēs ignem facit et sociī cibō egentēs frūmentum ūmidum flammīs torrent.

Aenēās intereā scopulum cōnscendit et lātē in mare prōspexit: nāvis in cōnspectū nūlla erat, sed trēs cervōs in lītore errantēs vīdit, quōs grex longō agmine sequē-

ab-ripere < -rapere
vadum -ī *n* = aqua humilis (↔ altum)
ferīre = pulsāre
circum-agere
vertex -icis *m* = aqua quae vertitur, gurges

nāre = natāre

pontus -ī *m* = mare

ex-tulit = sustulit



tridēns -entis *m*: Neptūnī scēptrum

ego vōs *docēbō*...

sēdāre = tranquillum facere (↔ turbāre)

dictō citius = citius quam dictum est
col-ligere -lēgisse -lēctum ↔ spargere
dis-pellere -pulisse -pulsum = in variās partēs pellere
Aenēadae -um *m* = Aenēae sociī, Trōiānī



sinus -ūs *m*



cervus -ī *m*

bātur. Celeriter arcum sagittāsque manū corripuit, quae tēla gerēbat fīdus Achātēs, et prīmum ipsōs ducēs gregis strāvit, tum omnem gregem in silvam ēgit, nec prius dēstitit quam septem ingentia corpora humī iacēbant. Hinc portum repetīvit et praedam omnibus sociīs partītus est. Vīnum deinde, quod iīs ā lītore Siciliae abeuntibus dederat bonus Acestēs, dīvīsit, et hīs dictīs maestōs cōnsōlātus est:

"Ō sociī — neque enim ignārī sumus ante malōrum — *198*
ō passī graviōra, dabit deus hīs quoque fīnem.
Vōs et Scyllaeam rabiem penitusque sonantēs
accēstis scopulōs, vōs et Cyclōpia saxa
expertī. Revocāte animōs maestumque timōrem
mittite! Forsan et haec ōlim meminisse iuvābit!
Per variōs cāsūs, per tot discrīmina rērum
tendimus in Latium, sēdēs ubi fāta quiētās
ostendunt: illīc fās rēgna resurgere Trōiae.
Dūrāte, et vōsmet rēbus servāte secundīs!"

Ita loquitur, et māximīs cūrīs aeger vultū spem simulat. Illī autem, postquam cibō et vīnō vīrēs restituērunt, multum dē sociīs āmissīs loquuntur inter spem metumque dubiī, utrum eōs vīvere crēdant an iam periisse.

Venus genetrīx

Posterō diē, ut prīmum lūx orta est, pius Aenēās exīre cōnstituit et nova loca explōrāre atque quaerere quī hominēs incolerent. Classem sub rūpe in umbrā

sternere strāvisse strātum

praeda -ae *f* = quod capitur vel rapitur

malōrum ignārī sumus

vōs quī graviōra passī *estis*
Scyllaeus -a -um
rabiēs -ēī *f* = īra saeva atque āmēns
accēstis = acce*ssis*tis
Cyclōpius -a -um
expertī *estis*
animus ↔ timor
forsan = fortasse

discrīmen -inis *n* = tempus perīculōsum
tendere (in locum) = īre
fās *est* rēgn*um* Trōiae resurgere
dūrāre = dūrus esse, patiēns esse
vōs-met = vōs
spem simulāre = spem ostendere falsam

ex-plōrāre = īnspicere

rūpēs -is *f* = saxum

arborum occultat; ipse ūnō Achātē comitātus graditur duo tēla manū gerēns. Cui māter Venus in mediā silvā obviam iit vestem et arma virginis vēnantis gerēns, ac prior “Heus” inquit “iuvenēs! Vīdistisne forte sorōrem meam hīc errantem aut vestīgia aprī fugientis sequentem?” Ad haec Veneris fīlius “Sorōrem tuam” inquit “neque audīvī neque vīdī, ō ... — quam tē appellem? — ō, dea certē, nam vultus tibi haud mortālis est nec vōx hūmāna sonat. Forsitan ipsa Diāna sīs, an ūna ē genere Nymphārum? Quaecumque es, sīs nōbīs fēlīx et doceās nōs quō sub caelō et quibus in ōrīs versēmur; namque ignārī et hominum et locōrum errāmus, postquam ventō et flūctibus hūc āctī sumus. Multās hostiās ante ārās tibi immolābimus!”

Tum Venus “Equidem” inquit “tālī honōre mē haud dignam putō. Virgō Karthāginiēnsis sum; nōbīs mōs est arcum sagittāsque gestāre et in silvīs vēnārī. In ōram Libyae vēnistī, in rēgnum Dīdōnis rēgīnae, quae Tyrō, ex urbe Phoenīcēs, hūc profecta est frātrem improbum fugiēns. Huic coniūnx erat Sychaeus, dīvitissimus Phoenīcum. Rēgnum autem Tyrī habēbat frāter Dīdōnis Pygmaliōn, rēx impius atque scelestus. Ille aurī cupidus Sychaeum ante āram clam necāvit factumque diū cēlāvit et multa simulāns viduam maestam falsā spē ēlūsit. Sed in somnīs Dīdōnī appāruit imāgō coniugis mortuī, quī mīrum in modum ōs pallidum tollēns āram cruentam et pectus suum vulnerātum nūdāvit et scelus

ūnō comitātus = ūnum comitem habēns
gradī (< gradus) = ambulāre, prōgredī

ob-viam īre = occurrere
vēnārī = ferās persequī et occīdere

aper aprī *m*



Diāna -ae *f* = Iovis fīlia, dea vēnantium
forsitan (sīs) = fortasse (es)
fēlīx = favēns

ōra = regiō

hostia -ae *f* = bēstia quae immolātur

honōs -ōris *m* = signum laudis, glōria
Karthāginiēnsis -e < Karthāgō
gestāre = gerere

Libya -ae *f* = Āfrica
Tyrus -ī *f*
Phoenīcē -ēs *f*: regiō Syriae maritima; incolae: Phoenīcēs -um *m*
fugere aliquem = fugere ab aliquō
Pygmaliōn -ōnis *m*
im-pius -a -um ↔ pius

clam = occultē

cēlāre = occultāre (↔ patefacere)
ē-lūdere -sisse -sum = fallere ac dērīdēre
ōs : vultus

nūdāre = nūdum facere

thēsaurus -ī *m* = aurī et argentī cōpia occulta

(fugam) parāre = facere quod opus est (ad fugam)

onerāre = onere implēre

Tyriī -ōrum *m* < Tyrus
dē-venīre = pervenīre

tandem : dīcite mihi, rogō



ap-pellere -pulisse -pulsum < ad-pellere

egēns -entis = quī rēbus necessāriīs caret, pauper

quī-cumque = quisquis

quī advēneris (*coni*) = quoniam advēnistī
pergere = īre pergere

līmen : domus

Aquilō -ōnis *m* = ventus quī ā septentriōnibus flat

rēgis omne patefēcit; tum uxōrī suāsit ut celeriter ex patriā excēderet, et simul veterēs thēsaurōs occultōs, ignōtum pondus aurī et argentī, mōnstrāvit. Hōc somniō commōta Dīdō fugam clam parāre coepit ūnā cum iīs quī tyrannum crūdēlem ōderant aut metuēbant. Nāvēs quae forte parātae erant corripiunt onerantque aurō, et avārī Pygmaliōnis opēs per mare āvehuntur, fēminā duce. In haec loca Tyriī dēvēnērunt, ubi nunc ingentia moenia arcemque novae Karthāginis surgentem cernēs. – Sed vōs quī tandem estis? aut quibus ab ōrīs vēnistis? quōve iter facitis?"

Ad haec Aenēās respondit: "Ō dea, sī ā prīmā orīgine repetēns labōrēs nostrōs nārrem, ante vesperum fīnem nōn faciam! Nōs Trōiā antīquā — sī forte ad aurēs vestrās Trōiae nōmen pervēnit — per multa maria vectōs tandem in ōram Libyae tempestās appulit. Sum pius Aenēās, quī Penātēs ex hoste raptōs mēcum classe vehō Italiam novam patriam quaerēns. Vīgintī nāvibus profectus sum, quārum vix septem ē tempestāte supersunt. Ipse ignōtus, egēns per Libyam errō ex Eurōpā atque Asiā pulsus..."

Hīc eum querentem Venus interpellāvit: "Quīcumque es, dīs caelestibus cārus esse vidēris, quī ad urbem Karthāginem advēneris. Perge modo atque hinc tē cōnfer ad līmen rēgīnae! Namque tibi nūntiō sociōs tuōs salvōs esse classemque relātam et in tūtum locum āctam versīs Aquilōnibus. Perge modo quō tē dūcit via!"

Cum hīs verbīs sē āvertēns dīvīnō decōre fulsit. Ille ubi mātrem agnōvit, fugientem tālibus verbīs incūsat: "Ō māter crūdēlis! Quid totiēs fīlium falsīs ēlūdis imāginibus? Cūr dextrās iungere nōn licet ac vērē colloquī?"

decor -ōris *m* (< decēre) = pulchritūdō
fulgēre -sisse
in-cūsāre = accūsāre

At Venus Aenēam et Achātēn gradientēs nebulā circumfūdit, nē quis eōs cernere neu contingere posset. Ipsa Paphum in īnsulam Cyprum abiit, ubi templum illī est, sēdemque suam laeta revīsit.

nebula -ae *f* = nūbēs quae terram operit
circum-fundere
Paphus -ī *f*: oppidum Cyprī cum templō Veneris
Cyprus -ī *f*

Dīdō rēgīna

Intereā Aenēās et Achātēs celeriter prōgressī quō via dūcit iam magnum collem scandunt quī urbī Karthāginī imminet. Inde dēspiciēns Aenēās magnitūdinem urbis novae mīrātur atque cīvium industriam: quōrum pars mūrōs dūcit, pars arcem exstruit et manibus saxa volvit; hīc portum aliī faciunt, hīc magnī theātrī fundāmenta locant aliī ingentēsque columnās ē rūpibus efficiunt.

scandere = ascendere
(urbī) im-minēre = ēminēre suprā (urbem)
industria -ae *f* < industrius
mūrōs dūcere = mūrōs aedificāre
fundāmentum -ī *n* = īnfima pars aedificiī (↔ culmen)

437 *"Ō fortūnātī, quōrum iam moenia surgunt!"*

ait Aenēās alta urbis tēcta suspiciēns, ac nebulā cīnctus (mīrābile dictū!) in urbem penetrat per mediōs hominēs ambulāns neque ab ūllō cernitur.

fortūnātus -a -um = quī bonā fortūnā ūtitur, fēlīx

In mediā urbe Dīdō rēgīna magnificum templum Iūnōnī aedificābat. Hīc prīmum, novā rē oblātā, Aenēās salūtem spērāre ausus est et rēbus suīs melius cōnfīdere: nam rēgīnam opperiēns, dum in ingentī templō singula opera lūstrat, vīdit imāginēs bellī Trōiānī ōrdine pictās.

nova rēs : rēs mīra
oblātā : vīsā
lūstrāre (oculīs) = īnspicere
pingere pīnxisse pictum = colōre operīre, imāginibus ōrnāre

quis locus = quī locus
Achātēs, *voc* -ē
laudī : factīs laudandīs, glōriae
rērum: ob rēs (malās)
mortālia : fāta mortālium (hominum)
tangunt : afficiunt
haec fāma aliquam salūtem tibi feret

Cōnstitit et lacrimāns "Quis iam locus" inquit, "Achātē,
quae regiō in terrīs nostrī nōn plēna labōris?
Ēn Priamus. Sunt hīc etiam sua praemia laudī,
sunt lacrimae rērum et mentem mortālia tangunt.
Solve metūs: feret haec aliquam tibi fāma salūtem!"

bellāre = bellum gerere, pugnāre
premere = armīs petere
īn-stāre = ācriter premere, oppugnāre
Priamus corpus Hectoris fīliī suī ab Achille redēmit

Sīc ait atque oculōs imāginibus pictīs pāscēbat gemēns lacrimīsque vultum perfūdit. Namque vidēbat Graecōs et Trōiānōs bellantēs, hīc Graecōs fugientēs, cum ā Trōiānīs premerentur, hīc Trōiānōs, cum saevus Achillēs īnstāret currū; in aliā parte vidēbātur Trōilus, Priamī fīlius īnfēlīx, armīs āmissīs ab Achille fugiēns, in aliā parte Achillēs quī corpus Hectoris mortuum aurō vēndēbat; tum vērō magnum gemitum dat ut cōnspexit arma, currum atque ipsum corpus amīcī Priamumque manūs inermēs tendentem. Sē quoque cum prīncipibus Graecīs pugnantem agnōvit, atque Penthesilēam, virginem bellantem, quae agmen Amāzonum dūcēbat.

Amāzonēs -um *f* = virginēs quae tamquam virī mīlitant
in-cēdere -cessisse = prōcēdere, gradī
caterva -ae *f* = multitūdō hominum
solium -ī *n* = sēdēs rēgia magnifica
Poenī -ōrum *m* = Karthāginiēnsēs

Haec mīranda dum Aenēās intuētur, dum stupet et fīxus in locō haeret, Dīdō rēgīna, fōrmā pulcherrima, ad templum incessit magnā iuvenum catervā comitāta. Quālis Diāna, cum in rīpīs aut per montēs mīlle Nymphās dūcit ipsa super omnēs ēminēns, tālis erat Dīdō, tālis laeta inter cīvēs gradiēbātur. Tum ante forēs templī in soliō altō cōnsēdit. Lēgēs Poenīs dabat atque opera facienda aequē partiēbātur — cum subitō Aenēās quōsdam sociōs suōs accēdere vīdit, quōs tempestās dispulerat et in aliās ōrās āvēxerat!

Quī postquam ad rēgīnam adductī sunt, Īlioneus, māximus eōrum, sīc ōrsus est: "Ō rēgīna! Miserī Trōiānī, ventīs per omnia maria vectī, tē ōrāmus nē nōs ab ōrīs Āfricae arceās. Nōn vēnimus ut praedam faciāmus — nōn tanta vīs nec tanta superbia victīs est. Trōiā profugī Hesperiam sīve Italiam, terram antīquam, petēbāmus, cum turbidus Auster nōs disiēcit atque paucōs nostrum hūc ad vestrās ōrās compulit. Rēx nōbīs erat Aenēās, quō nēmō iūstior fuit nec magis pius nec bellō fortior; quem sī dī vīvum servant, certē prō beneficiīs grātiam tibi referet, nec tē paenitēbit nōbīs auxilium tulisse. Hoc tantum ōrāmus ut nōbīs liceat classem subdūcere et nāvēs frāctās reficere. Sī rēgem et sociōs salvōs invēnerimus, laetī Italiam petēmus; sīn ille flūctibus periit, at in Siciliam saltem, unde hūc advectī sumus, ad rēgem Acestēn nōs dīmitte!"

Tum breviter Dīdō vultū dēmissō fātur:

565 *"Quis genus Aenĕadum, quis Trōiae nesciat urbem*
virtūtēsque virōsque aut tantī incendia bellī?
Nōn obtūnsa adeō gestāmus pectora Poenī.
569 *Seu vōs Hesperiam magnam Sāturniaque arva*
sīve Erycis fīnēs rēgemque optātis Acestēn,
auxiliō tūtōs dīmittam opibusque iuvābō.
Vultis et hīs mēcum pariter cōnsīdere rēgnīs?
Urbem quam statuō, vestra est. Subdūcite nāvēs!
575 *Atque utinam rēx ipse Notō compulsus eōdem*
afforet Aenēās! Equidem per lītora certōs

ad-dūcere ↔ ab-dūcere

ōrdīrī ōrsum = (loquī) incipere

praedam facere = praedam rapere
superbia -ae *f* < superbus

Auster -trī *m* = Notus
com-pellere -pulisse -pulsum = in eundem locum pellere (↔ dis-pellere)
quō nēmō iūstior est = quī omnium iūstissimus est
pius, *comp* magis p.

paenitēre: mē (*acc*) paenitet ita fēcisse = doleō quod ita fēcī

saltem = tantum (sī alterum nōn datur)

nesciat : nescīre potest

obtūnsus -a -um ↔ acūtus; (animus) o. = quī nihil sentit
Sāturnius -a -um < Sāturnus
fīnēs = terra, regiō

vōs dīmittam

hīs rēgnīs : in hōc rēgnō

: urb*s* quam statuō (= cōnstituō)

af-*foret* = ad-*esset*
certōs : fīdōs

dīmittam et Libyae lūstrāre extrēma iubēbō,
sī quibus ēiectus silvīs aut urbibus errat.”

Hīs dictīs ērēctī Aenēās et Achātēs ē nūbe circumfūsā ērumpere cupiēbant. Prior Aenēam appellat Achātēs: “Quid nunc sentīs, Aenēā? Vidēsne omnia tūta esse et classem sociōsque servātōs, ut dīxit māter tua?”

Vix ea locūtus erat, cum repente scinditur nūbēs et in āera effunditur. Restitit Aenēās in clārā lūce fulgēns, deō similis: namque ipsa Venus fīliō suō decōrem mīrābilem dōnāverat. Tum sīc rēgīnam alloquitur: “Cōram adsum quem quaeritis, Aenēās Trōiānus, ab undīs Libycīs ēreptus. Ō rēgīna, quae sōla īnfandōs Trōiae labōrēs miserāta es, quae nōs domō profugōs atque omnium rērum egentēs in urbem tuam sociōs recipis, grātiās dignās tibi agere nōn possumus — dī tibi praemia digna ferant! Dum fluviī in maria current, dum sīdera in caelum surgent, semper honōs tuus laudēsque manēbunt, quaecumque terrae mē vocant.” Sīc fātus Īlioneō aliīsque amīcīs dextram dedit.

Dīdō cum Aenēam ipsum cōram aspiceret, prīmum obstupuit, deinde sīc locūta est: “Tūne ille Aenēās quem Anchīsēs et Venus genuērunt? Iam prīdem mihi nōtus est cāsus urbis Trōiae nōmenque tuum.

Quārē agite, ō tēctīs, iuvenēs, succēdite nostrīs! 627
Mē quoque per multōs similis fortūna labōrēs
iactātam hāc dēmum voluit cōnsistere terrā.
Nōn ignāra malī miserīs succurrere discō.”

extrēma *loca*

sī in (ali)quibus silvīs aut urbibus

ē-rigere (animum) = novā spē afficere

appellāre = alloquī

Aenēās, *voc* -ā

re-stāre -stitisse

similis -e = quī īdem esse vidētur; deō (*dat*) s. = deī fōrmam gerēns

cōram *adv* = ante oculōs, praesēns

Libycus -a -um < Libya

miserārī = miser esse ob (alicuius malam fortūnam)

sīdus -eris *n* = stēlla

ob-stupēscere -puisse = stupēre incipere, stupēns fierī

gignere genuisse genitum: māter līberōs parit, pater *gignit* /parentēs *gignunt*

(tēctō) suc-cēdere = (tēctum) sub-īre

per multōs labōrēs

mē... *in* hāc terrā cōnsistere voluit

suc-currere = auxilium ferre

Haec memorāns Aenēam in rēgiam dūcit. Intereā ad sociōs in lītore relictōs mūnera ampla mittit: vīgintī taurōs, centum suēs totidemque agnōs cum mātribus. At in rēgiā magnificum convīvium apparātur: triclīnium splendidē ōrnātur, veste pictā purpurāque Tyriā sternuntur lectī, mēnsae vāsīs argenteīs atque aureīs teguntur.

Aenēās autem ad nāvēs praemittit Achātēn, quī Ascaniō haec nūntiet eumque in urbem dūcat. Praetereā mūnera pretiōsissima afferrī iubet: vestem signīs aurōque rigentem, quam Helena sēcum tulerat, atque ōrnāmenta pulcherrima, quae ōlim gesserat fīlia Priamī māxima.

sūs suis *m/f* = porcus

ap-parāre = parāre

purpura -ae *f* = color ruber pretiōsus

prae-mittere
quī nūnti*et*/dūc*at* = ut nūntiet/dūcat



vestis picta

Cupīdō

At Venus nova cōnsilia in animō versat: ut Cupīdō, faciē mūtātā, prō Ascaniō veniat atque rēgīnam amōre incendat! Ille dictō cārae genetrīcis pāret et in faciem Ascaniī mūtātus laetus incēdit rēgia dōna portāns. Cum in aedēs venit, rēgīna iam in lectō mediō accubuit, iam pater Aenēās et iuvenēs Trōiānī super torōs purpurā strātōs discumbunt. Centum ministrī totidemque ministrae mēnsās onerant dapibus et pōcula pōnunt. Etiam Tyriī frequentēs conveniunt et in torīs pictīs iubentur discumbere; mīrantur dōna Aenēae et falsī Iūlī decōrem dīvīnum. Praecipuē īnfēlīx Phoenīssa puerō tuendō incenditur. Ille ubi Aenēam complexus est, rēgī-

versāre = hūc illūc vertere; in animō v. = excōgitāre
faciēs = fōrma
dictum : imperium

ac-cumbere -cubuisse

torus -ī *m* = lectus

minister -trī *m* = servus; ministra -ae *f* = ancilla
dapēs -um *f* = cibus optimus, cēna

Phoenīssa -ae *f*: ex Phoenīcē fēmina (: Dīdō)

nam petit; quae puerum ōsculātur et in gremium suum accipit, īnscia quantus deus in gremiō sedeat! At Cupīdō paulātim Sychaeum ē memoriā Dīdōnis abolēre incipit et animum eius vīvō amōre accendere temptat.

Postquam mēnsae remōtae sunt, optima vīna appōnuntur. Fit strepitus et vōcēs per ampla ātria resonant. Lucernae accēnsae dē tēctō aurātō pendent et facēs ārdentēs noctem flammīs vincunt. Hīc rēgīna pateram auream gemmātam poposcit implēvitque merō, tum silentiō in rēgiā factō Iovem precāta est ut ille diēs Tyriīs Trōiānīsque fēlīx esset, itemque Bacchum et Iūnōnem invocāvit. Quō factō vīnum in mēnsam lībāvit et prīma ex paterā bibit, deinde ex ōrdine aliīs dedit. Intereā Iōpās, fidicen nōbilissimus, cantū suō mīrābilī Tyriōs Trōiānōsque pariter dēlectābat.

Sed īnfēlīx Dīdō noctem variō sermōne trahēbat,
multa super Priamō rogitāns, super Hectore multa: *750*
"Immō, age, et ā prīmā dīc, hospes, orīgine nōbīs *753*
īnsidiās" inquit "Danaum cāsūsque tuōrum
errōrēsque tuōs. Nam tē iam septima portat
omnibus errantem terrīs et flūctibus aestās."

[*Hinc incipit Aenēidis liber II*:]

Conticuēre omnēs intentīque ōra tenēbant.
Inde torō pater Aenēās sīc ōrsus ab altō:
"Īnfandum, rēgīna, iubēs renovāre dolōrem...
Sed sī tantus amor cāsūs cognōscere nostrōs *10*

īn-scius -a -um = nesciēns, ignārus
paulātim = paulum ac paulum (↔ subitō)
ab-olēre = dēlēre
temptāre = cōnārī

fax facis *f*



lībāre = sacrificiī causā effundere

Iōpās -ae *m*

(tempus) trahere = prōdūcere

ā prīmā orīgine
īnsidiae -ārum *f* = dolus occultus
error -ōris *m* < errāre
iam septima aestās tē portat errantem : iam septimum annum errās *in* omnibus terrīs

con-ticēscere -cuisse = tacitus fierī
-ēre = *-ērunt*
intentus = attentus
sīc ōrsus *est* ab altō torō

sī tantus amor *tibi est* cognōscere : sī tam cupis cognōscere

et breviter Trōiae suprēmum audīre labōrem,
quamquam animus meminisse horret lūctūque refūgit,
incipiam."

Tum intentīs omnibus nārrāvit quae ipse vīderat: ut Graecī Trōiam īnsidiīs cēpissent atque incendissent, ut ipse cum patre et fīliō ex urbe flagrantī fūgisset et fātō pulsus per maria errāvisset. Postquam fūnus patrī in Siciliā factum memorāvit, conticuit tandem atque hīc fīne factō quiētī sē dedit.

re-fugere
ā lūctū refūgit

ut = quōmodo

fūnus -eris *n*: f. facere (patrī) = ossa (patris) sepelīre

quiēs -ētis *f* = tempus quiētum, somnus

PENSVM A

Dē cāsū accūsātīvō

Trōiānī mult– iam ann– per omn– mar– errābant. Neptūnus, ut class– disiect– vīdit, flūct– sēdāvit, nūb– collēct– dispulit sōl–que redūxit. Aenēās Itali– nov– patri– quaerēns in Āfric– dēlātus est. Venus fīli– su– certiōr– fēcit 'soci– salv– esse class–que in tūt– loc– āct–.' Aenē– paenitēbat Creūs– uxōr– Trōiae relīquisse. Aenēās: "Heu m– miser–! Numquam dom– redībō!" Venus Cupīdin– prō Ascaniō ad Dīdōn– īre iussit. Ille, ubi Aenē– complexus est, rēgīn– petīvit; quae puer– ōsculāta est et in gremi– accēpit.

Multae viae Rōm– ferunt. Circus Māximus trecent– pass– longus est. Pompēius Iūli–, fīli– Iūliī Caesaris, uxōr– dūxit. Senātus C. Octāviān– 'August–' nōmināvit. Augustus urb– Rōm– in XIV regiōn– dīvīsit. Nerva ann– tantum et IV mēns– imperāvit. Nerō, qu– populus tyrann– appellābat, dom– aure– aedificāvit. Rōmul– rēg– nōn pudēbat in casā habitāre. Rōmānī Brūt– cōnsul– fēcērunt.

Graecī Rōmān– litter– et art– poētic– docuērunt.

Vocābula nova:
iūdicium
rēgīna
scēptrum
Eurus
Āfricus
procella
vadum
vertex

pontus
tridēns
cervus
praeda
rabiēs
discrīmen
rūpēs
aper
hostia
honōs
thēsaurus
Aquilō
decor
nebula
industria
fundāmentum
caterva
solium
superbia
Auster
sīdus
sūs
purpura
torus
ministra
dapēs
fax
īnsidiae
error
fūnus
quiēs
bellicōsus
memor
crēber
impius
egēns
fortūnātus
obtūnsus
īnscius
intentus
iūdicāre
arcēre
disicere
impellere
volvere
rigēre
abripere
ferīre
circumagere
nāre
sēdāre
colligere
dispellere

PENSVM B

Iūnō īrāta erat ob — Paridis, quī Venerem deam pulcherrimam esse — [= cēnsuerat]; eius reī — [= reminīscēns] Trōiānōs ab Italiā — [= prohibēbat]. Tempestās classem Aenēae —, sed Neptūnus, cum vidēret — [= mare] — [= ventīs rapidīs] turbārī, mōtōs flūctūs — et nūbēs —. In lītore Aenēās septem — occīdit; hanc — sociīs dēspērantibus dīvīsit, dum ipse laetō vultū spem —. Posterō diē, dum nova loca —, Venus eī — iit arcum sagittāsque — [= gerēns] Diānae deae —, quae in silvīs — solet.

Pygmaliōn, rēx — [↔ pius] et avārus, cum Sychaeum — [= occultē] necāvisset, scelus diū — et Dīdōnem viduam falsā spē —. Sed eī in somnīs appāruit vir mortuus, quī pectus vulnerātum — et rēgis — occultōs mōnstrāvit. Dīdō nāvēs aurō — [< onus] et in Āfricam fūgit, nec posteā eam — ex patriā fūgisse.

Dēspiciēns ex colle quī Karthāginī — Aenēās vīdit cīvēs quī magnā — [< industrius] novārum aedium — locābant. Dīdō rēgīna magnā — comitāta — [= prōcessit] et in altō — cōnsēdit. Quae cum Aenēam cōram aspiceret, prīmum —, tum sīc — est [= loquī coepit]: "Tūne ille Aenēās quem Anchīsēs et Venus —?"

In rēgiā convīvium — [= parātur]: — [= lectī] Tyriā — sternuntur, ministrī mēnsās — [= cibō] onerant. Lucernae dē tēctō — et multae — ārdent. Omnibus — [= attentīs] Aenēās nārrābat dē — [= dolō] Graecōrum et dē — [< errāre] suīs. Postquam — patrī factum memorāvit, — tandem atque — sē dedit.

Karthāginiēnsēs, hominēs — [= bellī studiōsī], saepe cum Rōmānīs — [= pugnāvērunt]. Tridēns est — Neptūnī. — est bēstia quae immolātur, ut — [= porcus], ovis, taurus. — est sūs ferus. Nūbēs quae terram operit — dīcitur. Trōiānī, sī in Italiam īre nōn possunt, in Siciliam — īre cupiunt.

Synōnyma: gurges et —; saxum et —; pulchritūdō et —; glōria et —; Notus et —; stēlla et —; frequēns et —; nesciēns

et —; fēlīx et —; pulsāre et — et —; circumagere et —; natāre et —; ambulāre et —; accūsāre et —; subīre et —; ascendere et —; auxilium ferre et —; dēlēre et —; cōnārī et —.


Contrāria: altum et —; Auster et —; acūtus et —; spargere et —; abdūcere et —; dispellere et —; subitō et —.

PENSVM C

Ubi sita est Karthāgō?
Quae est Iūnō?
Cūr Iūnō Trōiānōs ōderat?
Quid est Aeolī officium?
Quid fēcit Neptūnus cum mare turbārī sentīret?
Quō Trōiānī tempestāte dēlātī sunt?
Quid Aenēās sociīs suīs partītus est?
Quōmodo sociī vīrēs restituērunt?
Quae dea in silvā Aenēae obviam iit?
Cūr Aenēās mātrem suam prīmō nōn agnōvit?
Quid Venus fīliō suō nārrāvit?
Quid vīdit Aenēās ex colle dēspiciēns?
Cūr nēmō Aenēam Karthāginem intrantem vīdit?
Quae imāginēs in novō templō pictae erant?
Quid Īlioneus ā Dīdōne petīvit?
Num urbs Trōia Dīdōnī ignōta erat?
Quōmodo Dīdō Aenēam et sociōs eius recēpit?
Quod cōnsilium Venus excōgitāvit?
Quid Cupīdō effēcit in gremiō Dīdōnis sedēns?
Quid Dīdō Aenēam hortāta est?

resurgere
dūrāre
simulāre
explōrāre
gradī
vēnārī
gestāre
cēlāre
ēlūdere
nūdāre
onerāre
dēvenīre
appellere
incūsāre
circumfundere
scandere
imminēre
lūstrāre
pingere
bellāre
īnstāre
incēdere
addūcere
ōrdīrī
compellere
paenitēre
miserārī
obstupēscere
gignere
succēdere
succurrere
apparāre
praemittere
versāre
abolēre
temptāre
pendēre
lībāre
conticēscere
forsan
vōsmet
obviam
clam
saltem
paulātim

rogus Dīdōnis



INFELIX DIDO

[*Ex Vergiliī Aenēidis librō IV, solūtīs versibus*]

Flamma amōris

At rēgīna iam caecō amōre flagrat. Magna virī virtūs et gentis honōs in animō versātur, vultus verbaque haerent fīxa in pectore, neque cūra membrīs placidam quiētem dat.

Prīmā lūce Annam sorōrem sīc alloquitur: "Anna soror! Quālis hospes tēctīs nostrīs successit, quam nōbilis, quam fortis! Equidem nōn dubitō quīn deā nātus sit. Heu, quam ille fātīs iactātus est! Quae bella exhausta nārrābat! Nisi certum mihi esset nūllī virō coniugiō mē iungere, postquam prīmus amor mē morte fefellit, huius ūnīus amōrī forsitan succumbere potuī! Fateor enim, Anna: post mortem miserī Sychaeī coniugis hic sōlus animum meum flexit — agnōscō veteris vestīgia flammae! Sed velim prius terra mē dēvoret vel Iuppiter

in pectore : in animō
placidus -a -um = quiētus, nōn turbātus (↔ ācer)

dubitō num ita sit ↔ *nōn dubitō quīn* ita sit (= crēdō ita esse)
(labōrēs) exhaurīre = perferre
coniugium -ī *n* = coniugum vīta commūnis
fallere fefellisse falsum

suc-cumbere -cubuisse ↔ resistere; reī s. = rē vincī

flectere -xisse -xum

velim (+ *coni*) = utinam

mē fulmine percutiat, quam pudōrem solvō aut fidem fallō!

28 *Ille meōs, prīmus quī mē sibi iūnxit, amōrēs*
abstulit; ille habeat sēcum servetque sepulcrō!"

Ad haec Anna "Ō soror mea dīlēcta!" inquit, "Sōlane maerēns aetātem agēs? Nec dulcēs līberōs nec Veneris dōna nōveris? Crēdisne cinerem aut Mānēs sepultōs fidem nostram cūrāre? Iūre quidem anteā rēgēs Libyae tē petentēs dīmīsistī — etiamne placitō amōrī repugnābis? Nōnne tibi in mentem venit quī hostēs nōs cingant: Gaetūlī Numidaeque, gentēs invictae, et frāter tuus Pygmaliōn, quī Tyrō bellum minātur? Equidem reor nūmine deōrum nāvēs Trōiānās hūc cursum tenuisse. Quanta erit potentia Poenōrum, quanta glōria tua, soror, sī cum duce Trōiānōrum tē coniūnxeris! Tū modo sacrificiīs ā dīs veniam pete!"

Hīs dictīs animum sorōris amōre īnflammāvit et mentī dubiae spem dedit atque pudōrem solvit. Prīmō templa adeunt, ut ā dīs veniam petant: multās hostiās Cererī, Phoebō Līberōque immolant et ante omnēs Iūnōnī, cui coniugia cūrae sunt. Sed quid sacrificia mulierem furentem iuvant? Vulnus sub pectore vīvit, flammā amōris ūritur īnfēlīx Dīdō. Nunc per mediam urbem Aenēam sēcum dūcit et opēs suās urbemque novam ostentat. Loquī incipit — et in mediō sermōne cōnsistit. Nunc novum convīvium hospitī suō parat, iterumque labōrēs Trōiānōrum audīre poscit. Postquam

fulmen -inis *n* = fulgur quod terram percutit
fidēs = prōmissum

ille quī prīmus..., meōs amōrēs abstulit
in sepulcrō

dīlēctus -a -um = quī dīligitur, cārus
aetātem/vītam agere = vīvere
cinis -eris *m* = quod igne relinquitur, ossa cremāta
Mānēs : mortuōs
placitus -a -um = quī placet, grātus
Gaetūlī -ōrum, Numidae -ārum *m* : gentēs Āfricae
in-victus -a -um = nōn victus, quī vincī nōn potest

potentia -ae *f* < potēns

venia -ae *f* = grātia quā ignōscitur factō
īn-flammāre = incendere

Līber -erī *m* = Bacchus

rēs mihi cūrae (*dat*) est = rem cūrō
furere = āmēns esse

ostentāre = glōriōsē ostendere

mediā nocte dīgressī sunt cēterī, ea sōla in domō vacuā maeret lectōque Aenēae relictō incumbit: illum absentem et audit et videt.

in-cumbere lectō (*dat*) = in lectō cubantem sē pōnere



Dīdō et Aenēās vēnātum eunt

Fāma vēlōx

Aenēās autem ūnā cum Dīdōne vēnātum īre parat. Prīmā lūce rēgīna prōgreditur Poenīs prīncipibus comitāta, ac simul Aenēās cum agmine Trōiānōrum exit. Postquam in altōs montēs ventum est, caprae ferae dē saxīs dēsiliunt et cervī campōs et vallēs cursū petunt. At puer Ascanius ācrī equō vectus iam eōs praeterit aprum aut leōnem quaerēns.



capra -ae *f*

ventum est (ab iīs) : vēnērunt

praeter-īre

Intereā caelum tonitrū miscērī incipit; īnsequitur imber grandine mixtus, et Tyriī et Trōiānī undique tēcta petunt, dum amnēs dē montibus ruunt. Dīdō et dux Trōiānus in eandem spēluncam dēveniunt, dūcente Iūnōne. Ille diēs malōrum rēgīnae atque mortis prīma causa fuit. Neque enim fāmam respicit Dīdō, neque iam amōrem suum cēlāre cōnātur: 'coniugium' vocat, hōc nōmine sē excūsāt...

īn-sequī = sequī

grandō -inis *f*



spēlunca -ae *f* = antrum

respicere = cūrāre

Extemplō Fāma per urbēs Libyae it, Fāma quā nōn aliud malum ūllum vēlōcius est — mōnstrum horren-

extemplō = statim
quā nōn malum ūllum vēlōcius est = quae est malum vēlōcissimum omnium

dum, ingēns, cui, quot sunt plūmae in corpore, tot vigilēs oculī sunt, tot linguae, tot aurēs. Haec tum variō sermōne aurēs hominum complēbat gaudēns, et pariter vēra ac falsa nārrābat: 'Aenēam Trōiā vēnisse, cum quō virō pulchra Dīdō concubuisset; eōs nunc rēgnī oblītōs in luxū hiemem agere, turpī cupīdine captōs!'

plūma -ae *f* = penna
vigil -is = vigilāns
con-cumbere -cubuisse = eīdem lectō incumbere
luxus -ūs *m* = vīta nimis magnifica
cupīdō -inis *f* = cupiditās

Nūntius deōrum

Iuppiter vērō, ubi haec audīvit, Mercurium sīc alloquitur et haec mandat: "Age vāde, fīlī, et dēfer mea dicta per aurās ad ducem Dardanium, quī nunc Karthāgine morātur neque fātōrum prōmissa respicit. Nōn ideō genetrīx pulcherrima illum ab armīs Grāiōrum bis servāvit, sed ut Italiam regeret et posterī eius Rōmānī tōtum orbem sub lēgēs subicerent. Sī ipse tantārum rērum glōriā nōn accenditur, num Ascaniō fīliō pater rēgnum invidet? Quid struit? aut quā spē in gente inimīcā morātur? Nāviget! Hoc est mandātum nostrum!"

mandāre = trādere (rem agendam), imperāre
Dardanius -a -um = Trōiānus
sub-icere -iēcisse -iectum (< -iacere) = sub imperiō pōnere
invidēre = dare nōlle
struere = parāre, excōgitāre
mandātum -ī *n* = imperium
nostrum : meum

Mercurius statim patris imperiō pāret: ālās pedibus nectit atque avī similis volat inter terrās caelumque ad lītus Āfricae. Ut prīmum terram ālātīs pedibus tetigit, Aenēam novam arcem aedificantem cōnspexit. Erat illī ēnsis gemmīs fulgēns et amictus ex Tyriā purpurā, mūnera Dīdōnis. Continuō Mercurius "Tū nunc" inquit "uxōrius altae Karthāginis fundāmenta locās pulchramque urbem exstruis, oblītus rēgnī rērumque tuārum! Ipse rēx deōrum dē clārō Olympō mē dēmīsit, ipse haec

nectere -xisse -xum = vinculō iungere
ālātus -a -um = quī ālās gerit
amictus -ūs *m* = pallium
uxōrius -a -um = quī uxōrem habet

mandāta ad tē ferre iussit: Quid struis? aut quā spē in terrīs Libycīs morāris? Sī tē nōn movet tanta glōria futūra, at respice Ascanium fīlium, cui rēgnum Italiae dēbētur!" Haec locūtus deus ex oculīs Aenēae in tenuēs aurās ēvānuit.

Aenēās vērō obmūtuit āmēns, tantō imperiō deōrum attonitus. Heu, quid agat? quibus nunc verbīs audeat rēgīnam adīre furentem? unde ōrdiātur? Ita animum dubium nunc hūc nunc illūc in variās partēs versat. Postrēmō Trōiānōs prīncipēs advocat iīsque mandat ut classem clam ōrnent, arma parent sociōsque ad lītora cōgant. Quī omnēs laetī imperiō pārent.

At rēgīna — quis amantem fallere potest? — dolum praesēnsit; namque Fāma eī dētulit 'armārī classem cursumque parārī.' Saeva atque āmēns Aenēam hīs verbīs appellat: "Quid? Spērāsne, perfide hospes, tē tantum nefās dissimulāre posse et meā terrā clam dēcēdere? Ergō nec noster amor nec dextra data tē tenet nec Dīdō crūdēliter moritūra? Quīn etiam hībernō tempore classem ōrnās et per mediōs Aquilōnēs nāvigāre properās! Mēne fugis? Ego per hās lacrimās, per dextram tuam, per cōnūbium nostrum tē ōrō: sī quid bene dē tē meruī, aut sī tibi dulce fuit quidquam meum, miserēre meī et mūtā istam mentem! Propter tē gentēs Libyae mē ōdērunt atque Tyriī mihi īnfēnsī sunt, propter tē pudōrem et fāmam exstīnxī. Cui mē moribundam dēseris? Quid moror? an dum frāter Pygmaliōn mea moenia dēstruat

ē-vānēscere -nuisse ↔ appārēre
ob-mūtēscere -tuisse = mūtus fierī
attonitus -a -um = stupefactus

ad-vocāre

ōrnāre = parātum facere

cōgere = convenīre iubēre

prae-sentīre

per-fidus -a -um = quī fidem fallit
ne-fās *indēcl n* ↔ fās
dis-simulāre = simulandō cēlāre
dē-cēdere = excēdere
dextra : prōmissum
hībernus -a -um: hībernum tempus = hiems

cōnūbium -ī *n* = coniugium
bene merēre dē aliquō = bene facere alicui
miserērī (alicuius) = miserārī (aliquem)
nōm ego tū, *gen* meī tuī
īnfēnsus -a -um = inimīcissimus (↔ benignus)
moribundus -a -um = moriēns

aut Iarbās, rēx Gaetūlōrum, captam mē abdūcat? Sī saltem īnfantem dē tē habērem, sī quī parvulus Aenēās in aulā meā lūderet quī memoriam tuī referret, nōn omnīnō dēserta vidērer..."

Dum illa loquitur, Aenēās cūram suam dīligenter dissimulābat nec oculōs dēmīsit. Tandem paucīs respondit: "Numquam, rēgīna, negābō tē bene meritam esse dē mē, nec mē paenitēbit tuī meminisse, dum memoria mihi est, dum animam dūcō! Prō rē pauca loquar: Neque ego spērāvī hanc fugam cēlārī posse, nec umquam tē uxōrem dūxī aut coniugium tibi prōmīsī. Nunc Italiam petere dī immortālēs mē iubent: hic amor, haec patria est mihi. Quotiēs nox terrās operit, quotiēs astra surgunt, imāgō patris Anchīsae in somnīs mē admonet. Nunc etiam nūntius deōrum ab ipsō Iove missus mandāta ad mē dētulit, ipse deum in clārō lūmine vīdī mūrōs intrantem vōcemque eius hīs auribus audīvī. Dēsine querēllīs tuīs et mē et tē incendere! Nōn meā sponte Italiam petō."

Eum tālia dīcentem Dīdō āversa intuētur hūc illūc volvēns oculōs, et sīc īrā accēnsa fātur: "Nōn est tibi dīvīna parēns, perfide, sed dūra saxa tē genuērunt tigrēsque ūbera tibi admōvērunt! In lītus ēiectum, egentem tē excēpī et — dēmēns — partem rēgnī dedī, classem āmissam restituī, sociōs ā morte servāvī! Nunc dī tē abīre iubent! Itane vērō? Putāsne eam rem dīs superīs cūrae esse? Neque tē teneō neque dicta tua

Iarbās -ae *m*


sī quī... = sī aliquī...

aula -ae *f* = rēgia
tuī (*gen*): dē tē
omnīnō = in omnī rē, plānē

merērī -itum esse (*dēp*) = merēre -uisse

quotiēs = totiēs quotiēs
astrum -ī *n* = stēlla
ad-monēre = monēre

querēlla -ae *f* < querī
(meā) sponte = meā voluntāte, per mē



tigris -is *f*
ūber -eris *n*

ad-movēre
ex-cipere -cēpisse -ceptum = recipere
dē-mēns -entis = āmēns

refellō: ī, pete rēgnum Italiae per undās! Spērō equidem tē in mediīs scopulīs peritūrum et nōmine 'Dīdōnem' saepe vocātūrum! Dabis, improbe, poenās!"

Hīs dictīs medium sermōnem abrumpit et aegra ex oculīs aufugit, linquēns eum cūnctantem et multa dīcere parantem. Famulae eam collāpsam suscipiunt, in marmoreum thalamum referunt et in lectō pōnunt.


At pius Aenēās, quamquam amīcam dolentem sōlārī cupit, tamen iussa deōrum exsequitur classemque revīsit. Ibi vērō Trōiānī studiōsē labōrant, rōbur ē silvīs cōnferunt et iam dē tōtō lītore nāvēs celsās dēdūcunt. Novae carīnae natant, sociī tōtā ex urbe concurrunt.

Quō tum dolōre Dīdō afficiēbātur tālia cernēns! Quōs gemitūs dabat, cum ex summā arce prōspiciēns lītus et mare turbā hominum et nāvium miscērī vidēret! Iterum precibus lacrimīsque animum virī temptat. Nōn iam coniugium ōrat neque ut rēgnō Latiī careat, sed ut tempus ad nāvigandum idōneum exspectet et ventōs secundōs. Moram brevem petit 'dum fortūna sē dolēre doceat!' Ita supplex implōrat, sed ille nec flētū nec precibus movētur: fāta obstant.

Rogus Dīdōnis

Tum vērō īnfēlīx Dīdō fātīs exterrita mortem ōrat; taedet eam vītae. Multa prōdigia eam monent ut lūcem relinquat: cum sacrificium faceret, vīdit vīnum sacrum in foedum cruōrem sē vertere; nocte obscūrā vōx Sy-

re-fellere -fellisse = falsum esse dēmōnstrāre
peritūrum *esse*
poenās dare = pūnīrī
ab-rumpere = subitō fīnīre
cūnctārī = dubiē morārī
famula -ae *f* = ancilla
sus-cipere = capere et sustinēre
thalamus -ī *m* = cubiculum coniugum
sōlārī = cōnsōlārī
iussum -ī *n* = quod iubētur, imperium
ex-sequī = perficere



carīna -ae *f* = trabs nāvis īnfima

temptāre = experīrī

im-plōrāre = plōrandō ōrāre
ob-stāre = viam claudere, prohibēre



rogus -ī *m*

taedēre: t. et mē reī (*gen*) = rēs mihi molesta est
lūcem : vītam

chaeī vocantis exaudīta est, atque in somnīs ipse ferus Aenēās eam furentem prae sē agit. Multa praetereā vātum praedicta eam terrent.

Ergō ubi dolōre victa morī cōnstituit, tempus modumque ipsa sēcum reputat, et sorōrem alloquitur vultū serēnō cōnsilium cēlāns ac spem simulāns: "Invēnī ratiōnem, Anna, quae mihi reddat eum aut amōre eius mē solvat: sacerdōs quaedam ex gente Massȳlōrum dīcit 'carminibus sē mentēs aegrās cūrīs exsolvere posse.' Tū in rēgiā interiōre sub dīvō ērige rogum, et arma virī, quae in thalamō fīxa relīquit, exuviāsque omnēs lectumque iugālem, quō periī, super impōne! Cūncta virī impiī monumenta abolēre volō itaque mē iubet sacerdōs." Haec locūta silet ōre pallidō. Nōn tamen Anna intellegit sorōrem furentem fūnus parāre. Ergō iussa peragit.

Rogō ingentī in rēgiā ērēctō, rēgīna locum flōribus et fronde exōrnat; super rogum exuviās et ēnsem relictum effigiemque Aenēae in torō locat. Circum stant ārae, et sacerdōs crīnibus passīs deōs īnferōs invocat, dum ipsa Dīdō moritūra iūxtā altāria precātur.

Nox erat, et fessa corpora placidē dormiēbant sub nocte silentī — at nōn īnfēlīx Phoenīssa! Renovantur cūrae rūrsusque surgit amor et īra: "Ēn, quid agam? Sōlane fugiēns nautās ovantēs supplex comitābor? an classe meā eōs persequar et cīvēs meōs, quōs ex urbe Tyrō vix ēripere potuī, rūrsus in mare agam et ventīs vēla dare iubēbō?

praedictum -ī *n* = quod praedictum est

re-putāre (rem) = cōgitāre (dē rē)
(vultus) serēnus = placidus
ratiō -ōnis *f* = modus agendī, cōnsilium

Massȳlī -ōrum *m*: gēns Āfricae
ex-solvere = līberāre
dīvum -ī *n* = caelum apertum
ērigere = altē exstruere
exuviae -ārum *f* = vestīmenta
lectus iugālis = lectus coniugum

per-agere = perficere, exsequī

effigiēs -ēī *f* = imāgō

altāria -ium *n* = āra

ovāre = superbē gaudēre

quīn + *imp* = age
āverte : prohibē
discessus -ūs *m* < discēdere
dūcere somnōs = dormīre
circum-stāre
deinde = posthāc
versāre : reputāre
praeceps -cipitis: p. īre = (sē)praecipitāre=ruere, properāre
potestās *est tibi* : potes
trabs : nāvis
col-lūcēre = lūcēre
fervere/-ēre = ārdēre
in hīs terrīs morantem
heia! (*interiectiō*)
*ab*rumpe morās
mūtābilis -e = quī facile mūtātur
im-miscēre < in-
vīsum -ī *n* = quod vidētur
aethēr -eris *m* = āēr summus, caelum
festīnāre = properāre

vāgīna -ae *f*
ārdor -ōris *m* = studium ārdēns
ter quater-que : iterum iterumque
prō! = ō! heu!
advena -ae *m* = is quī advenit
il-lūdere -sisse (+*dat*) = ēlūdere

Quīn morere, ut merita es, ferrōque āverte dolōrem!" *547*

Aenēās autem, omnibus rēbus ad discessum parātīs, in celsā puppī dormiēbat. Huic in somnīs rūrsus sē obtulit deus Mercurius et ita monuit:

"Nāte deā, potes hōc sub cāsū dūcere somnōs? *560*
Nec quae tē circumstent dēinde perīcula cernis,
dēmēns, nec Zephyrōs audīs spīrāre secundōs?
Illa dolōs dīrumque nefās in pectore versat...
Nōn fugis hinc praeceps, dum praecipitāre potestās? *565*
Iam mare turbārī trabibus saevāsque vidēbis
collūcēre facēs, iam fervere lītora flammīs,
sī tē hīs attigerit terrīs aurōra morantem.
Heia age, rumpe morās! Varium et mūtābile semper
fēmina!" Sīc fātus noctī sē immiscuit ātrae.

Hōc vīsō exterritus Aenēās ē somnō sē corripit sociōsque excitat: "Vigilāte, virī, et capite rēmōs! Solvite vēla citō! Ecce deus ab aethere missus iterum nōs iubet fugam festīnāre ac fūnēs incīdere. Imperiō deī ovantēs pāreāmus!" Hoc dīcēns ēnsem fulgentem ē vāgīnā ēripit et fūnēs incīdit. Īdem omnium ārdor fuit, mox cūncta classis lītus dēseruit.

Et iam prīma aurōra terrās novō spargēbat lūmine. Rēgīna, ut prīmum ex altā turrī vīdit classem plēnīs vēlīs prōcēdere, ter quaterque pulchrum pectus manū percutiēns et comās scindēns "Prō, Iuppiter!" ait, "Abībit advena, et rēgnō nostrō illūserit? Cūr nōn arma capient tōtāque ex urbe sequentur? Īte, ferte flammās,

date tēla, solvite nāvēs! — Quid loquor? aut ubi sum? Quae īnsānia mentem mūtat? Īnfēlīx Dīdō, nunc dēmum facta impia tē tangunt! Ēn fidēs eius quem patriōs Penātēs sēcum portāre āiunt et parentem aetāte cōnfectum umerīs subiisse! Nōnne ego eum et sociōs et ipsum Ascanium ferrō absūmere potuī? Etiam sī pugnae fortūna dubia fuisset, quem metuī moritūra? Facēs in castra tulissem, carīnās flammīs dēlēvissem, fīlium et patrem cum genere exstīnxissem — et ipsa mēmet super eōs iēcissem!

"Ō Sōl, quī omnia terrārum opera flammīs tuīs illūstrās, tūque Iūnō, testis hārum cūrārum, et Furiae ultrīcēs, audīte precēs nostrās: Sī necesse est virum impium terram Italiae attingere et sīc fāta poscunt — at bellō et hostium armīs ex fīnibus suīs pulsus auxilium implōret videatque indigna suōrum fūnera! Nec in pāce rēgnō fruātur, sed ipse ante diem cadat īnsepultus! Haec precor, cum hīs precibus extrēmīs sanguinem effundō. — Tum vōs, ō Tyriī, omne genus eius futūrum exercēte odiō: hoc mūnus date cinerī nostrō! Nūlla amīcitia sit inter populōs nostrōs! Exoriātur aliquis ex nostrīs ossibus ultor, quī ignī ferrōque colōnōs Dardaniōs persequātur nunc, ōlim, quōcumque tempore vīrēs dabuntur!"

Sīc ait, et oculōs sanguineōs volvēns, pallida morte futūrā, altum rogum cōnscendit ēnsemque Aenēae ēdūxit — mūnus nōn in hunc ūsum datum!

tangunt : afficiunt
fidēs -eī *f* = animus fīdus

umerīs subīre : umerīs sustinēre
absūmere : occīdere

tulissem : ferre potuī

exstinguere = perdere
mē-met = mē

Furiae -ārum *f*: trēs deae quae hominēs scelestōs pūniunt
deus ul*tor* -ōris *m*; dea ul*trīx* -īcis *f*
nostrās : meās
at = tantum, saltem

fūnus : caedēs

ante diem = ante tempus
īn-sepultus
extrēmus = ultimus, postrēmus
exercēre : persequī

ex-orīrī = orīrī
(ultor : *Hannibal*)
ignī *abl* = ign*e*
colōnus = vir quī patriā relictā novam terram incolit

sanguineus -a -um = sanguine plēnus

ūsus -ūs *m* < ūtī

cubīle -is *n* = lectus

lacrimīs et mente: lacrimāns et cōgitāns
novissimus = ultimus

dulcēs dum fāta...

cursum quem fortūna *mihi* dederat perēgī

ulta : ulcīscēns
poenās ab eō recipiō = is mihi poenās dat (ā mē pūnītur)
nimium *adv* = nimis
lītora nostra

ōs (*acc*) impressa torō = postquam ōs torō impressit
sub umbrās : ad Īnferōs
ferrō (*dat*) = in ferrum (: ēnsem)

Hīc, postquam Īliacās vestēs nōtumque cubīle
cōnspexit, paulum lacrimīs et mente morāta
incubuitque torō dīxitque novissima verba:
"Dulcēs exuviae, dum fāta deusque sinēbat,
accipite hanc animam mēque hīs exsolvite cūrīs!
Vīxī et quem dederat cursum fortūna perēgī
et nunc magna meī sub terrās ībit imāgō.
Urbem praeclāram statuī, mea moenia vīdī,
ulta virum poenās inimīcō ā frātre recēpī,
fēlīx, heu, nimium fēlīx — sī lītora tantum
numquam Dardaniae tetigissent nostra carīnae!"
Dīxit, et ōs impressa torō "Moriēmur inultae,
sed moriāmur!" ait, "Sīc, sīc iuvat īre sub umbrās!"

Inter tālia verba illam ferrō collāpsam aspiciunt comitēs. It clāmor ad alta ātria, gemitū et ululātū fēminārum tēcta resonant — nōn aliter quam sī omnis Karthāgō ab hostibus capta esset flammaeque furentēs per aedēs hominum atque deōrum volverentur!

[*Hinc incipit Aenēidis liber V*]

Intereā in mediō marī Aenēās cursum rēctum per ātrōs flūctūs tenet moenia Karthāginis respiciēns, quae iam īnfēlīcis Dīdōnis flammīs collūcent. Ille vērō ignōrat quae causa tantum ignem accenderit...

Cum iam nūlla terra cernerētur, ventus mūtātus classem in portum Siciliae compulit, ibique rēx Acestēs iterum Trōiānōs fessōs benignē excēpit. Hīc Aenēās,

cum annus praeteriisset ex quō diē Anchīsēs sepultus est, Mānibus patris sacrificia fēcit atque lūdōs magnificōs apparāvit, quibus iuvenēs Trōiānī inter sē certāvērunt cursū ac vīribus, iaculīs sagittīsque.

ex quō diē = ex eō diē quō

iaculum -ī *n* = pīlum quod procul iacitur

Inter eōs lūdōs fēminae Trōiānae, cum eās longī errōris taedēret, nāvēs incendērunt, sed imbre ā Iove missō ignis mox restīnctus est. Refectīs nāvibus, Aenēās plērāsque fēminās, quamquam eās iam factī suī paenitēbat, in Siciliā relīquit atque ipse cum sociīs fortissimīs Cūmās in Campāniam profectus est.

mē paenitet factī = mē paenitet ita fēcisse

Cūmae -ārum *f*: oppidum Campāniae



[*Liber VI*]

Hīc Aenēās sōlus in antrum Sibyllae vātis penetrāvit; quae eum sēcum ad Īnferōs dūxit, ubi pater Anchīsēs multa nārrāvit dē futūrō imperiō Rōmānō et dē fortitūdine Rōmānōrum; tum, postquam fīliō mīrantī virōs Rōmānōs fortissimōs ostendit ūsque ad Iūlium Caesarem, hīs verbīs Rōmānōs admonuit:

851 *"Tū regere imperiō populōs, Rōmāne, mementō!*
Hae tibi erunt artēs: pācisque impōnere mōrem,
parcere subiectīs et dēbellāre superbōs."

fortitūdō -inis *f* (< fortis) = virtūs

mementō -tōte *imper fut* < meminisse

tū mementō regere = nōlītō oblīvīscī r., cūrātō ut regās

dē-bellāre = bellō vincere

Cūmīs profectus Aenēās prīmum portum Cāiētae petīvit, deinde ventīs secundīs ad ōstium Tiberīnum advectus est.

Tiberīnus -a -um < Tiberis

Vocābula nova:
coniugium
fulmen
cinis
potentia
venia
capra
grandō
spēlunca
plūma
luxus
cupīdō
mandātum
amictus
nefās
cōnūbium
aula
astrum
querēlla
tigris
famula
thalamus
iussum
carīna
praedictum
dīvum
rogus
exuviae
effigiēs
altāria
discessus
vīsum
aethēr
vāgīna
ārdor
advena
ultrīx
ūsus
cubīle
iaculum
fortitūdō
placidus
dīlēctus
placitus
invictus
vigil
ālātus
uxōrius
attonitus
perfidus
hībernus
īnfēnsus

PENSVM A

Dē cāsū vocātīvō

Aemilia: "Ō Iūl–, m– optim– vir!"

Mārtiālis:

"Semper pauper eris, sī pauper es, Aemiliān–."

Catullus:

"Cēnābis bene, m– Fabull–, apud mē."

Hector: "Heu, fuge, nāt– deā!"

Hecuba: "Ō miserrim– coniūnx!"

Anchīsēs: "Fuge, m– fīl–!"

Aenēās: "Venī mēcum, Achāt–, m– amīc–!"

Achātēs: "Quid nunc sentīs, Aenē–?" Dīdō: "Perfid– hospes!" "Dabis, improb–, poenās!"

Cōnsul (in senātū): "Quid cēnsēs, Mārc– Tull–? et tū, Lūc– Cornēl–?"

Spectātōr–, plaudite!

PENSVM B

Dīdō: "— [= utinam] prius Iūppiter mē — percutiat quam virī amōrī — [↔ resistō]!" Anna: "Ō soror mea — [= cāra]! Etiamne — [= grātō] amōrī repugnābis?" Ita animum sorōris amōre — [= incendit]. Templa adeunt ut ā dīs — petant, nec vērō sacrificia mulierem — [= āmentem] iuvant. Poenīs et Trōiānīs vēnantibus, tonāre incipit; — [= sequitur] imber — mixtus, et Dīdō et Aenēās in eandem — dēveniunt. — [= statim] Fāma nārrat 'eōs in māximō — vīvere turpī — [= cupiditāte] captōs!'

Mercurius Iovis — [= imperia] ad Aenēam dēfert: "Quid — [= parās]? Nōlī hīc morārī! Italiam pete!" Haec locūtus deus ex oculīs eius —. Aenēās imperiō dīvīnō — [= stupefactus] —, tum Trōiānōs prīncipēs — iīsque — [= imperāvit] ut classem clam ōrnārent.

At rēgīna, quae dolum —, Aenēam appellat: "Spērāsne, — hospes, tē tantum — [↔ fās] — posse et — tempore [= hieme] clam hinc — [= excēdere]? Per — [= coniugium]

nostrum tē ōrō: — meī!" Ita supplex —. Aenēās: "Numquam tē uxōrem dūxī aut — tibi prōmīsī. Dēsine — tuīs et mē et tē incendere! Nōn meā — Italiam petō." Dīdō dicta eius nōn —, sed medium sermōnem — et virum — [= dubiē morantem] relinquit. — [= ancillae] eam collāpsam —.

Iam rēgīna morī cupit: — eam vītae. Annam ōrat ut — ērigat et super rogum arma et — [= vestīmenta] et — [= imāginem] Aenēae impōnat. Dīdō, cum classem abīre vidēret, Furiās — [< ulcīscī] invocāvit. Tum rogum cōnscendit, torō —, atque ēnsēm ē — ēdūxit.

Officium Rōmānōrum est "parcere — et — superbōs."

Synōnyma: pallium et —; stēlla et —; āra et —; lectus et —; pīlum et —; virtūs et —; vigilāns et —; moriēns et —; praecipitāns et —; recipere et —; āmēns esse et —; perficere et — et —; properāre et —; ēlūdere et —.

moribundus
dēmēns
iugālis
praeceps
mūtābilis
īnsepultus
sanguineus
succumbere
īnflammāre
furere
ostentāre
incumbere
īnsequī
concumbere
mandāre
subicere
struere
nectere
ēvānēscere
obmūtēscere
advocāre
praesentīre
dissimulāre
dēcēdere
miserērī
admonēre
admovēre
excipere
refellere
abrumpere
cūnctārī
suscipere
sōlārī
exsequī
implōrāre
obstāre
taedēre
reputāre
exsolvere
peragere
ovāre
circumstāre
fervere
immiscēre
festīnāre
illūdere
dēbellāre
extemplō
omnīnō
sponte
mēmet

PENSVM C

Quid Dīdō Annae sorōrī fassa est?
Cūr Dīdō amōrī repugnābat?
Quid Anna sorōrī suae suāsit?
Quid Fāma nārrābat dē Dīdōne et Aenēā?
Quis Aenēam ex Āfricā excēdere iussit?
Cūr Aenēas clam classem ōrnāvit?
Quōmodo Dīdō cōnsilium Aenēae cognōvit?
Quid Aenēās rēgīnae implōrantī respondit?
Num Dīdō dicta eius refellit?
Quid Dīdō Annam facere iussit?
Quae rēs super rogum impositae sunt?
Quae fuērunt precēs Dīdōnis extrēmae?
Quid vīdit Aenēās ē nāve respiciēns?
Cūr plēraeque fēminae in Siciliā relictae sunt?
Quō Sibylla Aenēam dūxit?

REGES LATINI ET ALBANI ET ROMANI

		annō *a.C.*	
Rēgēs Latīnī:	1. Sāturnus		Aetās aurea
	2. Pīcus		
		1300	
	3. Faunus		
	4. Latīnus		
		1200	
	5. Aenēās		Trōia capta (1184)
Rēgēs Albānī:	1. Ascanius	1150	Alba condita (1152)
	2. Silvius		
	3. Aenēās Silvius	1100	
	4. Latīnus Silvius		
		1050	
	5. Alba		
	6. Atys	1000	
	7. Capys		
		950	
	8. Capetus		
	9. Tiberīnus		
	10. Agrippa	900	
	11. Rōmulus Silvius		
	12. Aventīnus	850	
	13. Proca		
		800	
	14. Numitor/Amūlius		
Rēgēs Rōmānī:	1. Rōmulus (753–715)	750	Rōma condita (753)
	2. Numa Pompilius (715–672)	700	
	3. Tullus Hostīlius (672–640)		Alba dīruta (665)
	4. Ancus Mārcius (640–616)	650	
	5. Tarquinius Prīscus (616–578)	600	
	6. Servius Tullius (578–534)		
		550	
	7. Tarquinius Superbus (534–509)		
		500	Rēgēs exāctī (509)





ORIGINES

[*Ex T. Līviī 'Ab urbe conditā' librō I.1–7, nōnnūllīs mūtātīs et praetermissīs*]

T. Līvius, quī aetāte Augustī vīxit, rēs Rōmānās scrīpsit *Ab urbe conditā* librōs I-CXLII
praeter-mittere = nōn memorāre, nōn scrībere (↔ addere)

Trōiānī et Latīnī

1 Iam prīmum omnium satis cōnstat Trōiā captā Aenēam domō profugum prīmō in Macedoniam vēnisse, inde in Siciliam dēlātum esse, ab Siciliā classe ad Laurentem agrum tenuisse. Ibi ēgressī Trōiānī, quibus ab immēnsō prope errōre nihil praeter arma et nāvēs supererat, cum praedam ex agrīs agerent, Latīnus rēx Aborīginēsque, quī tum ea tenēbant loca, ad arcendam vim advenārum armātī ex urbe atque agrīs concurrunt. Cum īnstrūctae aciēs cōnstitissent, priusquam signum pugnandī darētur, prōcessit Latīnus inter prīmōrēs ducemque advenārum ēvocāvit ad colloquium. Aenēās deinde interrogātus 'quī mortālēs essent, unde profectī quidve quaerentēs in agrum Laurentem exiissent?' respondit 'multitūdinem Trōiānōs esse, ducem Aenēam, fīlium Anchīsae

cōnstat (+ *acc+inf*) = certum est
ager Laurēns -entis: pars Latiī circum *Laurentum* oppidum
tenēre (cursum) = nāvigāre
immēnsus -a -um = sine fīne, ingēns
ad arcendam vim = ut vim arcērent
prīmōrēs -um *m* = prīmī, prīncipēs
ē-vocāre
mortālēs = hominēs

et Veneris, domō profugōs novam sēdem quaerere.' Latīnus postquam hoc audīvit, et nōbilitātem gentis virīque et animum bellō parātum admīrātus, dextrā datā amīcitiam cum Aenēā fēcit; deinde Trōiānōs in societātem recēpit, atque Aenēae fīliam suam Lāvīniam in mātrimōnium dedit. Ea rēs Trōiānīs spem fēcit tandem certā sēde inventā errōrem fīnītum esse. Oppidum condunt, Aenēās ab nōmine uxōris 'Lāvīnium' appellat. Brevī stirps quoque virīlis ex novō mātrimōniō fuit, cui 'Ascanium' parentēs nōmen dedērunt.

Bellō deinde Aborīginēs Trōiānīque simul petītī sunt. *2*
Turnus, rēx Rutulōrum, cui Lāvīnia ante adventum Aenēae spōnsa fuerat, molestē patiēns advenam sibi praelātum esse, simul Aenēae Latīnōque bellum intulerat. Neutra aciēs laeta ex eō certāmine abiit: victī sunt Rutulī, victōrēs Aborīginēs Trōiānīque ducem Latīnum āmīsērunt. Ita sōlus rēx duārum gentium factus Aenēās, ut animōs Aborīginum sibi conciliāret, utramque gentem eōdem nōmine 'Latīnōs' appellāvit.

Interim Turnus Rutulīque, cum rēbus suīs diffīderent, ad Etrūscōs Mezentiumque, rēgem eōrum, cōnfūgerant, quī Caere, opulentō tum oppidō, imperābat. Mezentius, quī iam inde ab initiō minimē laetus fuerat orīgine novae urbis, et tum opēs Latīnōrum nimium crēscere rēbātur, statim societātem cum Rutulīs iūnxit Latīnīsque bellum intulit. Aenēās, quamquam tanta opibus Etrūria erat ut iam nōn terrās sōlum, sed mare

nōbilitās -ātis *f* < nōbilis

bellō *(dat)* parātus = ad bellum parātus

societās -ātis *f* < socius; in s.em recipere = ut socium recipere

mātrimōnium -ī *n* = coniugium

stirps -pis *f* = līberī, fīlius/fīlia

virīlis -e < vir; stirps virīlis = fīlius

adventus -ūs *m* < advenīre (↔ discessus)

spondēre spopondisse spōnsum = prōmittere (in mātrimōnium)

molestē patī aliquid = īrātus esse ob aliquid

īn-ferre in-tulisse il-lātum: bellum īnferre = bellum incipere

conciliāre = coniungere amīcitiā, amīcum facere

dif-fīdere ↔ cōnfīdere

Etrūscī -ōrum *m*: incolae Etrūriae

Caere *indēcl n*

opulentus -a -um = dīves, potēns

inde ab ↔ ūsque ad

opēs -um *f* = potentia

crēscere crēvisse = māior fierī, augērī

etiam per tōtam Italiae longitūdinem ab Alpibus ad fretum Siculum fāmā nōminis suī implēvisset, tamen dē moenibus hostibus resistere nōluit, sed in aciem cōpiās ēdūxit. Proelium deinde Latīnīs prosperum factum est, quod Aenēae etiam ultimum opus mortāle fuit, nam post proelium nusquam appāruit.

cōpiae = mīlitēs
prosperus -a -um = secundus, fēlīx
mortālis : hūmānus
nusquam = nūllō locō (↔ ubīque)

Alba condita

3 Nōndum mātūrus imperiō Ascanius, Aenēae fīlius, erat; tamen id imperium eī ad pūberem aetātem incolume mānsit. Interim Lāvīnia prō puerō rēgnāvit. (Incertum est — quis enim rem tam veterem prō certō affīrmet? — hicine fuerit Lāvīniae fīlius an fīlius ille māior, Creūsā mātre nātus, Ascanius sīve Iūlus appellātus, quem gēns Iūlia auctōrem nōminis suī esse dīcit.) Is Ascanius — ubicumque et quācumque mātre nātus — Lāvīnium, opulentam iam (ut tum rēs erant) urbem, Lāvīniae relīquit, ipse novam urbem sub Albānō monte condidit, quae ab sitū urbis in dorsō montis 'Alba Longa' appellāta est. Id factum est trīcēsimō ferē annō post Lāvīnium conditum. Tantum tamen opēs Latīnōrum crēverant — māximē victīs Etrūscīs — ut nē morte quidem Aenēae nec deinde inter rēgnum muliebre et Ascaniī pueritiam aut Etrūscī aut ūllī aliī fīnitimī arma movēre ausī sint. Pāx ita convēnerat ut Etrūscīs Latīnīsque fluvius Albula, quem nunc Tiberim vocant, fīnis esset.

pūbēs -eris = quī iam nōn puer est, mātūrus
manēre mānsisse
prō certō = certō *adv*
auctor -ōris *m* = is ā quō rēs orta est, quī prīmus rem cōnstituit
ubi-cumque = quōcumque locō
situs -ūs *m*: s. urbis = locus ubi urbs sita est
post Lāvīnium conditum = postquam L. conditum est
tantum *adv* = adeō
muliebris -e < mulier
pueritia -ae *f* = aetās puerī
fīnitimus -a -um = quī ad fīnēs incolit
convenīre = statuī; convēnerat = statūta erat (inter eōs)

cāsū = forte

prō-creāre = gignere

ortus = nātus, genitus
Atys -yis *m*
Capys -yis *m*

celeber = omnibus nōtus, illūstris
adipīscī -eptum = (rem optandam) cōnsequī, habēre incipere (↔ āmittere)
īcere īcisse ictum = percutere

fēcit : dedit

Numitor -ōris *m*

vetustus -a -um = vetus

(alicui rem) lēgāre = morte relinquere
pulsō frātre : postquam frātrem pepulit
inter-imere -ēmisse -ēmptum = interficere
legere = ēligere
virginitās -ātis *f* < virgō
partus -ūs *m* < parere peperisse partum
com-primere -pressisse -pressum: fēminam c. = cum fēminā concumbere
crūdēlitās -ātis *f* < crūdēlis
cūstōdia -ae *f* < cūstōs


alveus -ī *m*

Rōmulus et Remus

Silvius deinde rēgnat, Ascaniī fīlius, cāsū in silvīs nātus. Is Aenēam Silvium prōcreat; is deinde Latīnum Silvium. Mānsit 'Silvius' posteā cognōmen omnibus quī Albae rēgnāvērunt.

Latīnō Alba ortus est, Albā Atys, Atye Capys, Capye Capetus, Capetō Tiberīnus, quī in Albulā amne submersus celebre nōmen flūminī dedit. Agrippa deinde, Tiberīnī fīlius, rēgnum adeptus est, post Agrippam Rōmulus Silvius, ā patre acceptō imperiō, rēgnat; ipse fulmine ictus Aventīnō rēgnum trādidit: is sepultus in eō colle quī nunc pars urbis Rōmae est nōmen collī fēcit.


Proca deinde rēgnat. Is Numitōrem atque Amūlium prōcreat; Numitōrī, quī fīlius māior erat, rēgnum vetustum Silviae gentis lēgat. Plūs tamen vīs potuit quam voluntās patris: pulsō frātre, Amūlius rēgnat. Addit scelerī scelus: stirpem frātris virīlem interimit, frātris fīliae Rēae Silviae, cum virginem Vestālem eam lēgisset, perpetuā virginitāte spem partūs adimit.

Sed Vestālis, vī compressa, geminōs fīliōs peperit, et *4*
Mārtem patrem esse affīrmāvit. Sed nec dī nec hominēs aut ipsam aut fīliōs ā crūdēlitāte rēgis dēfendunt: Amūlius Vestālem vīnctam in cūstōdiam dat, puerōs in flūvium mittī iubet.

Forte super rīpās Tiberis effūsus erat nec quisquam ad ipsum amnis cursum adīre poterat; itaque servī rēgis

in proximō stāgnō, quod īnfrā collem Palātīnum factum erat, puerōs expōnunt. Vāstae tum in hīs locīs sōlitūdinēs erant. Cum aqua recēdēns alveum, in quō expositī erant puerī, in siccō relīquisset, lupa sitiēns ex montibus ad puerīlem vāgītum cursum flexit. Ea adeō mītis

sōlitūdō -inis *f* = locus sōlus/dēsertus
siccum -ī *n* = terra sicca
lupus *m*; lupa -ae *f*
sitīre = sitim patī
puerīlis -e < puer
vāgītus -ūs *m* < vāgīre
mītis -e ↔ ferōx



lupa īnfantibus ūbera praebet eōsque linguā lambit

fuisse dīcitur ut īnfantibus ūbera praebēret et pāstor rēgius eam linguā lambentem puerōs invēnerit — Faustulus eī nōmen fuit. Is ambōs puerōs sēcum domum tulit et Lārentiae uxōrī ēducandōs dedit.

praebēre = offerre
lambere = linguā tangere
ambō -ae -ō (*acc* -ōs -ās -ō) = duo simul, uterque

Ita genitī itaque ēducātī Rōmulus et Remus (ea frātribus geminīs nōmina fuērunt), cum prīmum adolēvērunt, nōn in stabulīs apud pecus sēgnēs manēbant, sed per saltūs vēnābantur. Ita vīribus corporum auctīs iam nōn ferās tantum petēbant, sed in latrōnēs praedam ferentēs impetūs faciēbant pāstōribusque praedam dīvidēbant.

adolēscere -lēvisse = adulēscēns fierī
stabulum -ī *n* = casa pecoris
sēgnis -e = piger
saltus -ūs *m* = mōns silvīs opertus
latrō -ōnis *m* = vir quī rēs aliēnās vī rapit, praedō

5 Sed latrōnēs ob praedam āmissam īrātī geminīs īnsidiās fēcērunt et, cum Rōmulus vī sē dēfendisset, Remum cēpērunt et captum rēgī Amūliō trādidērunt falsō

īnsidiās facere (eī) = ē locō occultō impetum facere (in eum)
falsō *adv* ↔ vērē

hostīlis -e < hostis

dē-dere -didisse -ditum = trādere (in alicuius potestātem)

iussū rēgis = ut rēx iussit, rēge iubente

necessitās -ātis *f* <necesse

cōgere co-ēgisse co-āctum

servīlis -e < servus

suspicārī = crēdere incipere

grātulārī (+ *dat*) ↔ cōnsōlārī

concilium -ī *n* = populus convocātus

ostendere = nōtum facere

avus -ī *m* = pater patris /mātris

cōnsilium capere = cōnstituere

accūsantēs 'in Numitōris agrōs ab iīs impetūs fierī; inde eōs, collēctā iuvenum manū, hostīlem in modum praedās agere!' Sīc Numitōrī ad supplicium Remus dēditur.

Iam inde ab initiō Faustulō spēs fuerat rēgiam stirpem apud sē ēducārī, nam et iussū rēgis īnfantēs expositōs esse sciēbat et tempus quō ipse eōs sustulisset ad id tempus convenīre. Sed rem immātūram nisi per necessitātem aperīre nōluerat. Cum autem Remus captus Numitōrī dēditus esset, Faustulus metū coāctus Rōmulō rem aperuit. Eōdem tempore Numitor, cum in cūstōdiā Remum habēret audīvissetque geminōs esse frātrēs, comparandō et aetātem eōrum et minimē servīle ingenium, nepōtēs suōs servātōs esse suspicābātur. Ita undique rēgī dolus parātur.

Rōmulus cum manū pāstōrum Albam profectus rēgiam oppugnat, et ā domō Numitōris cum aliā manū adiuvat Remus. Ita rēgem Amūlium obtruncant.

Numitor, postquam iuvenēs caede factā pergere ad sē 6
grātulantēs vīdit, extemplō advocātō conciliō scelera frātris, orīginem nepōtum, caedem deinde tyrannī et sē caedis auctōrem ostendit. Frātrēs ambō in medium prōgressī, cum avum suum 'rēgem' salūtāvissent, omnis multitūdō ūnā vōce Numitōrem rēgnāre iussit.

Rōma condita

Ita Numitōrī rēgnō Albānō redditō, Rōmulus et Remus cōnsilium cēpērunt in iīs locīs ubi expositī ubique

ēducātī erant urbem condere. Deinde ob cupiditātem rēgnī foedum certāmen ortum est, uter eōrum nōmen novae urbī daret atque in eā rēgnāret. Quoniam geminī erant nec aetātis discrīmen inter eōs fierī poterat, necesse fuit deōs cōnsulere. Ergō inter frātrēs convēnit ut Rōmulus in Palātiō, Remus in Aventīnō auspicārētur.

7 Priōrī Remō auspicium vēnisse dīcitur: sex vulturēs; iamque nūntiātō auspiciō, duplex numerus Rōmulō sē ostendit. Cum igitur dī māiōre avium numerō Rōmulō favēre vidērentur, ille ante diem XI kalendās Māiās in colle Palātīnō urbem condidit.

Remus vērō, cum hoc molestē ferret, opus frātris dērīdēns novōs trānsiluit mūrōs. Inde interfectus est ab īrātō Rōmulō, cum haec verba adiēcisset: "Sīc deinde quīcumque alius trānsiliet moenia mea!" Ita sōlus imperiō potītus est Rōmulus. Condita urbs conditōris nōmine appellāta est.

Sacra Herculis īnstitūta

Palātium prīmum, in quō ipse erat ēducātus, mūnīvit. Sacra fēcit dīs aliīs Albānō rītū, Graecō rītū Herculī, ut ab Euandrō īnstitūta erant.

Herculēs in ea loca, Gēryone mōnstrō interēmptō, bovēs mīrā speciē ēgisse nārrātur ac prope Tiberim fluvium, quem prae sē armentum agēns nandō trānsierat, fessus viā in herbā recubuisse. Ibi cum eum somnus oppressisset, pāstor quīdam nōmine Cācus, ferōx vīri-



vultur -is *m*

discrīmen facere = discernere
cōnsulere -uisse -ltum = interrogāre quid faciendum sit
auspicārī = avēs aspicere (quae nūmen deōrum ostendunt)
auspicium -ī *n* = signum avium dīvīnum
duplex -icis = bis tantus (d. numerus : XII)
: diē XXI mēnsis Aprīlis [annō 753 a. C.]

molestē ferre = m. patī
trānsilīre -uisse < trāns + salīre
inde = itaque
sīc deinde *pereat*
quī-cumque = quisquis
conditor -ōris *m* = is quī urbem condidit

sacrum -ī *n* = sacrificium
īn-stituere -uisse -ūtum = (novam rem) prīmum statuere
rītus -ūs *m* = modus sacra faciendī

Gēryōn -onis *m*: mōnstrum cuius bovēs Herculēs rapuit
speciēs = fōrma, pulchritūdō
armentum -ī *n* = pecus māius, bovēs
re-cumbere -cubuisse
op-primere -pressisse -pressum = superāre (premendō)

ab-dere -didisse -ditum = cēlāre
bōs bovis *m/f*: *pl* bovēs boum, *dat/abl* bōbus

bus, bovēs pulcherrimōs ē grege rapere et praedam in spēluncam suam abdere voluit. Sed nē vestīgia boum dominum quaerentem ad spēluncam dūcerent, āversōs bovēs caudīs in spēluncam trāxit.



cōn-fundere -fūdisse -fūsum = turbāre
ab-igere -ēgisse -āctum < -agere

mūgīre = 'mū' facere (ut bōs)
vōcem reddere = respondēre

inter-īre = perīre

clāva -ae *f*



trepidāre = trepidus esse

arcessere -īvisse -ītum
facinus -oris *n* = factum, maleficium

Herculēs ad prīmam aurōram ē somnō excitātus, cum gregem lūstrāvisset oculīs et partem abesse sēnsisset, pergit ad proximam spēluncam. Cum vērō vestīgia omnia forās versa vidēret nec in partem aliam ferre, cōnfūsus atque incertus ex locō īnfēstō armentum abigere coepit. Deinde, cum abāctae bovēs quaedam relictās dēsīderantēs mūgīrent, bovēs in spēluncā inclūsae vōcem reddidērunt, quā audītā Herculēs revertit. Quem cum vādentem ad spēluncam Cācus vī prohibēre cōnātus esset, ictus clāvā Herculis interiit.

Euander, profugus ex Peloponnēsō, tum ea loca regēbat, vir doctus, cuius māter Carmentis dīvīnum in modum fāta praedīcēbat. Is tum Euander ā pāstōribus trepidantibus arcessītus, postquam facinus facinorisque causam audīvit, fōrmam virī ampliōrem augustiōrem-

que hūmānā intuēns rogitat 'quī vir esset?' Ubi nōmen patremque ac patriam accēpit, "Iove nāte, Herculēs, salvē!" inquit, "Māter mea, vātēs dīvīna, tē deōrum numerum auctūrum esse cecinit tibique āram hīc dicātum īrī, quam opulentissima ōlim in terrīs gēns 'āram Māximam' vocet." Dextrā datā Herculēs 'sē fātum implētūrum esse ārā dicātā' ait. Ibi tum prīmum, bove eximiā captā dē grege, sacrum Herculī factum est.

Item Rōmulus, postquam prīma urbī fundāmenta iēcit, Euandrum auctōrem sequēns rītū Graecō sacra Herculī fēcit.

hūmānā : quam fōrmam hūmānam
(Herculēs est fīlius Iovis et Alcmēnae, uxōris Amphitryōnis)
numerum deōrum augēre : deus fierī
canere = praedīcere versibus
dicāre = dēdicāre
implēre = praestāre
eximius -a -um = ēgregius
fundāmenta iacere = fundāmenta locāre
aliquem auctōrem sequī = alicuius exemplum sequī

GEMELLI EXPOSITI

[*Ovidius: Fāstī. Ex librō II*]

Silvia Vestālis caelestia sēmina partū
  ēdiderat, patruō rēgna tenente suō.
Is iubet auferrī puerōs et in amne necārī —
  'quid facis? ex istīs Rōmulus alter erit!'
Iussa recūsantēs peragunt lacrimōsa ministrī,
  flent, tamen et geminōs in loca sōla ferunt.
Albula, quem 'Tiberim' mersus Tiberīnus in undīs
  reddidit, hībernīs forte tumēbat aquīs:
hīc ubi nunc fora sunt, lintrēs errāre vidērēs,
  quāque iacent vallēs, Māxime Circe, tuae.
Hūc ubi vēnērunt (neque enim prōcēdere possunt
  longius), ex illīs ūnus et alter ait:

gemellus -ī *m* = geminus parvulus
sēmina : fīliōs
partū ē-dere = parere
patruus -ī *m* = frāter patris
patruō suō rēgn*um* tenente (: rēgnante)
'quid facis?' Amūliō dīcitur
ministrī recūsantēs iussa lacrimōsa p.
lacrimōsus -a -um < lacrima (: trīstis)
(flūmen) reddere 'Tiberim': facere ut 'Tiberis' sit
tumēre = tumidus esse
linter -tris *m* = nāvicula levis
: quā (: ubi) iac*et* vall*is* tu*a*, Circe Māxime (*voc*)
(vallis Circī Māximī: vallis Murcia)

"At quam sunt similēs! at quam fōrmōsus uterque!
Plūs tamen ex illīs iste vigōris habet.
Sī genus arguitur vultū, nisi fallit imāgō,
nescioquem in vōbīs suspicor esse deum."
"At sī quis vestrae deus esset orīginis auctor
in tam praecipitī tempore ferret opem." *400*
"Ferret opem certē, sī nōn ope māter egēret,
quae facta est ūnō māter et orba diē!
Nāta simul, moritūra simul, simul īte sub undās,
corpora!" Dēsierat, dēposuitque sinū.
Vāgierunt clāmōre parī: sēnsisse putārēs.
Hī redeunt ūdīs in sua tēcta genīs.
Sustinet impositōs summā cavus alveus undā
— heu! quantum fātī parva tabella tulit!
Alveus in līmō, silvīs appulsus opācīs,
paulātim fluviō dēficiente sedet. *410*
Vēnit ad expositōs (mīrum!) lupa fēta gemellōs *413*
— quis crēdat puerīs nōn nocuisse feram?
Nōn nocuisse parum est: prōdest quoque! Quōs lupa nūtrit...,
et lambit linguā corpora bīna suā. *418*

vigor -ōris *m* = vīrēs
arguere = vērum esse dēmōnstrāre
imāgō : speciēs
nescio-quis = aliquis

vestrae orīginis auctor : vester pater
praeceps : perīculōsus
opem -is -e *acc gen abl f* = auxilium

ūnō diē
orbus -a -um = quī līberōs āmīsit
corpora nāta simul
dēposuitque *puerōs dē* sinū (: pectore)
vāg*ie*runt = vāg*īvē*runt
eōs sēnsisse putārēs : sēnsisse vidēbantur
ūdus -a -um = ūmidus

tabella : alveus
līmus -ī *m* = terra ūmida et mollis
opācus -a -um = quī umbram habet
dē-ficere = cessāre, minuī, recēdere
(bēstia) fēta = quae nūper peperit

quōs : puerōs

nūtrīre = alere

bīna = duo, ambō
linguā suā

PENSVM A

Dē generibus verbōrum

Verte hās sententiās in genus alterum, āctīvum aut passīvum:

[Pater fīlium laudat:] Fīlius ā patr– laud–.

[Tyrannus ferōx ab omnibus metuitur:] Omnēs...

[Alta moenia urbem Trōiam cingēbant:] ...

[Trōia ā Graecīs capta et incēnsa est:] ...

[Graecī equum ligneum fabricāverant:] ...

[Cum pars moenium ā Trōiānīs dēstrūcta esset, equus ille in urbem tractus est:] ...

[Terribile incendium urbem absūmpsit:] ...

[Creūsa ā marītō quaerēbātur nec inventa est:] ...

[Karthāginiēnsēs Aenēam cernere nōn poterant, quod nūbēs eum cēlābat:] ...

[Puerī ā Faustulō inventī et domum lātī sunt:] ...

[Geminī praedam pāstōribus dīvidēbant:] ...

[Fluvium Tiberim ōlim Albulam vocābant:] ...

[Arx ab hostibus numquam expugnābitur:] ...

[Magister tē laudat, mē reprehendit:] ...

PENSVM B

Post — Aenēae rēx Latīnus, cum — suās in aciem ēdūxisset, inter — [= prīncipēs] prōcessit ducemque advenārum ad colloquium —. Ut nōmen Aenēae audīvit, — virī gentisque admīrātus Trōiānōs in — [< socius] recēpit et Aenēae fīliam suam in — dedit. Rēx Turnus, cui Lāvīnia — fuerat, Aenēae Latīnōque bellum —. Proeliō victus Turnus rēbus suīs — [↔cōnfīdēns] ad Etrūscōs cōnfūgit. Post proelium Latīnīs — [= secundum] Aenēās — [= nūllō locō] appāruit. Cum Ascanius nōndum ad — aetātem pervēnisset, Lāvīnia inter — eius rēgnāvit, nec Etrūscī nec ūllī aliī — inter rēgnum — [= mulieris] bellum facere ausī sunt.

Rēx Proca Numitōrem et Amūlium — [= genuit] atque Numitōrī rēgnum — [= vetus] — [= relīquit]. Amūlius frātrem pepulit, frātris fīliam Vestālem lēgit: ita eī perpetuā —

Vocābula nova:
prīmōrēs
nōbilitās
societās
mātrimōnium
stirps
adventus
opēs
cōpiae
auctor
situs
pueritia
virginitās
partus
crūdēlitās
cūstōdia
sōlitūdō
siccum
lupa
vāgītus

stabulum
saltus
latrō
īnsidiae
necessitās
concilium
avus
discrīmen
auspicium
vultur
conditor
sacra
rītus
armentum
clāva
facinus
patruus
linter
vigor
opem -is -e
līmus
immēnsus
virīlis
opulentus
prosperus
pūbēs
muliebris
fīnitimus
vetustus
puerīlis
mītis
sēgnis
hostīlis
immātūrus
servīlis
duplex
eximius
lacrimōsus
orbus
ūdus
opācus
fēta
ambō
ēvocāre
spondēre
īnferre
conciliāre
diffīdere
adipīscī
īcere
prōcreāre
lēgāre
interimere

spem — [< parere] adēmit. At Vestālis, vī —, geminōs peperit, quī — rēgis expositī sunt; sed pāstor — puerīlem audīvit et puerōs invēnit cum —, quae tam — fuit ut eōs lacte suō — et linguā —. Ita ā — [< crūdēlis] rēgis puerī servātī sunt.

Rōmulus et Remus, ut prīmum —, per — vēnābantur et in — praedam ferentēs impetūs faciēbant. Latrōnēs Remum captum Numitōrī — [=trādidērunt], quī cum eum in — habēret, nepōtem suum esse — [=crēdere incipiēbat]. Amūliō occīsō Numitor, — advocātō, mala — [= maleficia] frātris ostendit et 'sē caedis — esse' dīxit.

Remus, cum in Aventīnō —, sex — vīdit; hōc — nūntiātō, — numerus [:XII] Rōmulō sē ostendit; is igitur urbem condidit, quae ā nōmine — 'Rōma' appellāta est. Remus vērō, cum hoc — ferret, novōs mūrōs — et ā Romulō — [= interfectus] est.

Cācus — Herculis — [= percussus] occidit, cum bovēs in spēluncam — [= cēlāvisset]. Bove — [= ēgregiā] immolātā — [= sacrificium] Herculī factum est — Graecō.

Ōceanus mare — [= sine fīne] est. Facile est mūnera — [= offerendō] animōs populī sibi —. Ante proelium imperātor auspiciīs deōs —. Difficile est inter geminōs — facere. Quī — bibere cupit.

Synōnyma: līberī et —; vīrēs et —; pecus māius et —; pater patris et —; frāter patris et —; piger et —; ūmidus et —; turbāre et —; auxilium ferre et — ferre; trepidus esse et —.

Contrāria: muliebris et —; āmittere et —; cōnfīdere et —; cōnsōlārī et —; ubīque et —; vērē et —.

PENSVM C

Unde Aenēās in Italiam vēnit?
Num Aenēās rēgem Latīnum proeliō vīcit?
Cūr Turnus Aenēae Latīnōque bellum intulit?
Cūr neuter exercitus laetus ex proeliō abiit?
Quōmodo Aenēās animōs Aborīginum sibi conciliāvit?

Quō rēx Turnus victus cōnfūgit?
Quam urbem condidit Ascanius?
Quod cognōmen rēgibus Albānīs fuit?
Quōmodo Amūlius rēgnō Albānō potītus est?
Quem Rēa Silvia patrem geminōrum esse dīxit?
Quōmodo gemellī expositī servātī sunt?
Cūr Numitor Remum nepōtem suum esse suspicābātur?
Quid Rōmulus et Remus fēcērunt cum sē nepōtēs rēgis esse cognōvissent?
Ubi Rōmulus urbem condidit?
Cūr frātrem suum occīdit?
Quōmodo Herculēs bovēs abditōs repperit?
Quō rītū Rōmulus sacra Herculī fēcit?

comprimere
sitīre
praebēre
lambere
adolēscere
dēdere
suspicārī
grātulārī
cōnsulere
auspicārī
trānsilīre
īnstituere
opprimere
abdere
cōnfundere
abigere
mūgīre
interīre
trepidāre
dicāre
tumēre
arguere
dēficere
nūtrīre
iussū
falsō
nusquam
ubicumque







BELLVM ET PAX

[*Ex T. Līviī 'Ab urbe conditā' librō I.8–21, nōnnūllīs mūtātīs et praetermissīs*]

Fascēs et secūrēs: insignia imperiī

Rēbus dīvīnīs rīte factīs vocātāque ad concilium multi- 8
tūdine, quae nūllā rē nisi lēgibus in ūnum populum coalēscere poterat, Rōmulus iūra dedit. Ut hominēs agrestēs novum rēgem verērentur, ipse sē augustiōrem fēcit īnsignibus imperiī: cum vestem purpuream induit, tum līctōrēs duodecim sūmpsit, quī fascēs et secūrēs gerentēs rēgī anteīrent.

Crēscēbat interim urbs, cum alia atque alia loca mūnīrentur. Deinde, nē vāna urbis magnitūdō esset, Rōmulus multitūdinem fīnitimōrum in urbem recēpit, cum sub monte Capitōlīnō inter duōs lūcōs asȳlum aperuisset. Eō ex fīnitimīs populīs quīlibet homō, sine discrīmine utrum līber an servus esset, perfugere poterat.

īnsigne -is *n* = rēs quā significātur alicuius nōbilitās
rīte = bonō rītū, rēctē

co-alēscere = in ūnum crēscere
iūra = lēgēs
agrestis -e (< ager) = rūsticus
cum... tum = et... et, nōn modo... sed etiam
līctor -ōris *m* = cūstōs corporis
ante-īre alicui = īre ante aliquem

vānus -a -um = vacuus, frūstrā factus

asȳlum -ī *n* = locus tūtus quō profugī cōnfugiunt

quī-quae-quod-libet = quī-cumque (libet)
per-fugere = cōnfugere

Cīvitāte ita auctā, Rōmulus centum senātōrēs creāvit, sīve quia is numerus satis erat, sīve quia sōlī centum cīvēs nōbilēs erant quī senātōrēs creārī possent. 'Patrēs' ipsī honōris causā appellātī sunt, līberīque eōrum 'patriciī'.

cīvitās -ātis *f* = cūnctī cīvēs, urbs
creāre = facere, legere

cīvēs nōbilēs quī possent (*coni*) = cīvēs tam nōbilēs ut possent

Sabīnae raptae

9 Iam rēs Rōmāna adeō erat valida ut cuilibet fīnitimārum cīvitātum bellō pār esset. Sed cum novus populus mulieribus carēret neque virīs Rōmānīs cum fīnitimīs cōnūbia essent, Rōmulus ex cōnsiliō patrum lēgātōs ad vīcīnās gentēs mīsit, quī societātem cōnūbiumque novō populō peterent. Nusquam benignē lēgātiō audīta est, adeō aliae gentēs Rōmānōs spernēbant ac simul tantam in mediō crēscentem mōlem metuēbant. Ab omnibus dīmissī sunt, plērīsque rogitantibus 'num fēminīs quoque asȳlum aperuissent?' Id Rōmānī iuvenēs aegrē passī sunt, et haud dubiē ad vim spectāre rēs coepit.

Sabīnī -ōrum/-ae -ārum *m/f*: gēns Rōmānīs fīnitima
rēs Rōmāna = rēs pūblica R., cīvitās R.
adeō valida = tam v.
alterī pār = tam bonus/validus... quam alter

cōnūbium = iūs cōnūbiī
vīcīnus -a -um = quī prope habitat
quī peterent (*coni*) = ut peterent
lēgātiō -ōnis *f* = lēgātōrum numerus
spernere = dēspicere, contemnere

aegrē ↔ libenter; aegrē patī = molestē patī

Rōmulus vērō indignātiōnem dissimulāns lūdōs parat Neptūnō; deinde fīnitimōs ad spectāculum vocārī iubet. Multī mortālēs convēnēre studiō etiam videndae novae urbis, māximē ex oppidīs proximīs Caenīnā, Crustumeriō, Antemnīs; etiam Sabīnōrum omnis multitūdō cum līberīs ac coniugibus vēnit. Invītātī hospitāliter per domōs, cum situm moeniaque et frequentia urbis tēcta vīdissent, mīrantur tam brevī rem Rōmānam crēvisse. Ubi spectāculī tempus vēnit atque eō oculī et mentēs

indignātiō -ōnis *f* = īra (ob rem indignam)
spectāculum -ī *n* = id quod spectātur
-*ēre* = -*ērunt* (*perf 3 pers plūr*)
Caenīna -ae *f*
Crustumerium -ī *n*
Antemnae -ārum *f*

hospitālis -e = hospitibus benignus
tēctum : domus

iuventūs = iuvenēs
dis-currere = in variās partēs currere (↔con-currere)
lūdicrum -ī *n* = lūdī
pro-fugere = aufugere
mītigāre = mītem facere, mollīre
quō nihil cārius est : quod omnium cārissimum est
pro-inde = ergō
accēdere : addī
blandus -a -um = conciliāns, laudāns
ad-modum = valdē, plānē
sordidā veste significātur lūctus
con-citāre ↔ mītigāre
continēre = tenēre
Caenīnēnsēs -ium *m*, Crustumīnī -ōrum *m*, Antemnātēs -ium *m*: cīvēs oppidōrum
lentus -a -um = tardus, sēgnis
occāsiō -ōnis *f* = tempus idōneum

conversae erant, tum signō datō iuventūs Rōmāna ad rapiendās virginēs discurrit!

Turbātō per metum lūdicrō, maestī parentēs virginum profugiunt Rōmānōs 'perfidōs hospitēs' incūsantēs deumque Neptūnum invocantēs. Nec virginibus raptīs indignātiō minor erat. Sed ipse Rōmulus circumībat animōsque eārum mītigābat hīs dictīs: "Hoc factum est ob patrum vestrōrum superbiam, quī cōnūbium Rōmānīs negāvērunt. Vōs tamen cum virīs Rōmānīs in mātrimōniō eritis, in societāte fortūnārum omnium et — quō nihil cārius est generī hūmānō — līberōrum. Proinde mollīte īram, et virīs, quibus forte corpora data sunt, date animōs! Saepe ex iniūriā posteā grātia orta est." Ad hoc accēdēbant blanda verba virōrum, quae ad muliebre ingenium māximam vim habent.

Spolia opīma

Iam admodum mītigātī animī raptārum erant. At rap- *10*
tārum parentēs sordidā veste lacrimīsque et querēllīs cīvitātēs concitābant. Nec domī tantum indignātiōnēs continēbant, sed undique ad T. Tatium, rēgem Sabīnōrum, lēgātiōnēs conveniēbant, quod māximum Tatiī nōmen in iīs regiōnibus erat.

Caenīnēnsēs Crustumīnīque et Antemnātēs, cum Tatium Sabīnōsque lentē agere exīstimārent, ipsī inter sē trēs populī commūniter bellum parant. Dum Crustumīnī atque Antemnātēs occāsiōnem exspectant, Caenī-

nēnsēs nimis impatientēs per sē ipsī in agrum Rōmānum impetum faciunt. Sed iīs obviam it Rōmulus cum exercitū, levīque certāmine docet vānam sine vīribus īram esse: exercitum eōrum fugat, fugātum persequitur. Rēgem in proeliō obtruncat et spoliat. Duce hostium occīsō, urbem prīmō impetū capit.

fugāre = in fugam vertere

spoliāre aliquem = vestem/arma ēripere alicui

Inde exercitū victōre reductō, ipse spolia ducis hostium prae sē gerēns in Capitōlium ēscendit, ibique cum spolia opīma ad quercum sacram dēposuisset, simul cum dōnō fīnēs templō Iovis dēsignāvit cognōmenque addidit deō: "Iuppiter Feretrī!" inquit, "Haec tibi victor Rōmulus rēx rēgia arma ferō templumque hōc locō voveō, quō posterī, mē auctōrem sequentēs, rēgibus ducibusque hostium caesīs, opīma spolia ferent."

spolia -ōrum *n* = arma hostī victō ērepta
ē-scendere -disse = ascendere
spolia *opīma* = spolia ducī hostium occīsō ērepta
dē-signāre = statuere

Feretrius -ī *m*: cognōmen Iovis cui spolia opīma feruntur


quercus -ūs *f*

Haec est orīgō templī quod prīmum omnium Rōmae sacrātum est. Posteā inter tot annōs, tot bella, bīna tantum spolia opīma capta sunt: adeō rāra fuit fortūna id decus adipīscendī.

decus -oris *n* = honōs

11 Dum ea ibi Rōmānī gerunt, Antemnātium exercitus per occāsiōnem hostīliter in fīnēs Rōmānōrum invāsit. Celeriter exercitus Rōmānus eōs in agrīs sparsōs oppressit. Hostēs igitur prīmō impetū et clāmōre fugātī sunt, oppidum captum.

gerere = agere
in-vādere -sisse -sum

Rōmulum duplicī victōriā ovantem mulierēs raptae ōrant 'ut parentibus suīs det veniam eōsque in cīvitātem accipiat: ita rem Rōmānam coalēscere concordiā posse.' Id facile impetrāvērunt. Inde contrā Crustumīnōs bel-

veniam dare = ignōscere

impetrāre = adipīscī id quod rogātur
inde = deinde

clādēs -is *f* ↔ victōria
animus cadit = animus (: virtūs) minuitur
migrāre = in alium locum īre habitātum

lum īnferentēs profectus est; ibi etiam minus certāminis fuit, quod aliēnīs clādibus ceciderant animī hostium. Ex utrāque cīvitāte frequentēs Rōmam migrāvērunt, parentēs māximē ac frātrēs raptārum.

Bellum Sabīnum

multō māximus = longē māximus
bellum ostendere : sē bellum factūrum esse ostendere

Novissimum ab Sabīnīs bellum ortum est, multōque id māximum fuit. Nihil enim per īram aut cupiditātem āctum est, nec ostendērunt bellum prius quam intulērunt. Nōn sōlum vī, sed etiam dolō ūsī sunt:

Sp. = Spurius (praenōmen)
necāvēre = *-ērunt*
im-pūne *adv* = sine poenā
prō-dere -didisse -ditum = trādere (in manūs hostium)
armilla -ae *f*



Sp. Tarpēius arcī Rōmānae praeerat. Huius fīlia virgō forte aquam petītum extrā moenia ierat. Eī Tatius aurō pollicendō persuāsit ut Sabīnōs armātōs in arcem acciperet. Acceptī Sabīnī Tarpēiam necāvēre! — seu ut arx potius vī quam dolō capta esse vidērētur, seu exemplī causā nē quis impūne patriam suam prōderet. Additur fābula, Tarpēiam mercēdem ab Sabīnīs postulāvisse 'id quod in sinistrīs manibus habērent' (nam Sabīnī aureās armillās magnī ponderis bracchiō laevō gemmātōsque ānulōs habēbant); ergō Sabīnōs prō aureīs dōnīs scūta in eam coniēcisse!

tenuēre = *-ērunt*
locus aequus ↔ clīvus
re-ciperāre = rūrsus capere
sub-iēre = *-ērunt*

Tenuēre tamen arcem Sabīnī. Atque inde posterō *12*
diē, cum exercitus Rōmānus inter Palātīnum Capitōlīnumque collem īnstrūctus esset, nōn prius dēscendērunt in locum aequum quam Rōmānī — īrā et cupiditāte arcis reciperandae accēnsī — montem subiēre. Uterque dux suās cōpiās ad pugnam concitābat, Sabīnōs Mettius

Curtius, Rōmānōs Hostius Hostīlius. Hic mīlitēs suōs inīquō locō pugnantēs animō atque audāciā sustinēbat.

Ut Hostius cecidit, cōnfestim aciēs Rōmāna cēdere coepit ac fugāta est. Ad veterem portam Palātiī Rōmulus, et ipse turbā fugientium āctus, arma ad caelum tollēns "Iuppiter! Tuīs" inquit "iussus avibus hīc in Palātiō prīma urbī fundāmenta iēcī. Arcem iam scelere ēmptam Sabīnī habent, inde hūc armātī tendunt. At tū, pater deum hominumque, hinc saltem arcē hostēs! Dēme terrōrem Rōmānīs fugamque foedam siste! Hīc ego tibi templum Statōrī Iovī, quod monumentum sit posterīs tuā praesentī ope servātam urbem esse, voveō." Haec precātus, velut sī sēnsisset audītās precēs, "Hinc" inquit, "Rōmānī, Iuppiter Optimus Māximus resistere atque iterāre pugnam iubet!"

Restitēre Rōmānī tamquam caelestī vōce iussī. Ipse ad prīmōrēs Rōmulus prōvolat. Mettius Curtius ab Sabīnīs prīnceps ab arce dēcurrerat et effūsōs ēgerat Rōmānōs per tōtam vallem ubi nunc est forum Rōmānum. Nec procul iam ā portā Palātiī erat, clāmitāns: "Vīcimus perfidōs hospitēs, imbellēs hostēs! Iam sciunt longē aliud esse virginēs rapere, aliud pugnāre cum virīs!"

In eum haec glōriantem cum globō ferōcissimōrum iuvenum Rōmulus impetum facit. Ex equō tum Mettius pugnābat, eō facilius fuit eum pellere. Pulsum Rōmānī persequuntur. Et reliqua Rōmāna aciēs, audāciā rēgis accēnsa, fundit Sabīnōs. Mettius, equō strepitū sequen-

in-īquus ↔ aequus; i. locus : clīvus
animus (fortis) = fortitūdō, virtūs
cōnfestim = statim
tuīs iussus avibus = iussū tuārum avium
de*um* (*gen pl*) = de*ōrum*
dēmere = adimere
sistere = stantem facere
Stator = quī sistit
monumentum esse alicui = aliquem monēre
audītās *esse*
iterāre = iterum facere, renovāre
restit*ēre* = *-ērunt*
prō-volāre
prīnceps = prīmus
effūsus -a -um (< effundere) = sparsus
clāmitāre = magnā vōce clāmāre
im-bellis -e ↔ bellicōsus
longē aliud... aliud: aliud... longē aliud
globus -ī *m* = turba, multitūdō
eō facilius = tantō facilius
fundere = turbāre ac fugāre

tium trepidante, in palūdem sēsē conicit et aegrē ē perīculō ēvādit. Rōmānī Sabīnīque in mediā valle inter duōs montēs renovant proelium, sed rēs Rōmāna erat superior.

Tum Sabīnae mulierēs, quārum ex iniūriā bellum ortum erat, crīnibus passīs scissāque veste — victō malīs muliebrī pavōre — ausae sunt sē inter tēla volantia īnferre. Ā latere impetū factō, īnfēstās aciēs dīvīsērunt, hinc patrēs, hinc virōs ōrantēs 'nē sanguine nefandō sē respergerent!' — "Sī vōs piget cōnūbiī inter vōs, in nōs vertite īrās! Nōs causa bellī, nōs causa vulnerum ac caedium virīs ac parentibus sumus. Melius perībimus, quam sine alterīs vestrum viduae aut orbae vīvēmus!" *13*

Movet rēs cum multitūdinem, tum ducēs. Silentium et repentīna fit quiēs. Inde ad foedus faciendum ducēs prōdeunt. Nec pācem modo, sed cīvitātem ūnam ex duābus faciunt. Rēgnum cōnsociant; imperium omne cōnferunt Rōmam. Ut Sabīnīs tamen aliquid darētur, cīvēs Rōmānī 'Quirītēs' ā Curibus appellātī sunt.

Ex bellō tam trīstī laeta repente pāx cāriōrēs Sabīnās virīs ac parentibus et ante omnēs Rōmulō ipsī fēcit. Itaque cum populum in cūriās trīgintā dīvideret, nōmina eārum cūriīs imposuit. Eōdem tempore et centuriae trēs equitum cōnscrīptae sunt: 'Ramnēnsēs' ab Rōmulō, ab T. Tatiō 'Titiēnsēs' appellātī — 'Lucerum' nōminis orīgō incerta est. Inde nōn modo commūne, sed concors etiam rēgnum duōbus rēgibus fuit.

aegrē = magnō cum labōre, vix
ē-vādere

iniūria mulierum = i. mulieribus facta

sē īn-ferre = penetrāre, sē prōicere
īnfēstus = hostīlis, ad pugnam parātus
ne-fandus -a -um = īnfandus
re-spergere = aspergere
pigēre = taedēre: mē piget = mē taedet
melius perībimus : perīre mālumus
alterīs vestrum : virīs aut patribus
orbus -a -um = quī parentem āmīsit

foedus -eris *n* = lēx quā pāx vel societās statuitur
prōd-īre = prōcēdere

cōn-sociāre = commūnem facere

Quirītēs -ium *m*
Curēs -ium *f*: oppidum Sabīnōrum
ex : post
Sabīnās cāriōrēs fēcit virīs...

centuria -ae *f* = mīlitum numerus C
cōn-scrībere (mīlitēs) = cōgere et armāre
(1) Ramnēnsēs -ium *m*
(2) Titiēnsēs -ium *m*
(3) Lucerēs -um *m*

concors -rdis = concordiā coniūnctus

Fidēnātēs et Vēientēs victī

14 Post aliquot annōs rēx Tatius Lāvīniī, cum ad sacrificium eō vēnisset, concursū factō interfectus est. Rōmulus eam rem minus aegrē quam dignum erat tulisse dīcitur, seu ob īnfīdam societātem rēgnī, seu quia haud iniūriā Tatium caesum crēdēbat. Itaque bellō quidem abstinuit, et foedus inter Rōmam Lāvīniumque urbēs renovātum est.

Fidēnātēs, Vēientēs -ium < Fidēnae -ārum *f*, Vēiī -ōrum *m*: cīvitātēs
concursus -ūs *m* < concurrere
aegrē ferre = aegrē patī
iniūriā ↔ iūre
caesum *esse*
bellō abstinēre = ā bellō sē abstinēre

Cum Lāvīniō quidem īnspērāta pāx erat. Aliud multō propius atque in ipsīs prope portīs bellum ortum est. Fidēnātēs, cum nimis vīcīnam urbem prope sē convalēscere vidērent, priusquam tam valida esset quam futūra esse vidēbātur, properant bellum facere. Iuventūte armātā immissā vāstātur id agrī quod inter urbem ac Fidēnās est. Inde ad laevam versī, quia ā dextrā Tiberis eōs arcēbat, cum magnō pavōre agrestium populantur. Hōc Rōmam nūntiātō, Rōmulus exercitum ēdūcit, castra mīlle passūs ā Fidēnīs locat. Ibi modicō praesidiō relictō, ēgressus cum omnibus cōpiīs partem mīlitum locīs occultīs sedēre in īnsidiīs iussit, ipse cum parte māiōre atque omnī equitātū profectus ad ipsās prope portās Fidēnārum accēdēns hostēs ad pugnam excīvit. Illī, numerum Rōmānōrum modicum contemnentēs, repente omnibus portīs ērumpunt ac Rōmānōs fugam simulantēs ad locum īnsidiārum persequuntur. Inde subitō exortī Rōmānī in latus hostium impetum faciunt. Simul ē castrīs mōta sunt signa eōrum quī in

īn-spērātus -a -um = contrā spem factus
con-valēscere -luisse = validus fierī
im-mittere < in-
vāstāre = vāstum (dēsertum) facere
id agrī (*gen*) = ea agrī pars
agrestis -is *m* = agricola
populārī = vāstāre
modicus -a -um = nec magnus nec parvus
praesidium -ī *n* = mīlitēs ad locum dēfendendum locātī
īnsidiae = locus occultus unde impetus subitus fit
ex-cīre = ēvocāre, excitāre
signa movēre = ē castrīs prōgredī

per-cellere -culisse -culsum = percutere (animum), perturbāre

circum-agere = convertere

ēripuēre = -ērunt

op-pōnere (< ob-) = contrā pōnere

ir-rumpere < in- (↔ ē-rumpere)

Rōmānus = dux Rōmānus : Rōmulus

quem postquam : postquam eum

accessūrum *esse*

dī-micāre = pugnāre

fundere fūdisse fūsum

mīlitia -ae *f* = vīta mīlitāris

domī mīlitiaeque = in pāce et in bellō

valēre = validus esse

patrēs = senātōrēs

acceptus -a -um = grātus

praesidiō relictī erant. Ita māximō terrōre perculsī Fidēnātēs, prius paene quam Rōmulus equitēsque quī cum eō erant circumagerent equōs, terga vertērunt atque oppidum repetēbant. Nōn tamen ā persequentibus sē ēripuēre: priusquam forēs portārum oppōnerentur, Rōmānī velut ūnō agmine in oppidum irrūpērunt.

Hōc bellō concitātī Vēientēs quoque in fīnēs Rōmā- *15*
nōs excurrērunt vāstantēs magis quam iūstī mōre bellī. Itaque nōn castrīs positīs, nōn exspectātō hostium exercitū, raptam ex agrīs praedam portantēs Vēiōs rediēre. Rōmānus contrā, postquam hostem in agrīs nōn invēnit, magnō exercitū Tiberim trānsiit. Quem postquam castra pōnere et ad urbem accessūrum Vēientēs audīvēre, obviam ēgressī sunt, ut potius aciē certārent quam inclūsī dē tēctīs moenibusque dīmicārent. Ibi nūllō dolō adiūtus, tantum virtūte mīlitum rēx Rōmānus vīcit. Hostēs fūsōs ad moenia persecūtus, urbe validā mūrīs ac sitū ipsō mūnītā abstinuit, agrōs rediēns vāstāvit, ulcīscendī magis quam praedae studiō. Eā clāde coāctī Vēientēs pācem petītum lēgātōs Rōmam mittunt.

Rōmulus cōnsecrātus

Haec Rōmulō rēgnante domī mīlitiaeque gesta sunt. Ab illō vīribus datīs, tantum valuit urbs Rōma ut in quadrāgintā deinde annōs tūtam pācem habēret. Multitūdinī tamen rēx grātior fuit quam patribus, longē ante aliōs acceptissimus mīlitum animīs. Trecentōsque

armātōs ad cūstōdiam corporis, quōs Celerēs appellāvit, nōn in bellō sōlum, sed etiam in pāce habuit.

16 Hīs immortālibus perfectīs operibus, cum Rōmulus cōntiōnem mīlitum in campō Mārtiō habēret, subitō coorta tempestās cum magnō fragōre tonitribusque tam dēnsō nimbō rēgem operuit ut cōnspectum eius mīlitibus abstulerit. Nec deinde in terrīs Rōmulus fuit. Rōmānī iuvenēs, postquam ex tam turbidō diē serēna et tranquilla lūx rediit, ubi vacuam sēdem rēgiam vīdērunt, velut sī orbī factī essent, maestī aliquamdiū siluērunt. Patrēs vērō quī proximī steterant 'rēgem procellā in caelum raptum esse' affirmāvērunt. Deinde, ā paucīs initiō factō, ūniversī Rōmulum 'deum deō nātum, rēgem parentemque urbis Rōmānae' salvēre iubent.

Fuisse crēdō tum quoque aliquōs quī 'rēgem ā patribus interēmptum esse' clam arguerent. Nē huic fāmae plēbs crēderet, Proculus Iūlius, senātor nōbilissimus, in cōntiōnem prōdiit. "Quirītēs!" inquit, "Rōmulus, parēns urbis huius, prīmā hodiernā lūce dē caelō repente dēlāpsus mihi obvius fuit. Cum perfūsus horrōre cōnstitissem, 'Abī, nūntiā' inquit 'Rōmānīs, caelestēs ita velle ut mea Rōma caput orbis terrārum sit; proinde rem mīlitārem colant sciantque — et ita posterīs trādant — nūllās opēs hūmānās armīs Rōmānīs resistere posse.' Haec" inquit "locūtus sublīmis abiit." Illī virō nūntiantī haec plēbs crēdidit. Fānum in colle Quirīnālī Rōmulō deō, quī īdem Quirīnus vocātur, dicātum est.

equitēs armātōs

cōntiō -ōnis *f* = populus /exercitus convocātus
co-orīrī -ortum = orīrī
dēnsus -a -um: (nimbus) dēnsus ↔ tenuis
: ut eum ē cōnspectū mīlitum abstulerit

aliquam-diū = aliquantum temporis (nesciō quamdiū)
stāre stetisse

salvēre iubent = salūtant

arguere = accūsandō dīcere, accūsāre
plēbs -bis *f* = plēbēiī, populus Rōmānus praeter patrēs et patriciōs

hodiernus -a -um < hodiē
dē-lābī
ob-vius -a -um = quī obviam it; o. esse = obviam īre
caelestēs -ium *m* = dī

colere = cūrāre
(posterīs) trādere = nārrāre

sublīmis -e = altus, superiōre locō situs; s. abīre = ad caelum a.
fānum -ī *n* = templum

inter-rēgnum -ī *n* = tempus inter duo rēgna

peregrīnus -a -um = cui alia patria est
in-cēdere

externus -a -um ↔ internus
ad-orīrī = oppugnāre
patribus placet = patrēs volunt
(alicui) con-cēdere = cēdere (↔ resistere)

imperitāre = imperāre
inter-rēx -rēgis *m*

factōs *esse*

populus = plēbs

dē-cernere -crēvisse -crētum = statuere quid faciendum sit
auctor fierī : rēgem creātum probāre
quod bonum sit = utinam hoc bonum sit
faustus -a -um = fēlīx

patribus vidētur = patribus placet, patrēs volunt

Interrēgnum

Patrēs interim dē rēgnō certābant. Quī ab Sabīnīs ortī *17*
erant, quia post Tatiī mortem nēmō eōrum rēgnāverat, rēgem Sabīnum creārī volēbant. Rōmānī veterēs peregrīnum rēgem spernēbant. Timor deinde patrēs incessit nē cīvitātem sine imperiō, exercitum sine duce vīs aliqua externa adorīrētur. Omnibus igitur patribus placēbat aliquod caput cīvitātis esse, nec vērō quisquam alterī concēdere volēbat. Itaque centum patrēs summum imperium inter sē cōnsociāvērunt. Dēnī simul quīnōs diēs imperitābant, quōrum prīncipēs, quī 'interrēgēs' nōminābantur, cum īnsignibus imperiī erant. Ita imperium per omnēs in orbem ībat. Id 'interrēgnum' appellātum est.

Plēbs autem querēbātur 'centum prō ūnō dominōs factōs' et rēgem ā sē creātum postulābant. Cum hoc sēnsissent patrēs, populō concēdendum esse cēnsuērunt — ita tamen ut nōn plūs iūris darent quam retinērent. Dēcrēvērunt enim ut, cum populus rēgem creāvisset, patrēs auctōrēs fierent.

Tum interrēx, cōntiōne advocātā, "Quod bonum, faustum fēlīxque sit" inquit, "Quirītēs, rēgem creāte! Ita patribus vīsum est. Patrēs deinde, sī rēgem dignum quī secundus ab Rōmulō numerētur creāveritis, auctōrēs fient."

Ita plēbī permissum est ut rēgem creāret, sed tamen senātus dēcernēbat quis Rōmae rēgnāret.

Numa Pompilius rēx

18 Eō tempore Numa Pompilius Curibus habitābat, vir prūdentissimus iūris dīvīnī atque hūmānī — ut in illā aetāte quisquam esse poterat. Eum populus Rōmānus rēgem creāvit. Audītō nōmine Numae patrēs Rōmānī, quamquam peregrīnus erat, tamen nēminem illī virō praeferre ausī, ad ūnum omnēs Numae Pompiliō rēgnum trādendum esse dēcernunt.

Rōmam arcessītus Numa, sīcut Rōmulus auspicātō rēgnum adeptus est, dē sē quoque deōs cōnsulī iussit. Inde ab augure dēductus in arcem, in lapide ad merīdiem versus cōnsēdit. Augur ad laevam eius capite vēlātō sēdem cēpit dextrā manū baculum aduncum tenēns, quem 'lituum' appellāvērunt. Inde in urbem agrumque prōspiciēns deōs precātus regiōnēs ab oriente ad occidentem animō fīnīvit. Tum lituō in laevam manum trānslātō, dextrā in caput Numae impositā, ita precātus est: "Iuppiter pater, sī est fās hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneō, rēgem Rōmae esse, uti tū signa nōbīs certa dēclārēs inter eōs fīnēs quōs fēcī!" Tum auspiciīs missīs dēclārātus rēx Numa dē templō dēscendit.

19 Quī rēgnō ita potītus urbem novam, conditam vī et armīs, iūre lēgibusque ac mōribus dē integrō condere parat. Populum ferōcem pāce mītigandum esse ratus, Iānum ad īnfimum Argīlētum fēcit, quī apertus bellum, clausus pācem esse indicāret. (Bis deinde post Numae

iūris prūdens = quī iūs scit/intellegit



ausus = audēns
ad ūnum omnēs = omnēs ūnō ōre

auspicātō *adv* = postquam auspicātus est

augur -is *m* = sacerdōs quī auspicātur
vēlāre = veste operīre
sēdem capere = cōnsīdere
aduncus -a -um = extrēmā parte curvus:



locum fīnīre = fīnēs locī dēsignāre
trāns-ferre -tulisse trāns-/trā-lātum

uti/utī = ut, utinam
dē-clārāre = ostendere, nōtum facere

templum = locus ab augure fīnītus et sacrātus

: postquam is rēgnō ita potītus est
dē integrō = dēnuō

rērī ratum esse; ratus = arbitrātus, cum arbitrārētur

indicāre = nōtum facere

rēgnum clausus est, semel T. Mānliō cōnsule post prīmum bellum Pūnicum perfectum, iterum post proelium Actiacum ab imperātōre Caesare Augustō pāce terrā marīque partā.)

Clausō Iānō, cum omnium fīnitimōrum animōs societāte ac foederibus sibi iūnxisset, dēpositīs externōrum perīculōrum cūrīs, Numa omnium prīmum deōrum metum Rōmānīs iniciendum esse ratus est. Quī cum dēscendere ad animōs nōn posset sine aliquō dīvīnō mīrāculō, simulat sibi cum deā Ēgeriā nocturnōs sermōnēs esse: 'eius monitū sē sacra quae dīs acceptissima essent īnstituere, et sacerdōtēs suōs cuique deōrum praeficere.'

Atque omnium prīmum ad cursūs lūnae in duodecim mēnsēs discrīpsit annum, additīs Iānuāriō et Februāriō. Īdem nefāstōs diēs fāstōsque fēcit, quia aliquandō nihil cum populō agī ūtile futūrum esset.

Tum ad sacerdōtēs creandōs animum advertit, quam- *20*
quam ipse plūrimīs sacrīs, māximē sacrīs Iovis, praeerat. Sed quia in cīvitāte bellicōsā plūrēs Rōmulī quam Numae similēs rēgēs fore putābat itūrōsque ipsōs ad bella, nē rēge absente sacra neglegerentur, Iovī assiduum sacerdōtem creāvit quī 'flāmen Diālis' appellātus est. Huic duōs flāminēs adiēcit, Mārtī ūnum, alterum Quirīnō, virginēsque Vestālēs lēgit; hīs, ut assiduae templī sacerdōtēs essent, stipendium dē pūblicō statuit, eāsque virginitāte sānctās fēcit. Saliōs item duodecim

[annō 235 a. C.]

Pūnicus -a -um = Karthāginiēnsis
Actiacus -a -um < Actium [annō 31 a. C.]
pācem parere = pācem facere

(cūram) dē-pōnere = dīmittere, relinquere

in-icere < in + iacere; metum iīs i. = eōs metuentēs facere
mīrāculum -ī *n* = rēs mīrābilis
nocturnus -a -um < nox
monitus -ūs *m* < monēre

suōs : propriōs

di-scrībere = in certās partēs dīvidere
(diēs) fāstus/nefāstus: quō fās/nefās est cum populō agere (: iūs dīcere)
ūtilis -e = quī prōdest (↔ inūtilis)
ad-vertere

Rōmulī (*gen*) similis = Rōmulō (*dat*) s.

assiduus -a -um = quī semper adest
flāmen -inis *m* = sacerdōs deī proprius

pūblicum -ī *n* = pecūnia pūblica, aerārium
sānctus -a -um = iūre dīvīnō tūtus, sacer
Saliī -ōrum *m*: sacerdōtēs Mārtis

Mārtī lēgit caelestiaque arma, quae 'ancīlia' appellantur, ferre ac per urbem saltāre canentēs carmina iussit. Pontificem deinde generum suum Numam Mārcium ex patribus lēgit eīque sacra omnia scrīpta trādidit, quibus hostiīs, quibus diēbus, ad quae templa sacra fierent. Cētera quoque omnia pūblica prīvātaque sacra pontificī mandāvit, ut esset quem plēbs cōnsuleret, nē rītūs neglegerentur.

21 Cum igitur multitūdō omnis ā vī et armīs ad rēs dīvīnās cūrandās conversa esset, tum fīnitimī etiam populī — quī anteā castra, nōn urbem in mediō positam esse ad turbandam omnium pācem crēdiderant — nefās putābant violāre cīvitātem quae tantā dīligentiā deōs coleret. Quam ob rem tūta pāx per omne Numae rēgnī tempus cōnservāta est.

Ita duo deinceps rēgēs, alius aliā viā, ille bellō, hic pāce, cīvitātem auxērunt. Rōmulus septem et trīgintā rēgnāvit annōs, Numa trēs et quadrāgintā. Cum valida, tum temperāta et bellī et pācis artibus erat cīvitās.

RAPINA SABINARVM

[*Ovidius: Ars amātōria. Ex librō I v. 109–110, 113–132*]

Respiciunt oculīsque notant sibi quisque puellam
 quam velit, et tacitō pectore multa movent.
In mediō plausū (plausūs tunc arte carēbant)
 rēx populō praedae signa --- dedit.

ancīle -is *n* = clipeus Saliōrum
saltāre = arte salīre /membra movēre
gener -erī *m* = marītus fīliae

mandāre = trādere, dare negōtium
ut esset *aliquis*

violāre = (reī sānctae) vim afferre
dīligentia -ae *f* < dīligēns
deōs colere = rēs dīvīnās cūrāre
cōn-servāre = integrum servāre
deinceps *adv* = alius post alium
alius aliā viā: alter alterā viā (bellō), alter alterā (pāce)

temperāre = placidum facere (↔ turbāre)

rapīna -ae *f* < rapere

amātōrius -a -um: ars amātōria = ars amandī
notāre = dīligenter animadvertere
movent : cōgitant

plausus -ūs *m* < plaudere

signa : sign*um* (--- : 3 syllabae dēsunt)

Prōtinus exsiliunt, animum clāmōre fatentēs,
virginibus cupidās iniciuntque manūs!
Ut fugiunt aquilās, timidissima turba, columbae,
utque fugit vīsōs agna novella lupōs,
sīc illae timuēre virōs sine lēge ruentēs
— cōnstitit in nūllā quī fuit ante color.
Nam timor ūnus erat, faciēs nōn ūna timōris:
pars laniat crīnēs, pars sine mente sedet,
altera maesta silet, frūstrā vocat altera mātrem,
haec queritur, stupet haec, haec manet, illa fugit.
Dūcuntur raptae, geniālis praeda, puellae,
et potuit multās ipse decēre timor.
Sī qua repugnābat nimium comitemque negābat,
sublātam cupidō vir tulit ipse sinū
atque ita "Quid tenerōs lacrimīs corrumpis ocellōs?
Quod mātrī pater est hoc tibi" dīxit "erō."
Rōmule, mīlitibus scīstī dare commoda sōlus:
haec mihi sī dederis commoda, mīles erō!

ex-silīre < ex + salīre
virginibusque iniciunt
ut columbae, timidissima turba, fugiunt
agnus *m*; agna -ae *f*
novellus -a -um = parvulus
cōnstāre -stitisse = īdem manēre
color quī fuit ante
faciēs = fōrma
laniāre = scindere

columba -ae *f*



geniālis -e = iugālis
sī qua = sī aliqua (puella)
sinus = pectus; *in* cupidō sinū
cor-rumpere = prāvum/foedum facere, perdere
scīstī = scī*vi*stī
commodum -ī *n* = bonum, rēs ūtilis

MVLIERES PACEM FACIVNT

[*Ovidius: Fāstī. Ex librō III v. 215–228*]

Iam stābant aciēs ferrō mortīque parātae
iam lituō tubicen signa datūrus erat —
cum raptae veniunt inter patrēsque virōsque,
inque sinū nātōs, pignora cāra, ferunt.
Ut medium campī passīs tetigēre capillīs,
in terram positō prōcubuēre genū,

fāstī -ōrum *m* = tabula diērum fāstōrum: titulus carminis Ovidiī dē diēbus annī
ferrō (*dat*): ad ferrum (: pugnam)
lituus = tuba adunca
tubicen -inis *m* = quī tubā canit
-que… -que = et… et
pignus -oris *n* = rēs cāra data fideī causā (prō pecūniā mūtuā); līberī sunt 'pignora amōris'
prō-cumbere -cubuisse ↔ re-cumbere

et quasi sentīrent, blandō clāmōre nepōtēs
tendēbant ad avōs bracchia parva suōs;
quī poterat clāmābat 'avum', tunc dēnique vīsum,
et quī vix poterat posse coāctus erat!
Tēla virīs animīque cadunt, gladiīsque remōtīs
dant socerī generīs accipiuntque manūs,
laudātāsque tenent nātās, scūtōque nepōtem
fert avus: hic scūtī dulcior ūsus erat!

ad avōs suōs

tubicen



socer -erī *m* = pater coniugis
nāta -ae *f* = fīlia

PENSVM A

Dē modīs verbōrum

Magister discipulōs tac– et aud– iubet: "Tac–, discipulī, et aud–!" Mārcus nōn tac– nec aud–; magister eum monet ut tac– et aud–: "Tac–, Mārce, et aud–! Quot sunt bis sēna (2×6)?" Magister interrog– quot s– bis sēna, ac Mārcō imperat ut surg– et respond–: "Surg– et respond–, Mārce, sed cav– nē prāvē respond–!" Mārcus nōn surg– nec respond–. Magister: "Aud–, Mārce: iubeō tē surg– et respond–." Mārcus: "Nesciō quid respond–." Magister iubet eum digitīs comput–: "Digitīs comput–! Cūrā ut rēctē comput–!" Mārcus: "Interrog– aliōs! Nōlī semper mē interrog–!" Mārcus magistrum monet ut aliōs interrog–.

Cicerō cōnsul Catilīnam ex urbe ēgred– et proficīsc– iussit: "Egred– ex urbe! Patent portae: proficīsc–!" Cōnsul ōrātione suā effēcit ut Catilīna ex urbe ēgred– et in Etrūriam proficīsc–.

Latīnus ab Aenēā quaesīvit 'quis es– et quid quaer–': "Tū quis — et quid quaer–?" Ille respondit 'sē es– Aenēam Trōiānum novamque sēdem quaer–': "Ego — Aenēās Trōiānus; novam sēdem quaer–."

Vocābula nova:
fascis
secūris
īnsigne
līctor
asȳlum
cīvitās
lēgātiō
indignātiō
spectāculum
lūdicrum
occāsiō
spolia
quercus
decus
clādēs
armilla
globus
foedus
centuria
concursus
praesidium
mīlitia
cōntiō
plēbs
fānum
interrēgnum
interrēx
augur
lituus
mīrāculum
monitus
flāmen
ancīle
gener
dīligentia
plausus

columba
agna
commodum
tubicen
pignus
socer
agrestis
vānus
vīcīnus
hospitālis
blandus
lentus
opīmus
inīquus
imbellis
nefandus
concors
īnspērātus
modicus
acceptus
dēnsus
hodiernus
obvius
sublīmis
peregrīnus
externus
faustus
aduncus
nocturnus
nefāstus
fāstus
ūtilis
assiduus
sānctus
amātōrius
novellus
geniālis
coalēscere
anteīre
perfugere
creāre
spernere
discurrere
profugere
mītigāre
concitāre
fugāre
spoliāre
ēscendere
dēsignāre
invādere
impetrāre
migrāre

PENSVM B

Rōmulus rēx XII — sūmpsit, quī — imperiī, — et —, gererent, et C senātōrēs — [= lēgit]. Gentēs — [= fīnitimae] Rōmānōs — [= contemnēbant] nec — Rōmānam benignē audīvērunt. Id Rōmulus — passus est, sed — suam dissimulāns fīnitimōs ad — [= lūdōs] vocāvit. In mediō — [< plaudere] iuvenēs Rōmānī — [= clāmantēs] — virginibusque manūs —, ut nārrat Ovidius in 'Arte —.' Parentēs virginum terrōre — [= percussī] — [= aufugiunt]. Rōmulus — verbīs animōs virginum — cōnābātur, sed parentēs cīvēs suōs contrā Rōmānōs —. Dum aliī — [= tempus idōneum] exspectant, Caenīnēnsēs in fīnēs Rōmānōrum —, sed Rōmulus — [= statim] eōs — [= in fugam vertit] et ipse rēgem eōrum occīdit et —; — rēgis in Capitōliō ad — sacram dēposuit et fīnēs templō Iovis —. Mulierēs ōrābant ut parentibus licēret Rōmam —; quod facile —.

Tarpēia nōn — [= sine poenā] arcem hostibus —. Rōmulus Iovem ōrāvit ut fugam Rōmānōrum —. Tum mulierēs sē inter aciēs intulērunt patrēs virōsque ōrantēs 'nē sanguine — [= īnfandō] sē —!' Movet rēs — multitūdinem — ducēs [= et m. et d.]. Sabīnī — [= virīs fīliārum] et Rōmānī — suīs dextrās dant ac ducēs ad — faciendum — [= prōcēdunt]. Ūnam — ē duābus faciunt et rēgnum —; nōn modo commūne, sed etiam — rēgnum eōrum fuit. Rōmulus rēx trēs — equitum —. Ita equitātū Rōmānō auctō cum fīnitimīs, quī agrōs Rōmānōs — [= populābantur] — [= pugnāvit] eōsque vīcit. Haec ā Rōmulō domī —que gesta sunt. Cum — mīlitum habēret, subitō — [= ortā] procellā — [= ad caelum] raptus est. Proculus Iūlius affīrmāvit 'Rōmulum dē caelō — sibi — fuisse.'

Post breve — populus Numam, quamquam — erat, rēgem creāvit et patrēs auctōrēs factī sunt: ergō nōn — [=populus], sed patrēs — quis Rōmae rēgnāret. Tum —, capite — et — (id est baculum —) tenēns, Iovem precātus est — [= ut] signa certa —; ita Numa — [= auspiciīs missīs] rēx — est.

Numa rēs — [< ūtī] īnstituit: annum in XII mēnsēs — et diēs — et — fēcit; — Diālem creāvit ac Vestālēs, Vestae sacerdōtēs — [=semper praesentēs], quās virginitāte — fēcit; nec quae— virgō Vestālis fierī poterat, sed nōbilissimae tantum. Cum igitur fīnitimī nefās putārent cīvitātem sānctam —, pāx multōs annōs — est.

Iānus clausus pācem esse —. Quī — [=valdē] maeret crīnēs et vestem — [= scindit] et ocellōs lacrimīs —. Prō pecūniā mūtuā — dandum est. — [< nox] tempore nauta sīdera in caelō — [= animadvertit].

Synōnyma: honōs et —; templum et aedēs et —; rēs mīrābilis et —; rūsticus et —; tardus et —; fēlīx et —; grātus et —; iterum facere et —; taedēre et —; validus fierī et —; oppugnāre et —; aliquantum temporis et —; dēnuō et dē —.

Contrāria: victōria et —; aequus et —; bellicōsus et —; internus et —; concurrere et —; ērumpere et —; āvertere et —; recumbere et —.

PENSVM C

Quae sunt īnsignia imperiī?
Quōmodo Rōmulus cīvitātem auxit?
Cūr novus populus uxōribus carēbat?
Quārē Rōmulus fīnitimōs ad lūdōs vocāvit?
Quō rēx victor spolia opīma tulit?
Quōmodo Sabīnī arcem Rōmānam cēpērunt?
Quārē scūta sua in puellam coniēcērunt?
Quid fēcit Rōmulus cum Rōmānī fugerent?
Quam ob rem pāx facta est cum Sabīnīs?
Cūr Rōmulus Vēiōs expugnāre nōn potuit?
Quid accidit cum rēx cōntiōnem mīlitum habēret?
Num mīlitēs rēgem in caelum rapī vīdērunt?
Quid Proculus Iūlius nārrāvit?
Quōmodo novus rēx creātus est?
Uter rēx ferōcior fuit, Rōmulusne an Numa?
Quōmodo Numa populum bellicōsum temperāvit?

prōdere
reciperāre
sistere
iterāre
prōvolāre
clāmitāre
ēvādere
respergere
pigēre
prōdīre
cōnsociāre
cōnscrībere
convalēscere
immittere
vāstāre
populārī
excīre
percellere
oppōnere
irrumpere
dīmicāre
coorīrī
dēlābī
adorīrī
imperitāre
dēcernere
vēlāre
dēclārāre
indicāre
inicere
discrībere
advertere
saltāre
violāre
cōnservāre
temperāre
notāre
exsilīre
laniāre
corrumpere
prōcumbere
cum...tum
quīlibet
aegrē
proinde
admodum
impūne
cōnfestim
aliquamdiū
auspicātō
uti
dē integrō
deinceps



ROMA ET ALBA

[*Ex T. Līviī 'Ab urbe conditā' librō I.22–31, nōnnūllīs mūtātīs et praetermissīs*]

bellum in-dīcere = dīcere sē bellum factūrum esse
rēs : rēs pūblica
cuius pugna...
dis-similis -e ↔ similis
avītus -a -um < avus
stimulāre = incitāre
senēscere -nuisse = senex fierī
ōtium = pāx
māteria : causa
utrimque = ab utrāque parte

Albānīs bellum indictum

Numae morte ad interrēgnum rēs rediit. Inde Tullum 22
Hostīlium, nepōtem Hostiī Hostīliī, cuius in īnfimā arce clāra pugna adversus Sabīnōs fuerat, rēgem populus creāvit; patrēs auctōrēs factī sunt.

Hic nōn sōlum proximō rēgī dissimilis, sed ferōcior etiam quam Rōmulus fuit. Cum aetās vīrēsque, tum avīta quoque glōria animum stimulābat. Senēscere igitur cīvitātem ōtiō ratus, undique māteriam bellī faciendī quaerēbat.

Forte ēvēnit ut agrestēs Rōmānī ex Albānō agrō, Albānī ex Rōmānō praedās agerent. Imperitābat tum Gāius Cluilius Albae. Utrimque lēgātī eōdem ferē tem-

pore ad rēs repetendās missī sunt. Tullus imperāverat suīs ut sine morā mandāta agerent. Satis sciēbat rēgem Albānum negātūrum esse: ita iūre bellum indīcī posse. Ab lēgātīs Albānīs sēgnius rēs ācta est. Exceptī ab Tullō blandē ac benignē, libenter rēgis convīviō intersunt. Interim Rōmānī et rēs repetīverant priōrēs et negantī rēgī Albānō bellum in trīcēsimum diem indīxerant. Haec renūntiant Tullō. Tum Tullus ā lēgātīs Albānīs quaerit 'quid petentēs vēnerint?' Illī prīmum sē pūrgāre cōnantur: 'sē invītōs aliquid quod displiceat Tullō dictūrōs esse: rēs repetītum sē vēnisse; nisi reddantur, bellum indīcere iussōs esse.' Ad haec Tullus "Nūntiāte" inquit "rēgī vestrō rēgem Rōmānum deōs facere testēs uter prius populus lēgātōs rēs repetentēs superbē dīmīserit, ut in eum omnēs huius bellī clādēs vertant!"

23 Haec nūntiant domum Albānī. Et bellum utrimque omnibus vīribus parābātur, cīvīlī bellō simillimum, prope inter parentēs nātōsque, cum Rōmānī ab Albā ortī essent.

Albānī priōrēs ingentī exercitū in agrum Rōmānum impetum fēcēre. Castra locant, fossā circumdant, haud plūs quīnque mīlia passuum ab urbe, nam hoc spatium interest inter Rōmam et locum quī 'fossa Cluilia' ab nōmine ducis per aliquot saecula appellātus est, quoad nōmen vetustāte abolēvit. In hīs castrīs Cluilius, Albānus rēx, moritur. Albānī Mettium Fūfētium dictātōrem creant.

rēs re-petere = postulāre ut rēs reddantur

convīviō (*dat*) interesse = in convīviō adesse

re-nūntiāre

pūrgāre = pūrum facere, excūsāre

invītus -a -um = nōlēns (↔ libēns)

dis-plicēre ↔ placēre

cīvīlis -e < cīvis; bellum c.e = bellum inter cīvēs

similis: *comp* -ilior, *sup* -illimus

plūs v mīlia = plūs quam v mīlia

spatium -ī *n*: centum passūs haud magnum *spatium* est

abolēscere -ēvisse = abolērī, ē memoriā exīre

dictātor -ōris *m* = dux cui rēgia potestās datur

(frātrēs) tri-geminī = trēs eōdem diē nātī
morte : ob mortem

(castra) statīva = castra quae diū ūnō locō stant
dūcit *exercitum*
quam proximē potest = tam prope quam (māximē) potest

per-tinēre ad = attingere, afficere

et Albānī = etiam A.

ex foedere = ex verbīs foederis

cognātus -a -um = ab eōdem ortus
quō... eō... (+ *comp*) = quantō... tantō...
propior -ius *comp* (< prope)
memor esse = meminisse; m. estō = mementō

spectāculō (*dat*) esse alicui = spectārī ab aliquō
ag-gredī -gressum = oppugnāre, adorīrī
via : modus agendī

quā dēcernī possit utrī utrīs imperent
utrī utrīs : uter utrī populō
indolēs -is *f* = ingenium

Trigeminōrum pugna

Interim Tullus ferōx, praecipuē morte rēgis, nocte praeteritīs hostium castrīs īnfēstō exercitū in agrum Albānum pergit. Ea rēs ab statīvīs excīvit Mettium. Dūcit quam proximē ad hostem potest. Inde lēgātum praemissum nūntiāre Tullō iubet, 'priusquam dīmicent, opus esse colloquiō; sē aliquid allātūrum esse quod nōn minus ad rem Rōmānam quam ad Albānam pertineat.'

Tullus colloquium haud recūsat, sed tamen cōpiās suās in aciem ēdūcit. Exeunt contrā et Albānī. Postquam instrūctī utrimque stābant, cum paucīs comitibus in medium ducēs prōcēdunt. Ibi ōrdītur Albānus: "Iniūriae et rēs nōn redditae, quae ex foedere repetītae sunt, causa huius bellī esse dīcuntur. Sed sī vēra dīcenda sunt, cupīdō imperiī duōs cognātōs vīcīnōsque populōs ad arma stimulat. Illud tē, Tulle, moneō: Etrūsca rēs quanta sit, tū, quō propior es, eō magis scīs. Multum illī terrā, plūrimum marī valent. Memor estō, iam cum signum pugnae dabis, hās duās aciēs spectāculō fore Etrūscīs, ut pugnā fessōs cōnfectōsque, simul victōrem ac victum, aggrediantur. Itaque — sī nōs dī amant — ineāmus aliquam viam, quā sine magnā clāde, sine multō sanguine utrīusque populī dēcernī possit utrī utrīs imperent."

Haud displicet rēs Tullō, quamquam cum indole, tum spē victōriae ferōcior erat. Ratiōnem ineunt, cui et fortūna ipsa praebuit māteriam: Forte in duōbus tum *24*

exercitibus erant trigeminī frātrēs, Horātiī Cūriātiīque, nec aetāte nec vīribus disparēs. Eōs rogant rēgēs ut prō suā quisque patriā dīmicet ferrō: 'ibi imperium fore unde victōria fuerit.'

dis-pār -paris = impār, dissimilis
ferrum : gladius
ibi unde victōria fuerit : apud eōs quī vīcerint

Frātrēs nōn recūsant. Tempus et locus convenit. Priusquam dīmicārent, foedus ictum est inter Rōmānōs et Albānōs hīs lēgibus 'ut cuius populī cīvēs eō certāmine vīcissent, is alterī populō cum bonā pāce imperitāret.'

foedus īcere = foedus facere
lēgēs = condiciōnēs
cuius populī cīvēs = populus cuius cīvēs

25 Foedere ictō, trigeminī — sīcut convēnerat — arma capiunt. Cum utrīque suōs adhortārentur — 'deōs patriōs, patriam ac parentēs omnēsque cīvēs illōrum tunc arma, illōrum intuērī manūs!' — ferōcēs in medium inter duās aciēs iuvenēs prōcēdunt. Cōnsēderant utrimque prō castrīs duo exercitūs intentī in minimē grātum spectāculum.

utrīque : et Rōmānī et Albānī
ad-hortārī = hortārī
"di*ī* patri*ī*, patri*a* ac parent*ēs*... *vestra nunc* arma, *vestrās* manūs intu*entur*"
prō castrīs = ante castra (prōspiciēns ā castrīs)

Datur signum, īnfēstīsque armīs velut aciēs ternī iuvenēs, magnōrum exercituum animōs gerentēs, concurrunt. Nec hīs nec illīs perīculum suum ob oculōs versātur, sed pūblicum imperium servitiumque. Ut prīmō statim concursū increpuēre arma micantēsque fulsēre gladiī, horror ingēns spectantēs perfūdit. Deinde, cum iam nōn mōtus tantum corporum agitātiōque anceps tēlōrum armōrumque sed vulnera quoque et sanguis spectāculō essent, duo Rōmānī super alium alius, vulnerātīs tribus Albānīs, exspīrantēs concidērunt. Ad quōrum cāsum cum conclāmāvisset gaudiō Albānus

suum : ipsōrum
ob = ante
servitium -ī *n* = servitūs (↔ imperium)
in-crepāre -uisse = strepitum facere
spectantēs = spectātōrēs
mōtus -ūs *m* < movēre
agitātiō -ōnis *f* < *agitāre* = citō movēre
anceps -cipitis = in utramque partem versus
: super alterum alter
ex-spīrāre = morī

integer : incolumis

nē-quāquam = nūllō modō
fugam capit = fugere incipit
secūtūrōs *esse*

inter-vāllum -ī *n* = spatium interiectum

in-clāmāre alicui = clāmāre ad aliquem

(rē) dē-fungī -fūnctum = (rem) cōnficere, peragere

cōnficit : interficit
in-tāctus -a -um = nōn tāctus, integer
gemināre = duplicem facere, bis facere
dabat : faciēbat
fessum corpus

strāgēs -is *f* = caedēs
ob-icere = oppōnere, offerre
iugulum -ī *n* = prior collī pars



iugulum

quō locō = eō locō quō

exercitus, Rōmānās legiōnēs iam spēs tōta dēseruerat.

Forte ūnus Horātius integer fuit — ut ūniversīs sōlus nēquāquam pār, sīc adversus singulōs ferōx. Ergō, ut dīvideret pugnam eōrum, capit fugam, ita ratus Albānōs secūtūrōs ut quemque vulnere affectum corpus sineret. Iam aliquantum spatiī ex eō locō ubi pugnātum est aufūgerat, cum respiciēns videt Cūriātiōs magnīs intervāllīs sequentēs, ūnum haud procul ab sēsē abesse. In eum magnō impetū rediit. Et dum Albānus exercitus inclāmat Cūriātiīs uti opem ferant frātrī, iam Horātius caesō hoste victor secundam pugnam petēbat. Tunc clāmōre ingentī Rōmānī adiuvant mīlitem suum. Et ille dēfungī proeliō festīnat. Prius igitur quam alter — nec procul aberat — cōnsequī posset, et alterum Cūriātium cōnficit. Iamque singulī supererant, sed nec spē nec vīribus parēs. Alterum intāctum ferrō corpus et gemināta victōria ferōcem in certāmen tertium dabat; alter, fessum vulnere fessum cursū corpus trahēns victusque frātrum ante sē strāge, victōrī obicitur hostī. Nec illud proelium fuit: male sustinentī arma gladium in iugulō dēfīgit, iacentem spoliat.

Rōmānī ovantēs ac grātulantēs Horātium accipiunt, eō māiōre cum gaudiō quod prope metum rēs fuerat. Inde utrīque suōs mortuōs sepeliunt. Sepulcra posita sunt quō quisque locō cecidit: duo Rōmāna ūnō locō propius Albam, tria Albāna Rōmam versus, sed intervāllīs interiectīs, ut pugnātum est.

Amor immātūrus


26 Priusquam inde dīgrederentur, Tullus Mettiō imperat uti iuventūtem in armīs habeat: ‘sē eōrum operā ūsūrum, sī bellum cum Vēientibus foret.’ Ita exercitūs inde domum abductī sunt.

Prīnceps Horātius ībat, trigemina spolia prae sē gerēns. Cui soror virgō, quae dēsponsa ūnī ex Cūriātiīs fuerat, obvia ante portam Capēnam fuit, cognitōque super umerōs frātris palūdāmentō spōnsī, quod ipsa cōnfēcerat, solvit crīnēs et flēbiliter nōmine spōnsum mortuum appellat. Movet ferōcī iuvenī animum complōrātiō sorōris in victōriā suā tantōque gaudiō pūblicō. Strictō itaque gladiō, simul verbīs increpāns, trānsfīgit puellam! “Abī hinc cum immātūrō amōre ad spōnsum” inquit “oblīta frātrum mortuōrum vīvīque, oblīta patriae! Sīc eat quaecumque Rōmāna lūgēbit hostem!”

Atrōx vīsum est id facinus patribus plēbīque. Horātius, etsī tam bene dē patriā meritus erat, tamen in iūs ad rēgem raptus est. Rēx, nē ipse rem tam trīstem iūdicāret ac secundum iūdicium suppliciī auctor esset, conciliō populī advocātō, “Duumvirōs” inquit, “quī Horātiō perduelliōnem iūdicent, secundum lēgem faciō.”

Horrenda lēgis verba haec erant: “Duumvirī perduelliōnem iūdicent. Sī vincent, caput obnūbitō! Īnfēlīcī arborī reste suspenditō! Verberātō vel intrā pōmērium
44 vel extrā pōmērium!” (Pōmērium est locus quem in

arbor īnfēlīx



ūsūrum *esse*
foret = esset

prīnceps = prīmus

dē-spondēre -spondisse -spōnsum = spondēre

palūdāmentum -ī *n* = pallium mīlitis
spōnsus -ī *m* = marītus futūrus
flēbilis -e = flēns

complōrātiō -ōnis *f* < *com-plōrāre* = plōrāre

increpāre = magnā vōce reprehendere
trāns-fīgere = per medium corpus percutere

lūgēre aliquem = lūgēre ob mortem alicuius

atrōx -ōcis = crūdēlis, inhūmānus

iūdicāre = dēcernere quid iūstum sit
secundum iūdicium = ex iūdiciō
duum-virī = duo virī quī negōtium pūblicum cūrant
perduelliō -ōnis *f* = scelus māximum contrā rem pūblicam
ob-nūbere = vēlāre

restis -is *f* = fūnis
sus-pendere = pendentem facere

spatium = locus vacuus /apertus

iūdex -icis *m* = is quī iūdicat
crīmen -inis *n* = id quod accūsātur
condemnāre = poenam meruisse iūdicāre

col-ligāre = vinculō coniungere

laqueus -ī *m* 

prō-vocāre (ad populum) = postulāre ut populus iūdicet
prōvocātiō -ōnis *f* < prōvocāre
prō-clāmāre = pūblicē clāmāre
iūdicāre : cēnsēre

Pīla Horātia dīcitur locus quīdam in forō Rōmānō
huncine = hunc-ne

decorāre (< decus) = ōrnāre (honōribus)
cruciātus -ūs *m* < cruciāre

quod spectāculum : hoc s.
dē-fōrmis -e ↔ fōrmōsus

parere = facere, dare

līberātor -ōris *m* = quī līberat

condendīs urbibus quondam Etrūscī, ubi mūrum ductūrī erant, cōnsecrābant, ut et intrā et extrā moenia aliquid pūrī solī patēret; hoc spatium, quod neque habitārī neque arārī fās erat, 'pōmērium' Rōmānī appellāvērunt.)

Hāc lēge duumvirī creātī sunt, iūdicēs sevērissimī, *26* quī sē tam grave crīmen neglegere posse nōn rēbantur, et Horātium condemnāvērunt. Tum alter ex iīs "Pūblī Horātī, tibi perduelliōnem iūdicō" inquit. "Ī, līctor, colligā manūs!" Accesserat līctor iniciēbatque laqueum collō...

Tum Horātius "Ad populum prōvocō" inquit. Itaque prōvocātiō facta ad populum est. Mōtī hominēs sunt in eō iūdiciō māximē P. Horātiō patre prōclāmante 'sē fīliam iūre caesam iūdicāre!' Ōrābat deinde 'nē sē, quem paulō ante cum ēgregiā stirpe cōnspexissent, orbum līberīs facerent!' Inter haec senex iuvenem amplexus, spolia Cūriātiōrum fīxa eō locō quī nunc 'Pīla Horātia' appellātur ostentāns, "Huncine" aiēbat "quem modo decorātum ovantemque victōriā incēdentem vīdistis, Quirītēs, eum vīnctum inter verbera et cruciātūs vidēre potestis? Quod vix Albānōrum oculī tam dēfōrme spectāculum ferre possent! 'Ī, līctor, colligā manūs' — quae paulō ante armātae imperium populō Rōmānō peperērunt! 'Ī, caput obnūbe' — līberātōris urbis huius! 'Arbore īnfēlīcī suspende! Verberā vel intrā pōmērium' — modo inter illa pīla et spolia hostium! — 'vel extrā

pōmērium' — modo inter sepulcra Cūriātiōrum! Quō enim dūcere hunc iuvenem potestis ubi nōn sua decora eum ā tantā foeditāte suppliciī dēfendant?"

Nōn tulit populus nec patris lacrimās nec ipsīus parem in omnī perīculō animum, absolvēruntque admīrātiōne magis virtūtis quam iūre causae.

foeditās -ātis *f* < foedus; tanta f. suppliciī = tam foedum supplicium
ab-solvere ↔ condemnāre
causa = rēs iūdicanda

Mettiī perfidia ac supplicium

27 Nec diū pāx Albāna mānsit. Īra vulgī Albānī, quod tribus mīlitibus fortūna pūblica commissa erat, ingenium dictātōris corrūpit, et quoniam rēcta cōnsilia haud bene ēvēnerant, prāvīs cōnsiliīs reconciliāre populārium animōs coepit. Igitur, ut prius in bellō pācem, sīc in pāce bellum quaerēns, quia suae cīvitātī vīrēs deesse cernēbat, ad bellum palam gerendum aliōs concitat populōs, ipse clam prōditiōnem parat. Fidēnātēs, cum Mettius sē ad eōs trānsitūrum prōmīsisset, ad bellum incitantur et apertē ā sociīs Rōmānīs ad Vēientēs hostēs dēficiunt.

perfidia -ae *f* < perfidus (↔ fidēs)
vulgus -ī *n* = populus, plēbs
(rem alicui) committere = trādere, crēdere
re-conciliāre
populārēs -ium *m* = cīvēs
palam ↔ clam
prōditiō -ōnis *f* < prōdere
trānsitūrum *esse*
dēficere (ā sociō ad hostem) = socium dēserere et trānsīre ad hostem

Tullus — Mettiō exercitūque eius Albā arcessītō — contrā hostēs dūcit. Ubi Aniēnem fluvium trānsiit, ad cōnfluentēs collocat castra. Inter eum locum et Fidēnās Vēientium exercitus Tiberim trānsierat. Hī in aciē prope flūmen tenuēre dextrum cornū; in sinistrō Fidēnātēs propius montēs cōnsistunt. Tullus adversus Vēientem hostem dīrigit suōs, Albānōs contrā legiōnem Fidēnātium collocat.

Aniō -ēnis *m*: fluvius in Tiberim īnfluēns
cōn-fluere = in eundem locum fluere; cōnfluentēs = locus ubi fluviī cōnfluunt
cornū = pars aciēī dextra aut sinistra
(aciem) dī-rigere = ōrdine īnstruere
legiō : exercitus

animī : virtūtis

sēnsim = paulātim, cautē

rērī ratum: ratus est = arbitrātus est

citātus -a -um = citō currēns

nihil *adv* = nēquāquam
trepidātiō -ōnis *f* < trepidāre
circum-dūcere
nūdus -a -um = quī nōn dēfenditur

Latīnē scīre = linguam Latīnam scīre
inter-clūdere = claudendō prohibēre

ante *adv* = anteā

Mettiō nōn plūs animī erat quam fideī. Nec manēre ergō nec apertē ad hostēs trānsīre ausus, exercitum Albānum sēnsim ad montēs abdūcere coepit; inde, ubi satis sēsē subiisse ratus est, tōtam aciem in locō superiōre instrūxit. Cōnsilium erat cum iīs sē iungere quibus fortūna victōriam daret.

Prīmō Rōmānī quī Albānīs proximī steterant mīrābantur, cūr sociī ā lateribus suīs dīgrederentur. Inde eques citātō equō nūntiat rēgī 'abīre Albānōs!' Tullus equitem clārā increpāns vōce, ut hostēs exaudīrent, redīre in proelium iubet: 'nihil trepidātiōne opus esse; suō iussū circumdūcī Albānum exercitum, ut Fidēnātium nūda terga invādat!'

Terror ad hostēs trānsit: et audīverant clārā vōce dictum, et magna pars Fidēnātium Latīnē sciēbant. Itaque, nē subitō impetū Albānōrum interclūderentur ab oppidō, terga vertunt. Īnstat Tullus, fūsōque Fidēnātium cornū, in Vēientēs aliēnō pavōre perculsōs ferōcior redit. Nec illī tulēre impetum, sed ab effūsā fugā flūmen obiectum ā tergō arcēbat. Quō postquam fugientēs dēvēnērunt, aliī arma foedē iactantēs in aquam caecī ruēbant, aliī dum cūnctantur in rīpā inter fugae pugnaeque cōnsilium oppressī sunt. Nōn alia ante Rōmāna pugna atrōcior fuit.

Tum Albānus exercitus, spectātor certāminis, in *28*
campōs dēductus est. Mettius Tullō dē victōriā grātulātur. Contrā Tullus Mettium benignē alloquitur; Albā-

nōs castra sua Rōmānīs castrīs iungere iubet; sacrificium in diem posterum parat.

Ubi illūxit, parātīs omnibus ut solet, vocārī ad cōntiōnem utrumque exercitum iubet. Albānī, ut rēgem Rōmānum cōntiōnantem audīrent, proximī cōnstitēre. Eōs circumsistit armāta Rōmāna legiō. Tum ita Tullus ōrdītur:

"Rōmānī! Sī umquam ūllō in bellō fuit quod prīmum dīs immortālibus grātiās agerētis, deinde vestrae ipsōrum virtūtī, hesternum id proelium fuit. Dīmicātum est enim nōn magis cum hostibus quam — quae dīmicātiō māior atque perīculōsior est — cum prōditiōne ac perfidiā sociōrum. Nam iniussū meō Albānī subiēre ad montēs! Nec ea culpa omnium Albānōrum est: ducem secūtī sunt, ut et vōs, sī ego inde agmen abdūcere voluissem, fēcissētis. Mettius ille est ductor itineris huius, Mettius īdem huius auctor bellī, Mettius foederis Rōmānī Albānīque ruptor!"

Centuriōnēs armātī Mettium circumsistunt. Rēx cētera ut ōrsus erat peragit: "Quod bonum, faustum fēlīxque sit populō Rōmānō ac mihi vōbīsque, Albānī: populum omnem Albānum Rōmam trādūcere in animō mihi est, ūnam urbem, ūnam rem pūblicam facere. Ut ex ūnō quondam in duōs populōs dīvīsa Albāna rēs est, sīc nunc in ūnum redeat!" Ad haec Albāna iuventūs, inermis ab armātīs saepta, silentium tenet. Tum Tullus: "Mettī Fūfētī!" inquit, "Sī ipse discere possēs fidem ac

il-lūcēscere -ūxisse = lūcēre incipere; illūcēscit = lūx fit
ut solet = ut fierī solet

cōntiōnārī = prō cōntiōne loquī
circum-sistere = circumdare

fuit quod... = causa fuit quārē...

hesternus -a -um = herī factus
nōn magis... quam = nōn tam... quam
dīmicātiō -ōnis *f* < dīmicāre
in-iussū ↔ iussū

culpa -ae *f* = causa accūsandī/pūniendī

ductor -ōris *m* = quī dūcit

ruptor -ōris *m* = quī rumpit
centuriō -ōnis *m* = mīles quī centuriae praefectus est

trā-dūcere = trānsferre
in animō mihi est = cōnsilium meum est, certum mihi est
rēs pūblica = cīvitās

saepīre -psisse -ptum = cingere

foedera servāre, vīvum tē id docuissem. Nunc, quoniam tuum īnsānābile ingenium est, at tū tuō suppliciō docē hūmānum genus ea sāncta crēdere quae ā tē violāta sunt! Ut igitur paulō ante animum inter Fidēnātem Rōmānamque rem ancipitem gessistī, ita iam corpus in duās partēs distrahendum dabis!"

Duābus admōtīs quadrīgīs, in currūs eārum ligat Mettium. Deinde in dīversās partēs equī concitātī sunt lacerātum in utrōque currū corpus et membra portantēs. Āvertēre omnēs ab tantā foeditāte spectāculī oculōs.

Alba dīruta

Inter haec iam praemissī Albam erant equitēs quī *29*
multitūdinem trādūcerent Rōmam. Legiōnēs deinde ductae sunt ad dīruendam urbem. Quae ubi intrāvēre portās, nōn quidem fuit tumultus ille nec pavor quālis captārum esse urbium solet, cum — effrāctīs portīs strātīsve mūrīs aut arce vī captā — clāmor hostīlis et cursus per urbem armātōrum omnia ferrō flammāque miscet, sed silentium trīste ac tacita maestitia ita dēfīxit omnium animōs ut nunc cūnctantēs in līminibus stārent, nunc per domōs suās, quās tum postrēmum vīdērunt, vagārentur. Ut vērō iam fragor tēctōrum quae dīruēbantur in ultimīs urbis partibus audiēbātur pulvisque velut nūbe omnia implēverat, Albānī tēcta in quibus nātus quisque ēducātusque erat relinquentēs exiērunt. Iam continēns agmen migrantium implēverat viās, et

servāre ↔ rumpere

īn-sānābilis -e = quī sānārī nōn potest
at = tamen, saltem

Fidēnās -ātis *adi*

(animus) anceps = dubius
dis-trahere = trahere in contrāriās partēs
quadrīgae -ārum *f* = IV equī currū iūnctī
ligāre = vincīre
dīversus -a -um = contrārius
lacerāre = laniāre
tanta foeditās spectāculī = tam foedum spectāculum

dī-ruere -uisse -utum = dēstruere
inter haec = intereā
quī trādūcerent (*coni*) = ut trādūcerent

ef-fringere -frēgisse -frāctum < ex + frangere

ferrō flammāque : armīs et igne
maestitia -ae *f* < maestus
dē-fīgere = fīgere

postrēmum *adv*

vagārī = errāre
ultimus *sup* (< ultrā) = extrēmus
pulvis -eris *m* = terra sicca quae ventō spargitur

continēns -entis = sine intervāllō

cōnspectus aliōrum renovābat lacrimās, vōcēsque etiam miserābilēs exaudiēbantur, mulierum praecipuē, cum templa augusta ab armātīs occupāta praeterīrent ac velut captōs relinquerent deōs.

Ēgressīs urbe Albānīs, Rōmānī passim pūblica prīvātaque omnia tēcta dīruunt, ūnāque hōrā quadringentōrum annōrum opus, quibus Alba steterat, funditus dēlētum est. Templīs tamen deōrum (ita enim ēdictum ab rēge erat) abstinuērunt.

30 Rōma interim crēscit Albae ruīnīs. Duplicātur cīvium numerus. Caelius additur urbī mōns, et eam sēdem Tullus rēgiae capit ibique habitāvit. Prīncipēs Albānōrum in patrēs lēgit, ut ea quoque pars reī pūblicae crēsceret, et senātuī ita ab sē auctō cūriam aedificāvit, quae 'cūria Hostīlia' ūsque ad patrum nostrōrum aetātem appellāta est. Equitum decem turmās ex Albānīs lēgit, et legiōnēs veterēs supplēvit et novās cōnscrīpsit.

Sabīnī dēvictī

Cum iam vīribus suīs satis cōnfīderet, Tullus Sabīnīs bellum indīxit, gentī eā tempestāte secundum Etrūscōs opulentissimae virīs armīsque. Utrimque iniūriae factae ac rēs nēquīquam repetītae erant; hae causae bellī afferēbantur. Cum bellum utrīque summā ope parārent, Tullus prior in agrum Sabīnum trānsīre properat. Pugna atrōx ad silvam Malitiōsam fuit, ubi equitātū nūper auctō plūrimum Rōmāna aciēs valuit. Ab equiti-

miserābilis -e = miserandus
occupāre = vī capere et suum facere

passim = longē lātēque, ubīque

ē-dīcere = pūblicē imperāre

ruīna -ae *f* < ruere
duplicāre = duplicem (bis tantō māiōrem) facere
capit : sūmit

in patrēs : in senātum

turma -ae *f* = equitum numerus XXX
sup-plēre -ēvisse -ētum = augēre addendō quae dēsunt

dē-vincere = plānē vincere

eā tempestāte = eō tempore
secundum Etrūscōs = post Etrūscōs (sōlī Etrūscī opulentiōrēs erant)

summā ope = omnibus vīribus

in-vehere

bus repente invectīs turbātī sunt ōrdinēs Sabīnōrum, nec deinde resistere nec fugere sine magnā caede potuērunt.

suscipere = accipere et suum facere
cultus -ūs *m* < colere

31 Dēvictīs Sabīnīs, cum in magnā glōriā magnīsque opibus rēgnum Tullī ac tōta rēs Rōmāna esset, nūntiātum rēgī patribusque est 'in monte Albānō lapidēs dē caelō cecidisse.' Etiam vōx ingēns ex summō monte audīta Albānōs monuisse dīcitur 'ut patriō rītū sacra facerent.' Nam, velut dīs quoque simul cum patriā relictīs, Albānī aut Rōmāna sacra suscēperant aut fortūnae īrātī cultum relīquerant deōrum.

Tullus fulmine ictus

mīlitia = officium mīlitum

mīlitiae (*loc*) = in castrīs, in bellō
dōnec = quoad

quī... ratus esset = etsī ratus erat
animum dēdere = sē dēdere = studēre
religiō -ōnis *f* = cūra rērum dīvīnārum, metus deōrum
status -ūs *m*: s. rērum = modus quō rēs stant (: sē habent)

cōn-flagrāre = flagrāre, igne absūmī

Haud ita multō post pestilentia orta est. Quam ob rem cum iuvenēs mīlitiam recūsāre inciperent, nūlla tamen ab armīs quiēs dabātur ā bellicōsō rēge, quī etiam sāniōra mīlitiae quam domī iuvenum corpora esse rēbātur — dōnec ipse quoque gravī morbō affectus est. Tunc adeō frāctus simul cum corpore est animus ille ferōx, ut quī anteā nihil minus rēgium ratus esset quam sacrīs dēdere animum, repente summā cūrā deōs coleret religiōnibusque etiam populum implēret. Iam hominēs eum statum rērum quī sub Numā rēge fuerat dēsīderantēs, ūnam opem aegrīs corporibus relictam esse crēdēbant: sī veniam ā dīs impetrāvissent. Sed rēx, cum sacrum Iovī nōn rīte fēcisset, fulmine ictus cum domō suā cōnflagrāvit.

Tullus magnā glōriā bellī rēgnāvit annōs duōs et trīgintā.

annōs XXXII: 672–640 a. C.

CAVSA HORATII

[*Ex M. Tulliī Cicerōnis 'Dē inventiōne' librō II*]

[*Cicerō adulēscēns artem ōrātōriam scrīpsit 'Dē inventiōne', id est dē inveniendīs argūmentīs, in quā exemplī grātiā causam Horātiī attulit:*]

causa Horātiī = quod prō Horātiō dīcī potest in iūdiciō
inventiō -ōnis *f* < invenīre
ōrātōrius -a -um < ōrātor
argūmentum -ī *n* = id quod arguitur

78 Horātius, occīsīs tribus Cūriātiīs et duōbus āmissīs frātribus, domum sē victor recēpit. Is animadvertit sorōrem suam dē frātrum morte nōn labōrantem, spōnsī autem nōmen appellantem identidem 'Cūriātiī' cum gemitū et lāmentātiōne. Indignē passus virginem occīdit!

Accūsātur.

79 Intentiō est: "Iniūriā sorōrem occīdistī."

Dēpulsiō est: "Iūre occīdī."

Quaestiō est: 'iūrene occīderit?'

Ratiō est: "Illa enim hostium mortem lūgēbat, frātrum neglegēbat, mē et populum Rōmānum vīcisse molestē ferēbat."

Īnfīrmātiō est: "Tamen ā frātre indemnātam necārī nōn oportuit."

Ex quō iūdicātiō fit: 'cum Horātia frātrum mortem neglegeret, hostium lūgēret, frātris et populī Rōmānī victōriā nōn gaudēret, oportueritne eam ā frātre indemnātam necārī?'

sē re-cipere = redīre
labōrāre = dolēre
identidem = iterum iterumque
lāmentātiō -ōnis *f* = complōrātiō
indignē patī = aegrē patī
intentiō -ōnis *f* = verba crīminis
dēpulsiō -ōnis *f* = respōnsum quō crīmen *dēpellitur* (= refellitur)
quaestiō -ōnis *f* = quod quaeritur
ratiō = causa quā factum dēfenditur (: excūsātur)
īnfīrmātiō -ōnis *f* = respōnsum quod ratiōnem *īnfīrmat* (= īnfīrmam facit)
in-demnātus -a -um = nōn condemnātus
iūdicātiō -ōnis *f* = quod est iūdicandum

Vocābula nova:
spatium
dictātor
statīva
indolēs
servitium
mōtus
intervāllum
strāgēs
iugulum
palūdāmentum
spōnsus
complōrātiō
duumvirī
perduelliō
restis
pōmērium
iūdex
crīmen
laqueus
prōvocātiō
cruciātus
līberātor
foeditās
perfidia
vulgus
populārēs
prōditiō
cōnfluentēs
trepidātiō
dīmicātiō
culpa
ductor
ruptor
centuriō
quadrīgae
maestitia
pulvis
ruīna
turma
cultus
religiō
status
argūmentum
inventiō
lāmentātiō
intentiō
dēpulsiō
quaestiō
īnfīrmātiō
iūdicātiō
dissimilis
avītus

PENSVM A

Dē adiectīvīs

Italiae incolae prīm– agricolae industri– fuērunt. Ill– tempus beāt– 'aetās aure–' dīcitur. Dum Latīnus in pāce diūturn– rēgnat, Trōia, urbs opulent–, ab exercitū Graec– capta est. Graecī audāc– ingent– equum ligne– mīlitibus armāt– complēvērunt. Lāocoōn dē summ– arce dēcurrēns cīvēs su– monuit nē hostibus Graec– cōnfīderent, atque omn– vīribus hastam ingent– in latus equī dūr– mīsit, sed illa in fīrm– rōbore stetit nec in partem interiōr– ad mīlitēs occult– penetrāvit. Brev– tempore duo anguēs māxim– per mare tranquill– ad lītus propinqu– natāvērunt et corpus eius medi– amplexī sunt. Priamus mult– gentium rēx superb– fuit.

Prīm– lūce Dīdō sorōrī su– "Quāl– hospes" inquit "domum nostr– intrāvit, quam nōbil–, quam fort–! Agnōscō veter– vestīgia flammae!"

Rōmulus ante diem ūndecim– kalendās Māi– in colle Palātīn– nov– urbem condidit. Gentēs fīnitim– cīvēs Rōmān– spernēbant. Cum iuvenēs Rōmān– virginēs Sabīn– rapuissent, magn– et ācr– certāmen ortum est.

Senātus Rōmān– cōnstat ex sescent– senātōribus, quī summ– potestātem in rē pūblic– habent. Pontifex māxim– est summ– sacerdōs quī cēter– omn– sacerdōtibus Rōmān– praefectus est.

Templum Iovis Optim– Māxim– magnificent– est quam cēter– omn– templa Rōmān–; ex omn– templīs Rōmān– id magnificent– est.

Nūll– fēmina mortāl– pulchr– fuit quam Helena; ea pulcher– fuit omn– fēminārum mortāl–.

PENSVM B

Tullus, rēx — [= ingeniō] ferōx, Numae — fuit. Cum Albānī Rōmānōs rēs — dīmīsissent, Tullus iīs bellum —. Cupīdō imperiī duōs populōs — [= ab eōdem ortōs] ad arma — [= incitābat]. Etrūscī ambōs exercitūs spectābant, ut pugnā fes-

sōs — [= oppugnārent].

Cum duo Rōmānī — [= morientēs] concidissent, ūnus ferrō — fuit; is aliquantum — aufūgit ac trēs Albānōs magnīs — sequentēs occīdit. Cum soror Horātiī — suum mortuum — [= iterum iterumque] appellāret cum — [= lāmentātiōne], Horātius eam verbīs — et gladiō —! Itaque accūsātus est, et duumvirī, quī tantum — neglegere nōn potuērunt, eum —; sed Horātius ad populum —. In eō iūdiciō pater eius 'fīliam iūre caesam esse' —; tum populus Horātium —, neque enim — [< līberāre] urbis verberātum et arbore īnfēlīcī — vidēre voluit.

Tullus simul cum hostibus et cum — [< prōdere] et — [< perfidus] sociōrum dīmicāvit, nam — [↔ iussū] eius Albānī ex proeliō abiērunt. Hostibus victīs, rēx Mettium poenā — [= crūdēlī] affēcit: corpus eius ad duās quadrīgās — [= vīnctum] in — [= contrāriās] partēs — est. Deinde Alba — [= dēstrūcta] est et Albānī Rōmam — sunt. Ita Rōma — [< ruere] Albae crēvit, numerus cīvium — [< duplex] est et x equitum — exercituī Rōmānō additae sunt.

Bellum — est quod inter cīvēs geritur. Duumvirī sunt — sevērissimī. Quī sine — est ā iūdice absolvitur. — dīcitur quī centuriae praefectus est.

Synōnyma: servitūs et —; pallium mīlitis et —; fūnis et —; plēbs et —; cīvēs et —; metus deōrum et —; flēns et –; miserandus et —; senex fierī et —; oppōnere et —; ōrnāre et —; cingere et —; laniāre et —; errāre et —; lūx fit et —; ab utrāque parte et —; nūllō modō et —; paulātim et —; ubīque et —; esset et —.

Contrāria: pulchritūdō et —; libēns et —; fōrmōsus et —; placēre et —; clam et —.


PENSVM C

Quis fuit avus Tullī Hostīliī?
Quamobrem Tullus Albānīs bellum indīxit?
Ubi Albānī castra collocāvērunt?

invītus
cīvīlis
trigeminus
cognātus
dispār
anceps
intāctus
flēbilis
atrōx
dēfōrmis
citātus
hesternus
īnsānābilis
dīversus
continēns
miserābilis
ōrātōrius
indemnātus
indīcere
stimulāre
senēscere
repetere
renūntiāre
pūrgāre
displicēre
abolēscere
pertinēre
aggredī
adhortārī
increpāre
exspīrāre
inclāmāre
dēfungī
gemināre
obicere
dēspondēre
trānsfīgere
obnūbere
suspendere
condemnāre
colligāre
prōvocāre
prōclāmāre
decorāre
absolvere
reconciliāre
dīrigere
circumdūcere
interclūdere
illūcēscere
cōntiōnārī
circumsistere
trādūcere

saepīre
distrahere
ligāre
lacerāre
dīruere
effringere
vagārī
occupāre
ēdīcere
duplicāre
supplēre
dēvincere
invehere
cōnflagrāre
foret
utrimque
nēquāquam
secundum
palam
sēnsim
iniussū
postrēmum
passim
identidem

Num Rōmānī et Albānī aciē pugnāvērunt?
Quōmodo Horātius sōlus trēs Albānōs vīcit?
Quid tum factum est ante portam Capēnam?
Horātiusne condemnātus ac pūnītus est?
Quid est 'pōmērium'?
Quōmodo Mettius sociōs suōs Rōmānōs prōdidit?
Quid fēcit Tullus postquam hostēs fūdit?
Quōmodo duplicātus est cīvium numerus?
Quamdiū Alba Longa stetit?
Quid Tullus Hostīlius aedificāvit?
Quandō Tullus deōs colere coepit?
Quōmodo ille rēx periit?



suovetaurīlia -ium *n* (< sūs+ovis+taurus) = sacrificium quō immolātur sūs et ovis et taurus

REGES ET REGINAE

[*Ex T. Līviī 'Ab urbe conditā' librō I.32–48, nōnnūllīs mūtātīs et praetermissīs*]

Iūs fētiāle

32 Mortuō Tullō rēs, ut īnstitūtum iam inde ab initiō erat, ad patrēs redierat, hīque interrēgem nōmināverant. Quī cum comitia habēret, Ancum Mārcium rēgem populus creāvit; patrēs fuēre auctōrēs.

Numae Pompiliī rēgis nepōs, fīliā ortus, Ancus Mārcius erat. Quī ut rēgnāre coepit, et avītae glōriae memor, et quia proximus rēx religiōnēs aut neglēxerat aut prāvē coluerat, omnium prīmum sacra pūblica ut ab Numā īnstitūta erant facere cōnstituit. Inde et cīvibus ōtiī cupidīs et fīnitimīs cīvitātibus spēs facta est in avī mōrēs atque īnstitūta rēgem abitūrum esse. Igitur Latīnī, cum quibus Tullō rēgnante foedus ictum erat, sustulerant animōs, et cum incursiōnem in agrum Rōmā-

fētiālis -e = dē iūre bellī; *m* lēgātus quī agit dē iūre bellī

comitia -ōrum *n* = concilium quō rēx creābātur

Numa Pompilius
|
Pompilia ∞ Numa Mārcius
|
Ancus Mārcius

colere -uisse cultum

inde : ex eā rē

in avī mōrēs abīre : avī mōrēs sequī

īnstitūtum -ī *n* = quod īnstitūtum est, mōs

animum tollere : audācior fierī

incursiō -ōnis *f* < *incurrere*

num fēcissent, repetentibus rēs Rōmānīs superbē respōnsum reddunt — ōtiōsum Rōmānum rēgem inter fāna et ārās rēgnum āctūrum esse ratī.

Medium erat in Ancō ingenium, et Numae et Rōmulī memor. Pācem avī rēgnō magis necessāriam fuisse crēdēbat, cum in novō tum ferōcī populō, sē vērō ōtium sine iniūriā haud facile habitūrum. Quoniam autem Numa in pāce religiōnēs īnstituerat, Ancus, ut bella nōn sōlum gererentur sed etiam indīcerentur aliquō rītū, iūs fētiāle scrīpsit quō rēs repetuntur et bellum indīcitur:

Lēgātus, ubi ad fīnēs eōrum vēnit unde rēs repetuntur, capite vēlātō fīlō ē lānā factō, "Audī, Iuppiter" inquit, "audīte, fīnēs [Latīnōrum]: ego sum pūblicus nūntius populī Rōmānī. Iūstē piēque lēgātus veniō, verbīsque meīs fidēs sit." Peragit deinde postulāta. Inde Iovem testem facit: "Sī ego iniūstē impiēque illōs hominēs illāsque rēs dēdī mihi exposcō, tum patriae compotem mē numquam sīveris esse!" Haec cum fīnēs trānsit, haec portam ingrediēns, haec forum ingressus, paucīs verbīs mūtātīs, peragit. Sī nōn dēduntur quae exposcit, diēbus tribus et trīgintā perāctīs bellum ita indīcit: "Audī, Iuppiter, et tū, Iāne Quirīne, dīque omnēs caelestēs vōsque terrestrēs vōsque īnfernī, audīte: ego vōs testor populum [Latīnum] iniūstum esse neque iūs persolvere! Sed dē istīs rēbus in patriā māiōrēs nātū cōnsulēmus, quō pactō iūs nostrum adipīscāmur." Tum nūntius Rōmam ad cōnsulendum redit.

rēgnum agere = rēgnāre

memor : simile

in populō cum novō tum ferōcī

habitūrum *esse* (crēdēbat)

iūs : lēgēs

unde : ā quibus

fīlum -ī *n* = vestis quā vēlātur caput

lēgāre = mittere lēgātum

fidēs sit : cōnfīdendum est

postulātum -ī *n* = quod postulātur

ex-poscere = poscere

compos -otis (+ *gen*) = possidēns, potēns

sinere sīvisse situm

in-gredī -gressum = intrāre

diēbus XXX perāctīs = diēbus XXX post

Quirīnus: cognōmen Iānī

terrestris -e < terra

īnfernus -a -um = īnferus

testārī = testem facere

per-solvere = solvere, praestāre

māior nātū (*abl*) = plūrēs annōs nātus

quō pactō = quō modō

Cōnfestim rēx hīs fermē verbīs patrēs cōnsulēbat: “Dē iīs rēbus quās lēgātus populī Rōmānī Quirītium ā Latīnīs repetīvit, quās rēs nec dedērunt nec solvērunt nec fēcērunt, quās rēs darī, solvī, fierī oportuit, dīc” inquit eī quem prīmum sententiam rogābat, “quid cēnsēs?” Tum ille: “Pūrō piōque duellō quaerendās cēnseō, itaque cōnsentiō cōnscīscōque.” Inde ōrdine aliī rogābantur, quandōque pars māior eōrum quī aderant in eandem sententiam ībat, bellum fierī erat cōnsēnsum.

fermē = ferē
populus Rōmānus Quirītium: ita rīte appellātur populus Rōmānus
rogāre = interrogāre
duellum -ī *n* = bellum (vocābulum vetustum)
rēs quaerendās *esse*
cōn-sentīre = idem s.
cōn-scīscere -īvisse -ītum = dēcernere
in eandem sententiam īre = cōnsentīre
cōnsēnsum erat: senātus cōnsēnserat

Fierī solēbat ut fētiālis hastam ferrātam sanguineam ad fīnēs eōrum ferret et — nōn minus tribus pūberibus praesentibus — dīceret: “Quod populus Latīnus hominēsque Latīnī adversus populum Rōmānum Quirītium fēcērunt, dēlīquērunt, quod populus Rōmānus Quirītium bellum cum Latīnīs iussit esse senātusque populī Rōmānī Quirītium cēnsuit, cōnsēnsit, cōnscīvit ut bellum cum Latīnīs fieret, ob eam rem ego populusque Rōmānus populō Latīnō hominibusque Latīnīs bellum indīcō faciōque!” Id ubi dīxisset, hastam in fīnēs eōrum ēmittēbat.

ferrātus -a -um = ferrō mūnītus
dē-linquere -līquisse -lictum = officiō deesse, male facere
ubi dīxisset = ubi dīxit, cum dīxisset

Hōc tum modō ab Latīnīs repetītae rēs ac bellum indictum, mōremque eum posterī accēpērunt.

33 Ancus, dēmandātā cūrā sacrōrum flāminibus sacerdōtibusque aliīs, exercitū novō cōnscrīptō profectus, Polītōrium, urbem Latīnōrum, vī cēpit; secūtusque mōrem rēgum priōrum, quī rem Rōmānam auxerant hostibus in cīvitātem accipiendīs, multitūdinem omnem Rō-

dē-mandāre = mandāre
hostibus accipiendīs = hostēs accipiendō


Sabini
Cures
Aequi
Tiberis
Etrusci
Veii
Via Flaminia
Allia
Nomentum
Medullia
Corniculum
Cremera
Crustumerium
Caere
Ficulea
Tibur
Fidenae
Caenina
Latini
Via Aurelia
Antemnae
Anio
Collatia
Roma
Gabii
Hernici
Via Latina
Fossa
Cluilia
Via Appia
Tiberis
Tusculum
Mons
Albanus
Ostia
Alba Longa
Aricia
Laurentum
Velitrae
Lavinium
Corioli
Rutuli
Volsci
Ardea
Suessa Pometia
Mare Inferum
Antium

mam trādūxit. Et cum circā Palātium, sēdem veterum Rōmānōrum, Sabīnī Capitōlium atque Arcem, Caelium montem Albānī implēvissent, Aventīnum novae multitūdinī datum. Postrēmō omnī bellō Latīnō Medulliam compulsō, aliquamdiū ibi variā victōriā pugnātum est, nam urbs tūta mūnītiōnibus praesidiōque validō fīrmāta erat. Ad ultimum omnibus cōpiīs aggressus Ancus aciē vīcit; inde ingentī praedā potēns Rōmam redit. Tum quoque multa mīlia Latīnōrum in cīvitātem accepta sunt, quibus, ut iungerētur Palātiō Aventīnum, in valle Murciā datae sēdēs. Iāniculum quoque urbī adiectum, nōn inopiā locī, sed nē quandō ea arx hostium esset. Id ponte Subliciō, tum prīmum in Tiberī factō, urbī coniūnctum est.

cum Sabīnī Capitōlium atque Arcem implēvissent
Aventīnum -ī *n* = Aventīnus
datum *est*
mūnītiō -ōnis *f* = opus quō locus mūnītur
fīrmāre = fīrmum facere
(rē) potēns = potītus, (rem) possidēns
datae *sunt*
adiectum *est*
nē quandō = nē aliquandō, nē umquam
pōns Sublicius : pōns ligneus

Rēbus Rōmānīs ita auctīs, cum in tantā multitūdine hominum facinora clandestīna fierent, Carcer ad terrōrem crēscentis audāciae in mediā urbe imminēns forō aedificātur. Nec urbs tantum hōc rēge crēvit, sed etiam ager fīnēsque. Ūsque ad mare imperium prōlātum est et in ōre Tiberis Ōstia urbs condita, salīnae circā factae. Ēgregiēque rēbus bellō gestīs, aedēs Iovis Feretriī amplificāta est.

clandestīnus -a -um = clam factus
ad terrōrem audāciae : ad audācēs terrendōs
prō-ferre = māiōrem facere, extendere
salīnae -ārum *f* = locus ubi sāl parātur
amplificāre = ampliōrem facere

Lucumō et Tanaquīl


34 Ancō rēgnante Lucumō, vir impiger ac dīvitiīs potēns, cum omnibus bonīs suīs Tarquiniīs ex oppidō Etrūriae Rōmam commigrāvit, cupīdine māximē ac spē

Lucumō -ōnis *m*
Tanaquīl -īlis *f*
Tarquiniī -ōrum *m*: oppidum Etrūriae
bona -ōrum *n*: b. alicuius = ea quae aliquis possidet
com-migrāre = migrāre

magnī honōris, quem Tarquiniīs — nam ibi quoque peregrīnus erat — adipīscī nōn potuerat. Dēmarātī Corinthiī fīlius erat, quī ob sēditiōnēs domō profugus, cum Tarquiniīs forte cōnsēdisset, uxōre ibi ductā duōs fīliōs genuit. Nōmina hīs Lucumō atque Arrūns fuērunt. Arrūns prior quam pater moritur uxōre gravidā relictā. Nec diū superfuit fīliō pater; quī cum ignōrāns nurum ventrem ferre dēcessisset oblītus nepōtis in testāmentō, puerō egentī post avī mortem nātō ab inopiā 'Egeriō' nōmen datum est. Lucumō superfuit patrī bonōrum omnium hērēs. Cui cum dīvitiae iam animōs facerent, auxit uxor eius Tanaquīl, summō locō nāta et quae haud facile virum suum humiliōrem quam patrem esse sineret. Spernentibus Etrūscīs Lucumōnem 'exsule advenā ortum', Tanaquīl eam indignitātem ferre nōn potuit, oblītaque amōris patriae, dummodo virum honōrātum vidēret, cōnsilium migrandī ab Tarquiniīs cēpit. Rōma ad id aptissima vīsa est: 'in novō populō, ubi omnis repentīna atque ex virtūte nōbilitās sit, futūrum locum fortī ac strēnuō virō.' Facile persuādet Lucumōnī ut cupidō honōrum et cui Tarquiniī māterna tantum patria esset. Sublātīs igitur rēbus suīs, āmigrant Rōmam.

Ad Iāniculum forte ventum erat. Ibi eī in carpentō sedentī cum uxōre aquila repente dēlāpsa pilleum aufert, superque carpentum volitāns rūrsus, velut dīvīnitus missa, capitī aptē repōnit; inde sublīmis abit.

Dēmarātus -ī *m*
Corinthius -a -um < Corinthus; *m* cīvis C.
sēditiō -ōnis *f* = discordia cīvium

rota -ae *f*


nurus -ūs *f* = uxor fīliī
ventrem ferre = gravida esse
dē-cēdere = morī
testāmentum -ī *n* = litterae dē bonīs hominis mortuī dīvidendīs
hērēs -ēdis *m* = is cui bona lēgantur
animōs (: superbiam) auxit
summō locō nātus = parentibus nōbilissimīs n.
humilis ↔ nōbilis
exsul -is = ex patriā profugus
indignitās -ātis *f* = rēs indigna

honōrāre = honōre afficere, decorāre
aptus -a -um = idōneus, conveniēns
futūrum *esse*

strēnuus -a -um = impiger
māternus -a -um < māter

ā-migrāre

ventum erat (ab iīs) : vēnerant
carpentum -ī *n* = currus duārum *rotārum*

volitāre = hūc illūc volāre
dīvīnitus *adv* = ā diīs, dīvīnō modō



aquila Lucumōnī pilleum aufert

pilleus -ī *m*



Accēpisse id augurium laeta dīcitur Tanaquīl, mulier perīta caelestium prōdigiōrum, ut plērīque Etrūscī. Virum complexa summās rēs spērāre iubet: 'eam ālitem in eā regiōne caelī deōrum nūntiam vēnisse; circā summum culmen hominis auspicium fēcisse, levāvisse hūmānō impositum capitī decus, ut dīvīnitus eīdem redderet.'

Hās spēs cōgitātiōnēsque sēcum portantēs urbem ingressī sunt, domōque ibi ēmptā Lucumō nōmine mūtātō 'Lūcium Tarquinium Prīscum' sē appellāvit. Novitās dīvitiaeque eum cōnspicuum faciēbant Rōmānīs, et ipse fortūnam suam adiuvābat benignē alloquendō, cōmiter invītandō, beneficiīsque quōs poterat sibi conciliandō, dōnec in rēgiam quoque dē eō fāma perlāta est. Brevī Tarquinius cum Ancō rēge tam fīrmam amīcitiam iūnxerat ut pūblicīs pariter ac prīvātīs cōnsiliīs bellō domīque interesset, et postrēmō tūtor etiam līberīs rēgis testāmentō īnstituerētur.

augurium -ī *n* = auspicium
perītus -a -um ↔ ignārus
āles -itis *f* = avis
nūntius *m*; nūntia -ae *f*
culmen hominis : caput
decus = ōrnāmentum
cōgitātiō -ōnis *f* < cōgitāre
novitās -ātis *f* < novus (↔ vetustās)
cōnspicuus -a -um = quī prae aliīs cōnspicitur, nōbilis
cōmis -e = benignus
quōs : eōs quōs
per-ferre
pariter = aequē
tūtor -ōris *m* (< tuērī) = quī prō patre mortuō līberōs ēducandōs cūrat

annōs XXIV: 640–616 a.C. (quō annō Ancus mortuus est)
superior = prior

quam prīmum = cum prīmum fierī potest
rēgī creandō = ad rēgem creandum

com-pōnere = aptē cōnficere
"nōn rem novam petō, quia duo iam... rēgnā*vērunt*"

factum *esse*

ac-cīre = arcessere, vocāre
fortūnae = bona

fungī fūnctum (+ *abl*): (officiō) f. = exsequī, praestāre

iūra = lēgēs

cōnsēnsus -ūs *m* < cōnsentīre

factiō haud dubia rēgis: factiō quae haud dubiē rēgī favēbat

re-vehere

L. Tarquinius Prīscus rēx

Rēgnāvit Ancus annōs quattuor et vīgintī, cuilibet *35* superiōrum rēgum glōriā pār. Iam fīliī prope pūberem aetātem erant; eō magis Tarquinius postulābat ut quam prīmum comitia rēgī creandō fierent. Quibus indictīs rēgiōs puerōs vēnātum dīmīsit. Tum ipse rēgnum petīvit, et ōrātiōnem dīcitur habuisse ad conciliandōs plēbis animōs compositam: 'Sē nōn rem novam petere, quia duo iam peregrīnī Rōmae rēgnāvissent: et Tatium nōn ex peregrīnō sōlum sed ex hoste rēgem factum, et Numam ignārum urbis, nōn petentem, in rēgnum accītum. Sē prīmā iuventūte Rōmam cum coniuge ac fortūnīs omnibus commigrāvisse. Māiōrem partem aetātis eius quā cīvīlibus officiīs fungantur hominēs sē Rōmae quam in vetere patriā vīxisse, domī mīlitiaeque sub haud spernendō magistrō, ipsō Ancō rēge, Rōmāna iūra, Rōmānōs rītūs sē didicisse...' Haec eum haud falsa memorantem ingentī cōnsēnsū populus Rōmānus rēgnāre iussit.

Novus rēx cupidus rēgnī suī fīrmandī nōn minus quam augendae reī pūblicae centum in patrēs lēgit, factiō haud dubia rēgis, cuius beneficiō in cūriam vēnerant.

Bellum prīmum cum Latīnīs gessit et oppidum ibi Apiolās vī cēpit; praedāque inde māiōre quam spērāverat revectā, lūdōs opulentius quam priōrēs rēgēs fēcit. Tum prīmum circō quī nunc Māximus dīcitur dēsignā-

tus locus est. Loca dīvīsa patribus equitibusque ubi spectācula sibi facerent, 'forī' appellātī. Ab eōdem rēge et circā forum porticūs tabernaeque factae.

36 Mūrō quoque lapideō circumdare urbem parābat, cum Sabīnum bellum coeptīs intervēnit. Adeōque ea subita rēs fuit ut prius Aniēnem trānsīrent hostēs quam obviam īre ac prohibēre exercitus Rōmānus posset. Prīmō dubiā victōriā, magnā utrimque caede pugnātum est. Reductīs deinde in castra hostium cōpiīs datōque spatiō Rōmānīs ad parandum dē integrō bellum, Tarquinius, equitēs māximē suīs cōpiīs deesse ratus, numerō alterum tantum adiēcit, ut prō nōngentīs mīlle et octingentī equitēs in exercitū Rōmānō essent.

37 Hāc parte cōpiārum auctā iterum cum Sabīnīs cōnflīgunt. Sed praeterquam quod vīribus crēverat Rōmānus exercitus, etiam additur dolus: missī sunt quī magnam vim lignōrum, in Aniēnis rīpā iacentem, ārdentem in flūmen conicerent; ventōque iuvante accēnsa ligna pontem incendunt. Ea quoque rēs in pugnā terrōrem attulit Sabīnīs et fūsīs fugam impedīvit, multīque mortālēs, cum hostem effūgissent, in flūmine ipsō periēre. Eō proeliō praecipua equitum glōria fuit: utrimque ab cornibus positī, cum iam pellerētur media peditum suōrum aciēs, ita incurrērunt ab lateribus ut nōn sisterent modo Sabīnās legiōnēs, sed subitō in fugam āverterent. Montēs effūsō cursū Sabīnī petēbant, et paucī tenuēre; māxima pars, ut ante dictum est, ab equitibus in flūmen āctī

equitēs (Rōmānī) = cīvēs dīvitēs quī senātōrēs nōn sunt
spectācula -ōrum *n* = sēdēs spectātōrum
forī -ōrum *m*
factae *sunt*
lapideus -a -um = ex lapidibus factus
coepta -ōrum *n* = opus coeptum, cōnsilium
reī inter-venīre = inter rem (in mediam rem) venīre, rem turbāre
spatium (temporis) = tempus
cōn-flīgere -xisse -ctum = proeliō concurrere
praeter-quam quod = praeter id quod
missī sunt *hominēs*
magna vīs (alicuius reī) = magna cōpia
impedīre = difficilem /tardum facere
praecipuus -a -um = prae aliīs magnus, ēgregius
in-currere -risse ↔ ex-currere
effūsus = sparsus, turbātus
locum tenēre = ad locum pervenīre

captīvus -ī *m* = mīles bellō captus

sunt. Tarquinius, praedā captīvīsque Rōmam missīs, pergit in agrum Sabīnum exercitum indūcere. Iterumque ibi fūsī Sabīnī, iam prope dēspērātīs rēbus, pācem petīvēre.

Collātīnus -a -um < Collātia; *m* cīvis C.
dēditiō -ōnis *f* < dēdere
fōrmula -ae *f* = verba lēge statūta
ōrātor = lēgātus

38 Collātia et quidquid agrī citrā Collātiam erat Sabīnīs adēmptum est. Egerius (frātris hic fīlius erat rēgis) Collātiae in praesidiō relictus. Collātīnī hīs verbīs dēditī sunt, eaque dēditiōnis fōrmula est:

terminus -ī *m* = lapis quō fīnis dēsignātur
dēlūbrum -ī *n* = templum
diciō -ōnis *f* = potestās

Rēx interrogāvit: "Estisne vōs lēgātī ōrātōrēsque missī ā populō Collātīnō, ut vōs populumque Collātīnum dēderētis?" "Sumus." "Estne populus Collātīnus in suā potestāte?" "Est." "Dēditisne vōs populumque Collātīnum, urbem, agrōs, aquam, terminōs, dēlūbra, dīvīna hūmānaque omnia in meam populīque Rōmānī diciōnem?" "Dēdimus." "At ego recipiō."

ubi : in quō bellō
nōmen Latīnum: Latīnī
domāre -uisse -itum = sibi pārentem facere

Bellō Sabīnō perfectō Tarquinius triumphāns Rōmam rediit. Inde Latīnīs bellum fēcit; ubi nusquam dē ūniversā rē dīmicātum est, sed singula oppida occupandō omne nōmen Latīnum domuit. Corniculum, Fīculea, Crustumerium, Medullia, Nōmentum, haec oppida dē Latīnīs aut dē sociīs Latīnōrum capta sunt. Pāx deinde est facta.

exōrdium -ī *n* = initium
con-vallis -is *f* = vallis angusta

Māiōre inde studiō quam quō gesserat bella pācis opera incohāta sunt, ut nōn quiētior populus domī esset quam mīlitiae fuisset. Nam et mūrō lapideō, cuius operis exōrdium Sabīnō bellō turbātum erat, urbem cingere parat, et īnfima urbis loca circā forum aliāsque conval-

lēs collibus interiectās cloācīs in Tiberim ductīs siccat, et aedis in Capitōliō Iovis, quam vōverat bellō Sabīnō, fundāmenta iacit.

Iuvenis indolis rēgiae

39 Eō tempore in rēgiā prōdigium vīsū mīrābile fuit. Puerō dormientī, cui Serviō Tulliō fuit nōmen, caput ārsisse ferunt multōrum in cōnspectū. Plūrimō igitur clāmōre inde ad tantum mīrāculum ortō, rēgēs excītī sunt, et cum quīdam servus aquam ad restinguendum ferret, ab rēgīnā retentus est, quae sēdātō tumultū vetuit movērī puerum dōnec suā sponte experrēctus esset. Mox cum somnō et flamma abiit.

Tum abductō in sēcrētum virō Tanaquīl "Vidēsne tū puerum hunc" inquit "quem tam humilī cultū ēducāmus? Scīre licet hunc quondam rēbus nostrīs dubiīs lūmen futūrum. Proinde eum omnī cūrā nostrā colāmus!"

Inde puerum fīliī locō habēre coepērunt eumque ērudīre artibus quibus ingenia ad magnae fortūnae cultum excitantur. Ēvēnit facile quod dīs cordī esset: iuvenis ēvāsit vērē indolis rēgiae. Nec, cum quaererētur gener Tarquiniō, quisquam ē iuventūte Rōmānā ūllā arte cum Serviō cōnferrī potuit, fīliamque eī suam rēx dēspondit. Hic tantus honōs quācumque dē causā illī habitus crēdere prohibet eum servā nātum esse parvumque ipsum serviisse.

collibus (*dat*) interiectus = inter collēs situs

indolis rēgiae = quī indolem rēgiam habet
vīsū *sup II* < vidēre

eī Serviō nōmen est = eī Servius nōmen est
ferunt: hominēs ferunt (= nārrant)
plūrimus -a -um *sup* < multus
rēgēs = rēx et rēgīna

re-tinēre -uisse -tentum
vetāre -uisse -itum
(suā) sponte = per sē
ex-pergīscī -perrēctum = ē somnō excitārī

sēcrētus -a -um = ā cēterīs remōtus; *n* locus s.
cultus = modus vīvendī

scīre licet: scītō

futūrum *esse*
(hominem) colere = cūrāre, dīligere

ē-rudīre (arte) = ēducāre, docēre (artem)

cordī esse = grātum esse, placēre
ē-vādere = sē ostendere, dēnique fierī

cōn-ferre = comparāre

honōrem habēre alicui = aliquem honōrāre
serva -ae *f* = ancilla
parvum: puerum
serviisse = -*īvisse*

Servius Tullius rēx factus

[annō 578 a. C.]

40 Duodēquadrāgēsimō fermē annō ex quō rēgnāre coeperat Tarquinius, nōn apud rēgem modo, sed apud patrēs plēbemque in māximō honōre Servius Tullius erat. Tum Ancī fīliī duo, quī semper prō indignissimō habuerant sē tūtōris fraude patriō rēgnō pulsōs esse et rēgnāre Rōmae advenam, rēgī īnsidiās parāvērunt. Ex pāstōribus duo ferōcissimī ad facinus dēlēctī in vestibulō rēgiae māximō cum tumultū rīxam simulant atque omnēs līctōrēs rēgiōs in sē convertunt. Inde, cum ambō rēgem appellārent clāmorque eōrum penitus in rēgiam pervēnisset, vocātī ad rēgem pergunt. Prīmō uterque clāmitābat et alter alterum increpābat. Coercitī ab līctōre et iussī ōrdine loquī, tandem clāmāre dēsistunt. Ūnus rem ex compositō ōrdītur. Cum intentus in eum sē rēx tōtus āverteret, alter secūrim in caput rēgis dēiēcit, relictōque in vulnere tēlō, ambō sē forās ēiciunt.

prō indignissimō habēre = indignissimum exīstimāre
fraus -audis *f* = dolus

dē-ligere -lēgisse -lēctum = ēligere
rīxa -ae *f* = pugna cum tumultū

penitus = in partem interiōrem; p. pervenīre = penetrāre

co-ercēre (< -arcēre) = vī prohibēre, domāre

ex compositō = ut convēnerat (inter eōs)
secūris -is *f*: *acc* -im, *abl* -ī
dē-icere -iēcisse -iectum < -iacere
tēlō : secūrī

41 Tarquinium moribundum cum quī circā erant excēpissent, illōs fugientēs līctōrēs comprehendunt. Clāmor inde concursusque fit hominum mīrantium quid reī esset. Tanaquīl inter tumultum claudī rēgiam iubet, arbitrōs ēicit. Serviō properē accītō cum paene exsanguem virum ostendisset, dextram tenēns ōrat 'nē inultam mortem socerī esse sinat!' "Tuum est" inquit, "Servī, sī vir es, rēgnum, nōn eōrum quī aliēnīs manibus pessimum facinus fēcēre. Ērige tē, deōsque ducēs sequere, quī clārum hoc fore caput dīvīnō quondam

quid reī = quae rēs, quid

arbiter -trī *m* = testis

properē = celeriter
ex-sanguis -e = mortuus

secūris



hoc caput

circumfūsō igne portendērunt. Nunc tē illa caelestis excitet flamma! Nunc expergīscere vērē! Et nōs peregrīnī rēgnāvimus. Quī sīs, nōn unde nātus sīs, reputā! Sī tibi rē subitā cōnsilia dēsunt, at tū mea cōnsilia sequere!"

Cum clāmor impetusque multitūdinis vix sustinērī posset, ex superiōre parte aedium per fenestrās in Novam viam versās (habitābat enim rēx ad Iovis Statōris) populum Tanaquīl alloquitur. Iubet bonō animō esse: 'sōpītum esse rēgem subitō ictū; ferrum haud altē in corpus dēscendisse; iam ad sē rediisse; brevī ipsum eōs vīsūrōs esse.' Interim populum iubet Serviō Tulliō dictō audientem esse: 'eum iūra datūrum esse aliīsque rēgis mūneribus fūnctūrum.'

Servius cum īnsignibus rēgiīs et līctōribus prōdit ac sēde rēgiā sedēns alia dēcernit, dē aliīs sē rēgem cōnsultūrum esse simulat; itaque per aliquot diēs, cum iam exspīrāvisset Tarquinius, cēlātā morte suās opēs fīrmāvit. Tum dēmum mors rēgis populō patefacta est, complōrātiōne in rēgiā ortā. Servius, praesidiō fīrmō mūnītus, prīmus iniussū populī, voluntāte patrum rēgnāvit. Ancī līberī iam tum, comprehēnsīs sceleris ministrīs, ut vīvere rēgem et tantās esse opēs Serviī nūntiātum est, Suessam Pōmētiam exsulātum ierant.

42 Nec sōlum pūblicīs cōnsiliīs, sed etiam prīvātīs Servius opēs suās fīrmāvit, et nē, quālis Ancī līberōrum animus adversus Tarquinium fuerat, tālis adversus sē Tarquiniī līberōrum animus esset, duās fīliās suās iuve-

- por-tendere -disse -tum = rem futūram ostendere
- quī = quis
- rē subitā = ob rem subitam
- *templum* Iovis Statōris
- sōpīre = dormientem facere
- ictus -ūs *m* < īcere
- ad sē redīre = ad mentem redīre
- "brevī ipsum vid*ēbitis*"
- dictō audiēns esse = pārēre
- mūnus = officium
- fungī fūnctum
- *in* sēde rēgiā
- cōnsulere -uisse -sultum
- mūnītus : cūstōdītus
- prīmus : prīmus fuit quī
- ut (+ *perf*) = postquam
- Suessa Pōmētia -ae *f*: oppidum *Volscōrum*
- exsulāre = exsul esse
- nē Tarquiniī līberōrum animus tālis esset quālis…
- sē : Servium

iuvenēs rēgiī : fīliī rēgis

nibus rēgiīs, Lūciō atque Arruntī Tarquiniīs, mātrimōniō iungit.

bellum sūmere = bellum incipere, inīre

(alicui) probātus = quī probātur (ab aliquō), acceptus

Servius bellum cum Vēientibus aliīsque Etrūscīs sūmpsit. In eō bellō et virtūs et fortūna Serviī ēgregia fuit, fūsōque ingentī hostium exercitū haud dubius rēx, cum patribus tum plēbī probātus, Rōmam rediit.

cēnsus -ūs *m* < cēnsēre -uisse cēnsum (= aestimāre)
aggredī ad = incipere

virītim = per singulōs virōs
habitus -ūs *m* = status
cīvēs cēnsēre = pecūniam cīvium aestimāre /numerāre
cēnsus = pecūnia quae cēnsētur

Cēnsus īnstitūtus

Aggrediturque inde ad pācis longē māximum opus: cēnsum enim īnstituit, ut bellī pācisque mūnera nōn virītim, ut ante, sed prō habitū pecūniārum fierent. Omnēs cīvēs Rōmānōs cēnsuit, tum populum ex cēnsū in quīnque classēs et in centum nōnāgintā trēs centuriās discrīpsit:

Classēs	*Centuriae*	*Cēnsus*
Equitēs	18	
I classis	80 + 2	māior 100 000
II classis	20	75 000–100 000
III classis	20	50 000–75 000
IV classis	20	25 000–50 000
V classis	30 + 2	11 000–25 000
Prōlētāriī	1	minor 11 000

prōlētāriī -ōrum *m* = cīvēs pauperēs quī nōn cēnsēbantur
aes = pecūnia, assēs; C mīlia aeris = C milia assium

senior -ōris *comp* < senex
ut adessent *voluit*
additae *sunt*
fabr*um* = fabr*ōrum*

Ex iīs quī centum mīlium aeris aut māiōrem cēnsum *43*
habērent octōgintā cōnfēcit centuriās; *prīma classis* appellātī; seniōrēs ad urbis cūstōdiam ut adessent, iuvenēs ut forīs bella gererent. Additae huic classī duae fabrum

centuriae, quae sine armīs stipendia facerent. *Secunda classis* intrā centum ūsque ad quīnque et septuāgintā mīlium cēnsum īnstitūta est, et ex iīs, seniōribus iūniōribusque, vīgintī centuriae cōnscrīptae. *Tertiae classis* quīnquāgintā mīlium cēnsum esse voluit; totidem centuriae factae. In *quārtā classe* cēnsus quīnque et vīgintī mīlium; totidem centuriae factae. *Quīnta classis* aucta: centuriae trīgintā factae; hīs additī sunt cornicinēs tubicinēsque in duās centuriās distribūtī. Ūndecim mīlibus haec classis cēnsēbātur. Hōc minor cēnsus reliquam multitūdinem habuit; inde ūna centuria facta est immūnis mīlitiā. Ita pedestrī exercitū distribūtō, ex prīmōribus cīvitātis duodēvīgintī equitum centuriās fēcit.

In quattuor regiōnēs urbe dīvīsā, partēs eās 'tribūs' appellāvit. (Posteā numerus tribuum auctus est ūnā et trīgintā tribubus rūsticīs additīs.)

44 Cēnsū perfectō Servius ēdīxit ut omnēs cīvēs Rōmānī, equitēs peditēsque, in suā quisque centuriā, in campō Mārtiō prīmā lūce adessent. Ibi īnstrūctum exercitum omnem suovetaurīlibus lūstrāvit; ita cēnsuī fīnis factus est idque 'lūstrum condere' appellātum. Eō lūstrō mīlia octōgintā cīvium cēnsa dīcuntur (adicit scrīptōrum antīquissimus Fabius Pictor 'eōrum quī arma ferre possent eum numerum fuisse'). Ad eam multitūdinem urbs quoque amplificanda vīsa est. Addit duōs collēs, Quirīnālem Vīminālemque. Vīminālem inde auget Ēsquiliīs, ibique ipse, ut locō dignitās fieret, habitat.

stipendia facere = stipendia merēre, mīlitāre
LXXV mīlium *aeris*
iūnior -ōris *comp* < iuvenis
totidem : vīgintī
factae *sunt*
cēnsus *fuit*
aucta *est*
cornicen -inis *m* = quī cornū canit
dis-tribuere -uisse -ūtum = discrībere
hōc minor = m. quam hic
im-mūnis -e = sine mūnere pūblicō; i. mīlitiā = cui mīlitandum nōn est
pedester -tris -tre (< pēs) = peditum
tribus -ūs *f*: *pl dat/abl* -ubus



lūstrāre (exercitum) = pūrum facere rīte sacrificandō
lūstrum -ī *n* = rītus exercitūs lūstrandī; l. condere = l. peragere, cēnsum facere
scrīptor -ōris *m* = quī scrībit
Q. Fabius Pictor -ōris: senātor Rōmānus quī rēs gestās Rōmānōrum Graecē scrīpsit saeculō III a. C.
dignitās -ātis *f* < dignus

Aggere et fossīs et mūrō circumdat urbem, ita pōmērium prōfert.

45 Auctā cīvitāte magnitūdine urbis, nōn armīs, sed cōnsiliō augēre imperium cōnātus est, simul et aliquod addere urbī decus. Iam tum erat inclutum fānum Diānae Ephesī; id commūniter ā cīvitātibus Asiae factum fāma ferēbat. Eum cōnsēnsum deōsque cōnsociātōs laudābat Servius inter prīmōrēs Latīnōrum, cum quibus pūblicē prīvātimque hospitia amīcitiāsque iūnxerat. Saepe iterandō eadem perpulit tandem ut Rōmae in Aventīnō fānum Diānae populī Latīnī cum populō Rōmānō facerent. Ea erat cōnfessiō caput rērum Rōmam esse, dē quō totiēs armīs certātum erat.

Tullia ferōx

46 Servius, quamquam iam ūsū haud dubiē rēgnum possidēbat, tamen — quia L. Tarquinius, fīlius Tarquiniī Prīscī, dīcēbat 'eum iniussū populī rēgnāre' — ausus est ad populum referre 'vellent iubērentne sē rēgnāre?' Tantōque cōnsēnsū quantō haud quisquam alius ante rēx est dēclārātus.

Neque ea rēs Tarquiniō spem affectandī rēgnī minuit. Et ipse iuvenis ārdentis animī erat, et domī uxor Tullia, rēgis fīlia, animum virī stimulābat.

Hic L. Tarquinius frātrem habuerat Arruntem Tarquinium, mītis ingeniī iuvenem. Hīs duōbus, ut ante dictum est, duae Tulliae, rēgis fīliae, nūpserant — et

agger -is *m* = vāllum ē terrā factum

aliquod decus

inclutus -a -um = nōbilis, illūstris

Ephesus -ī *f*: cīvitās Asiae

ferēbat = nārrābat


prīvātim ↔ pūblicē

hospitium -ī *n* = amīcitia hospitum

per-pellere -pulisse -pulsum = persuādendō pellere (ad agendum)


cōnfessiō -ōnis *f* < cōnfitērī

dē quō : dē quā rē



ad populum referre = populum sententiam rogāre

affectāre = adipīscī cōnārī, petere



nūbere -psisse -ptum

ipsae longē disparēs mōribus. Ferōx Tullia, quae Arruntī Tarquiniō nūpta erat, aegrē ferēbat nihil māteriae in virō neque ad cupiditātem neque ad audāciam esse; alterum Tarquinium admīrārī, 'eum virum esse' dīcere 'ac rēgiō sanguine ortum'; spernere sorōrem quod virō audācī nūpta ipsa audāciā carēret; nūllīs verbōrum contumēliīs parcere dē virō ad frātrem, dē sorōre ad virum. Celeriter adulēscentem suā temeritāte implet. Arruntis Tarquiniī et Tulliae minōris prope continuīs fūneribus cum domōs vacuās novō mātrimōniō fēcissent, L. Tarquinius et Tullia māior iunguntur nūptiīs!

47 Tum vērō in diēs īnfēstior Tulliī senectūs, īnfēstius rēgnum coepit esse. Iam enim ab scelere ad aliud scelus spectāre mulier. Nec nocte nec interdiū virum conquiēscere patī, nē grātuīta praeterita parricīdia essent: 'nōn sibi dēfuisse marītum cum quō tacita servīret — dēfuisse virum quī sē rēgnō dignum esse putāret, quī meminisset sē esse Prīscī Tarquiniī fīlium, quī habēre quam spērāre rēgnum māllet!' "Sī tū is es cui nūptam esse mē arbitror, et virum et rēgem appellō: quīn accingeris? Nōn tibi ab Corinthō nec ab Tarquiniīs, ut patrī tuō, peregrīna rēgna affectāre necesse est. Dī tē Penātēs et patris imāgō et domus rēgia et in domō rēgāle solium et nōmen Tarquinium creat vocatque rēgem. Aut sī ad haec parum est animī, quid frūstrāris cīvitātem? quid tē ut rēgium iuvenem cōnspicī sinis? Facesse hinc Tarquiniōs aut Corinthum, frātrī similior quam patrī!" Hīs

eī nūpta = eius uxor

admīr*ārī* : admīr*ātur*
dīc*ere* : dīc*it*
spern*ere* : spern*it*

contumēlia -ae *f* = dictum indignum
parc*ere* : parc*it* (: abstinet)
ad *virī* frātrem
temeritās -ātis *f* = nimia audācia
continuus -a -um = sine intervāllō

nūptiae -ārum *f* (< nūbere) = mātrimōnium
in diēs -ior = cotīdiē -ior
senectūs -ūtis *f* = aetās senis
spect*āre* : spect*at*
con-quiēscere = quiēscere
pat*ī* : pat*itur*
gratuītus -a -um = sine mercēde factus
parricīdium -ī *n* (< parricīda) = nex parentis /cognātī
"nōn *mihi* dēfu*it* marīt*us* cum quō ... servi*ēbam*"

ac-cingere = cingere; accingī = sē armāre

dī Penātēs et ... et nōmen T. tē rēgem creat
rēgālis -e = rēgius

frūstrārī = falsā spē ēlūdere
facessere = abīre

- īnstīgāre -āvisse -ātum /īnstīnctum = incitāre
- furor -ōris *m* < furere
- īnstīnctus = īnstīgātus
- : circum*it*, concili*at*, admon*et*, repet*it*
- admonēre + *gen* = a. dē
- grātiam re-petere = petere ut grātia referātur
- rēgis crīminibus : rēgem accūsandō
- crēscere (: crēsc*it*) : opēs eius crēscunt
- praecō -ōnis *m* = vir quī nūntiōs pūblicōs prōclāmat
- prae-parāre
- dē Serviō āctum *esse*: rem Serviī āctam esse
- : Serviō male dīcere ōrsus *est*
- interrēgnum in-ītur : i. fit
- suffrāgium -ī *n* = populī sententia comitiīs dēclārāta
- fautor -ōris *m* = quī favet
- sordidissimus quisque = quisque ut sordidissimus est, omnēs sordidī (: indignī)

aliīsque increpandō iuvenem īnstīgat, nec conquiēscere ipsa potest, sī — cum Tanaquīl, peregrīna mulier, duo continua rēgna virō ac deinceps generō dedisset — ipsa, rēgiō sanguine orta, nec dare nec adimere rēgnum posset. Hōc muliebrī furōre īnstīnctus Tarquinius circumīre et conciliāre sibi patrēs. Admonēre Tarquiniī Prīscī beneficiī ac prō eō grātiam repetere. Allicere dōnīs iuvenēs. Cum ingentia pollicendō, tum rēgis crīminibus, omnibus locīs crēscere.

Postrēmō, ut iam agendae reī tempus vīsum est, cīnctus agmine armātōrum in forum irrūpit. Inde, omnibus perculsīs pavōre, in rēgiā sēde prō Cūriā sedēns patrēs in Cūriam per praecōnem 'ad rēgem Tarquinium' cōgī iussit. Convēnēre extemplō, aliī iam ante ad hoc praeparātī, aliī metū coāctī et iam dē Serviō āctum ratī.

Ibi Tarquinius Serviō maledīcere ōrsus: 'Servum servāque nātum post mortem indignam parentis suī, nōn interrēgnō (ut anteā) initō, nōn comitiīs habitīs, nōn per suffrāgium populī, nōn auctōribus patribus, muliebrī dōnō rēgnum occupāvisse. Ita nātum, ita creātum rēgem, fautōrem īnfimī generis hominum, ex quō ipse sit, agrum prīmōribus ēreptum sordidissimō cuique dīvīsisse...'

Huic ōrātiōnī cum Servius intervēnisset ā trepidō nūntiō excitātus, extemplō ā vestibulō Cūriae magnā vōce "Quid hoc" inquit, "Tarquinī, reī est? Quā tū *48*

audāciā, mē vīvō, vocāre ausus es patrēs aut in sēde cōnsīdere meā?"

Cum ille ferōciter ad haec — 'sē patris suī tenēre sēdem: fīlium rēgis multō potiōrem rēgnī hērēdem esse quam servum; illum satis diū per licentiam illūsisse dominīs' — clāmor ab utrīusque fautōribus oritur et concursus populī fīēbat in Cūriam. Tum Tarquinius, necessitāte iam et ipsā cōgente ultima audēre, multō et aetāte et vīribus validior, medium arripit Servium ēlātumque ē Cūriā in īnferiōrem partem per gradūs dēiēcit! Inde ad cōgendum senātum in Cūriam rediit.

Fit fuga rēgis comitum. Ipse prope exsanguis, cum sine rēgiō comitātū domum sē reciperet, ab iīs quī missī ab Tarquiniō fugientem cōnsecūtī erant interficitur. Crēditur — quia nōn abhorret ā cēterō scelere — admonitū Tulliae id factum. Carpentō certē (id quod satis cōnstat) in forum invecta ēvocāvit virum ē Cūriā 'rēgem'que prīma appellāvit. Ex tantō tumultū cum sē domum reciperet pervēnissetque ad summum Cyprium vīcum, restitit pavidus is quī iūmenta agēbat iacentemque dominae Servium trucīdātum ostendit! Foedum inhūmānumque inde trāditur scelus: Tullia per patris corpus carpentum ēgisse fertur, partemque sanguinis ac caedis paternae cruentō vehiculō tulisse ad Penātēs suōs virīque suī!

Servius Tullius rēgnāvit annōs quattuor et quadrāgintā. Cum illō simul iūsta ac lēgitima rēgna occidērunt.

ad haec *responderet*


potior -ius = melior, rēctior

licentia -ae *f* (< licēre) = nimia lībertās

: cum iam et ipsa necessitās cōgeret *eum*

ar-ripere -uisse -reptum (< ad + rapere) = apprehendere

gradūs



comitātus -ūs *m* = comitum numerus

ab-horrēre ab ↔ convenīre ad

admonitū *abl* < admonēre; a. Tulliae = admonente Tulliā

vīcus Cyprius ā forō Rōmānō ad Ēsquiliās versus dūcit

iūmentum -ī *n* = bēstia quae vehit, equus

trāditur = fertur = nārrātur

caedis : carnis

paternus -a -um < pater

vehiculum -ī *n* = currus

Penātēs : domus

annōs XLIV: 578–534 a.C.

lēgitimus -a -um = lēge īnstitūtus

FILIA IMPIA

[*Ovidius: Fāstī. Ex librō VI*]

Tullia, coniugiō (sceleris mercēde) perāctō,
  hīs solita est dictīs exstimulāre virum:
"Quid iuvat esse parēs — tē nostrae caede sorōris,
  mēque tuī frātris — sī pia vīta placet?
Vīvere dēbuerant et vir meus et tua coniūnx,
  sī nūllum ausūrī māius erāmus opus.
Rēgia rēs scelus est: socerō cape rēgna necātō!
  et nostrās patriō sanguine tinge manūs!"
Tālibus īnstīnctus, soliō prīvātus in altō
  sēderat; attonitum vulgus ad arma ruit.
Hinc cruor et caedēs; īnfīrmaque vincitur aetās:
  scēptra gener socerō rapta Superbus habet.
Ipse sub Ēsquiliīs, ubi erat sua rēgia, caesus
  concidit in dūrā sanguinulentus humō.
Fīlia, carpentō patriōs initūra Penātēs,
  ībat per mediās alta ferōxque viās.
Corpus ut aspexit, lacrimīs aurīga profūsīs
  restitit; hunc tālī corripit illa sonō:
"Vādis? an exspectās pretium pietātis amārum?
  Dūc, inquam, invītās ipsa per ōra rotās!"

mercēde : praemiō

solēre solitum esse
ex-stimulāre = stimulāre
nōs esse parēs — tē *mihi*... mēque *tibi*
nōbīs placet

vir meus: Arrūns
tua coniūnx: Tullia minor
ausūrī (*part fut* < audēre) erāmus
socerō necātō

nostrās manūs
tingere = ūmidum facere
in altō soliō
prīvātus : nōn rēx
sīdere sēdisse = cōnsīdere

hinc : ex hāc rē
īnfīrma aetās : senex īnfīrmus
scēptr*um* socerō rapt*um* gener S. habet

sanguinulentus -a -um = sanguineus, cruentus
in-īre Penātēs = intrāre domum
per mediās viās

pro-fundere = effundere

corripere = reprehendere

pietās -ātis *f* < pius
amārus -a -um = acerbus
per ipsa *patris* ōra (: ōs, vultum)

PENSVM A

Dē adverbiīs

Tullus lēgātōs Albānōs bland– ac benign– recēpit. Rēx Albānus lēgātīs Rōmānīs superb– ac ferōc– respondit. Horātiī et Cūriātiī nōn timid–, sed fort– pugnāvērunt. Duo Horātiī cit– (celer–) occīsī sunt, trēs Cūriātiī vulnerātī, duo magis aut min– grav–, tertius lev–. Subit– Horātius, quī fēlīc– incolumis erat, fugere coepit. Albānī nōn aequ– vēlōc– sequī potuērunt: quī levissim– vulnerātus erat, vēlōcissim– currēbat et continu– occīsus est, cum long– abesset ā cēterīs; quī gravissim– vulnerātus erat, postrēm– occīsus est. Cert– Horātius fort– ac prūdent– pugnāvit quam cēterī: is omnium fortissim– ac prūdentissim– pugnāvit; sed postquam ita glōriōs– patriam servāvit, sorōrem suam, quae Cūriātium flēbil– nōmināverat, crūdēl– interfēcit!

Posteā Tullus ēgregi– cum hostibus pugnāvit, etsī Albānī sociōs Rōmānōs turp– (foed–) dēseruerant. Tullus ducem Albānōrum sevēr– atque atrōc– pūnīvit. Nēmō Rōmānus hostem sevēr– aut atrōc– pūnīvit quam Tullus.

Numa iūst– et prūdent– rēgnāvit deōsque dīligent– coluit. Rōmulus et Tatius commūn– rēgnāvērunt, nec Rōmulus mortem Tatiī molest– (aegr–) tulit.

Malus discipulus, quī mal– ac prāv– scrībit, rār– laudātur; bonus discipulus, quī b– ac rēct– scrībit nōn sōlum Graec–, sed etiam Latīn–, frequent– laudātur.

PENSVM B

Ancus iūs — scrīpsit quō bellum indīcitur. Latīnīs bellum indictum est, postquam lēgātus deōs — est populum Latīnum adversus populum Rōmānum — [= male fēcisse] et plērīque senātōrēs — [= in eandem sententiam iērunt]. Latīnīs victīs, Ancus ingentem praedam Rōmam —; nec vērō Medulliam expugnāre potuit propter firmās — [< mūnīre]. Iāniculō adiectō urbem — [= ampliōrem fēcit].

Patre mortuō, Lucumō, vir — [= impiger], omnium bonō-

Vocābula nova:
comitia
īnstitūtum
incursiō
fīlum
postulātum
duellum
mūnītiō
salīnae
bona
sēditiō
nurus
testāmentum
hērēs
exsul
indignitās
carpentum
pilleus
augurium
āles
cōgitātiō
novitās
tūtor
cōnsēnsus
forī
coeptum
captīvus
fōrmula
dēditiō
terminus
dēlūbrum
diciō
exōrdium
serva
fraus
rīxa
arbiter
ictus
cēnsus
habitus
cornicen
tribus
suovetaurīlia
lūstrum
scrīptor
dignitās
agger
hospitium
cōnfessiō
contumēlia
temeritās
nūptiae

senectūs
parricīdium
furor
praecō
suffrāgium
fautor
licentia
comitātus
iūmentum
vehiculum
pietās
rota
fētiālis
compos
terrestris
īnfernus
ferrātus
clandestīnus
aptus
strēnuus
māternus
perītus
cōnspicuus
cōmis
lapideus
praecipuus
sēcrētus
exsanguis
probātus
senior
iūnior
immūnis
pedestris
inclutus
continuus
grātuītus
rēgālis
paternus
lēgitimus
sanguinulentus
amārus
exposcere
ingredī
testārī
persolvere
cōnsentīre
cōnscīscere
dēlinquere
dēmandāre
fīrmāre
amplificāre
commigrāre
honōrāre

rum — factus est. Cum Etrūscī eum spernerent ut — ortum, uxor Tanaquīl, quae virum — [= decorātum] vidēre cupiēbat, eī persuāsit ut Rōmam — cum omnibus — [= fortūnīs] suīs. Aquila eī — abstulit et — [= dīvīnē] in capite reposuit. Hoc — Tanaquīl, mulier rērum caelestium — , laeta accēpit. Rōmae L. Tarquinius, quem dīvitiae — faciēbant, cīvēs sibi conciliābat — [= benignē] invītandō. Multīs cīvīlibus officiīs — coepit, et postrēmō — līberīs rēgis factus est.

Equitātū auctō, rēx Tarquinius cum Sabīnīs —. Eō proeliō — fuit glōria equitum, quī ab lateribus — ac Sabīnōs fūdērunt. Haec — [= ferē] est fōrmula —: "Dēditisne vōs, urbem, agrōs, aquam, —, — [= fāna], dīvīna hūmānaque omnia in populī Rōmānī —?" "Dēdimus."

Servius Tullius, quī — [= ancillā] nātus esse dīcitur, magnā cūrā — [= docēbātur]. In vestibulō rēgiae duo pāstōrēs — simulant; vocātī ad rēgem alter rem ex — ōrdītur, alter secūrim in caput rēgis —. Rēgīna, — [=testibus] ēiectīs, Servium — [= celeriter] — [= arcessīvit]. Populō nūntiat 'rēgem nōn mortuum, sed — esse subitō — ; interim Servium rēgis officiīs — esse.' Ita cēlātā morte opēs Serviī — [< fīrmus]. Servius rēx populum ex — [< cēnsēre] in V classēs — [= discrīpsit]; singulae classēs ex — et — cōnstant. Quamquam Servius magnō — [< cōnsentīre] populī rēx — [< lēx] dēclārātus erat, L. Tarquinius rēgnum — nōn dēstitit; Tullia, quācum — [< nūbere] iūnctus erat, eum — [= incitābat]. Postrēmō senātum per — in Cūriam coēgit ibique turpissimīs — Serviō — ōrsus est. Huic ōrātiōnī Servius — cum — [< favēre] suīs, sed Tarquinius eum — atque per gradūs —! Tullia currum suum per corpus patris — [= cruentum] ēgisse fertur, neque id ā cēterō scelere —.

Māne hominēs ē somnō —. Senēs māiōrēs — sunt quam iuvenēs. Mōtus membrōrum vinculīs —. — est mīles captus. Discordia cīvīlis — dīcitur. Hominēs ferās — nōn possunt. Quī sōlus esse vult, locum — petit. Caput ārdēns glōriam futūram — putābātur. Fabius Pictor est rērum

gestārum — antīquus. Servius cum prīmōribus Latīnōrum — [< hospes] iūnctus erat. — est — [= currus] quod duās — habet; bēstia quae currum vehit — dīcitur.

Synōnyma: uxor fīliī et —; dolus malus et —; īnsānia et —; clam factus et —; idōneus et —; illūstris et —; rēgius et —; acerbus et —; ēlūdere et —; quōmodo et quō —.

Contrāria: vetustās et —; iuventūs et —; ēgredī et —; pūblicē et —.

PENSVM C

Quōmodo fētiālis bellum indīcēbat?
Quārē carcerem aedificāre necesse fuit?
Cūr Lucumō domī honōrem adipīscī nōn poterat?
Quī rēgēs peregrīnī Rōmae rēgnāvērunt?
Quot equitēs tum in exercitū Rōmānō erant?
Quibus condiciōnibus pāx cum Sabīnīs facta est?
Quāle prōdigium in rēgiā vīsum est?
Quid caput Serviī ārdēns portendere putābātur?
Quōmodo rēx Tarquinius occīsus est?
Quārē Tanaquīl mortem rēgis cēlāvit?
Quōs collēs Servius urbī Rōmae adiēcit?
Quālēs erant fīliae Serviī?
Quōmodo Servius rēgnō pulsus est?

āmigrāre
volitāre
compōnere
accīre
fungī
revehere
intervenīre
cōnflīgere
impedīre
incurrere
domāre
expergīscī
ērudīre
dēligere
coercēre
dēicere
portendere
sōpīre
exsulāre
distribuere
perpellere
affectāre
conquiēscere
accingere
frūstrārī
facessere
īnstīgāre
praeparāre
maledīcere
arripere
abhorrēre
exstimulāre
tingere
sīdere
profundere
nātū
fermē
quō pactō
dīvīnitus
ex compositō
properē
virītim
prīvātim
admonitū



L. Iūnius Brūtus, līberātor populī Rōmānī

ROMA LIBERATA

[*Ex T. Līviī 'Ab urbe conditā' librō I.49–60, nōnnūllīs mūtātīs et omissīs*]

Tarquinius Superbus

Inde L. Tarquinius rēgnāre coepit, cui 'Superbō' cog- *49*
nōmen datum est, quia socerum suum sepelīrī prohibuit, 'Rōmulum quoque īnsepultum periisse' dictitāns, prīmōrēsque patrum, quōs Serviī rēbus fāvisse crēdēbat, interfēcit. Cūstōdibus armātīs corpus saepsit, neque enim ad iūs rēgnī quicquam praeter vim habēbat, ut quī neque populī iussū neque auctōribus patribus rēgnāret. Ut plūribus metum iniceret, iūdicia per sē sōlus exercēbat, perque eam causam occīdere aut in exsilium agere poterat nōn suspectōs modo aut invīsōs, sed etiam eōs unde nihil aliud quam praedam spērāre posset. Praecipuē ita patrum numerō imminūtō, statuit nūllōs in patrēs legere, ut paucitāte ipsā senātus con-

o-mittere = praeter-mittere

prohibēre = vetāre

dictitāre = dīcere identidem

favēre fāvisse fautum

quic-quam = qui*d*quam

ut quī rēgnāret = cum rēgnāret

iūdicium exercēre = iūdicium facere

exsilium -ī *n* < exsul

suspectus = quī male fēcisse putātur

invīsus -a -um ↔ dīlēctus

im-minuere = minuere

paucitās -ātis *f* < paucī

tēmptior esset. Hic enim rēgum prīmus trāditum ā priōribus mōrem dē omnibus rēbus senātum cōnsulendī solvit, domesticīs cōnsiliīs rem pūblicam administrāvit, bellum, pācem, foedera, societātēs per sē ipse, cum quibus voluit, iniussū populī ac senātūs, fēcit rūpitque.

contēmptus -a -um = contemnendus
trāditum... mōrem... senātum cōnsulendī solvit (: rūpit)
ad-ministrāre = regere

Latīnōrum sibi māximē gentem conciliābat, ut peregrīnīs quoque opibus tūtior inter cīvēs esset; hospitia cum prīmōribus eōrum iungēbat, atque Octāviō Mamiliō Tūsculānō (is longē prīnceps Latīnī nōminis erat) fīliam nūptum dat, perque eās nūptiās multōs sibi cognātōs amīcōsque eius conciliat.

sibi conciliābat
nūptum *sup* < nūbere; n. dare = in mātrimōnium dare

Turnus Herdōnius

Iam magna Tarquiniī auctōritās inter Latīnōrum prīmōrēs erat, cum iīs indīcit ut diē certā ad lūcum Ferentīnae conveniant: 'sē dē rēbus commūnibus cum iīs agere velle.' Conveniunt frequentēs prīmā lūce — ipse Tarquinius paulō antequam sōl occideret vēnit!

auctōritās -ātis *f* = iūs imperandī, potentia
indīcere = imperāre
Ferentīna -ae *f*: dea Latīnōrum
agere = colloquī (dē rē pūblicā)

Multa ibi tōtō diē in conciliō variīs sermōnibus iactāta erant. Turnus Herdōnius ab Arīciā ferōciter in absentem Tarquinium erat invectus: 'Haud mīrum esse eī 'Superbō' Rōmae datum cognōmen — an quicquam superbius esse quam ēlūdere sīc omne nōmen Latīnum? Prīncipibus longē ab domō excītīs, ipsum quī concilium indīxerit nōn adesse! Cui nōn appārēre eum affectāre imperium in Latīnōs? Cum cīvēs Rōmānī aliī super aliōs trucīdentur, exsulātum eant, bona āmittant, quid

iactāre = dictitāre
in-vehī in (+*acc*) = verbīs oppugnāre, maledīcere
an (= num) quicquam esse? : nihil enim esse
appāret = plānum est

quid speī (*gen*) : quam spem
"sī *mē* aud*ītis*, domum omnēs *hinc* ab*ībimus*"

īnsolēns -entis = audāx et superbus
āversī *sunt* = sē āvertērunt

id temporis = eō tempore

eō-dem = in eundem locum
minae -ārum *f* = dicta minantia; minās iactāre in = minārī

māchinārī = clam ex-cōgitāre (dolum)

īnsōns -ontis = quī nōn dēlīquit
corrumpere (eum) = mercēde persuādēre (eī)
hospitium = domus hospitis

salūtī esse = salūtem ferre

"gladiōrum ing*ēns* numer*us* ad eum convect*us* esse dīc*itur*"
con-vehere = cōnferre

"rog*ō vōs* ut *hinc mē*cum ad T. veni*ātis*"

ventum est : vēnērunt

speī meliōris Latīnīs portendī? Sī sē audiant, domum omnēs inde abitūrōs!'

Haec atque alia similia cum homō īnsolēns iactāret, intervēnit Tarquinius. Is fīnis ōrātiōnī fuit. Āversī omnēs ad Tarquinium salūtandum. Quī, silentiō factō, prīmum sē pūrgāvit quod id temporis vēnisset: 'iūdiciī causā' ait 'sē morātum esse'; deinde Latīnōs posterō diē eōdem convenīre iussit.

Turnus vērō minās in rēgem Rōmānum iactāns ex *51*
conciliō abiit. Quam rem Tarquinius aegrē ferēns cōnfestim Turnō necem māchinātur, ut eundem terrōrem quō cīvium animōs domī oppresserat Latīnīs iniceret. Et quia tam potentem virum palam interficere nōn poterat, allātō falsō crīmine virum īnsontem oppressit: Servum Turnī aurō corrūpit, ut in hospitium eius vim magnam gladiōrum īnferrī clam sineret. Ea cum ūnā nocte perfecta essent, Tarquinius paulō ante lūcem accītīs ad sē prīncipibus Latīnōrum 'moram suam hesternam velut dīvīnitus' ait 'salūtī sibi atque illīs fuisse: ab Turnō enim sibi et prīmōribus Latīnōrum parārī necem, ut Latīnōrum sōlus imperium teneat; gladiōrum ingentem numerum ad eum convectum esse dīcī; id vērumne an falsum sit, extemplō scīrī posse: sē rogāre eōs ut inde sēcum ad Turnum veniant.'


Turnum suspectum fēcit et ingenium ferōx et ōrātiō hesterna. Eunt omnēs, ut fidem eius experiantur. Ubi eō ventum est, Turnum ex somnō excitātum circum-

sistunt cūstōdēs; comprehēnsīsque servīs, quī cāritāte dominī vim parābant, cum gladiī abditī ex omnibus locīs aedium prōtraherentur, enimvērō manifēsta rēs vīsa est, iniectaeque Turnō catēnae. Et cōnfestim Latīnōrum concilium magnō cum tumultū advocātur. Ibi tam atrōx invidia in Turnum orta est, gladiīs in mediō positīs, ut sine iūdiciō — novō genere suppliciī — dēiectus in aquam, crāte super iniectā, mergerētur.

cāritās -ātis *f* (< cārus) = amor, grātia

prō-trahere
enim-vērō = profectō
manifēstus -a -um ↔ dubius
in-iectae *sunt*

invidia -ae *f* (< invidēre) = īra et odium
in mediō pōnere = palam ostendere


crātis -is *f*

52 Revocātīs deinde ad concilium Latīnīs, Tarquinius prīmum eōs collaudāvit 'quod Turnum prō manifēstō scelere meritā poenā affēcissent', deinde cum iīs ēgit dē renovandō foedere inter Rōmānōs Latīnōsque. Haud difficulter persuāsit Latīnīs, quamquam in eō foedere superior Rōmāna rēs erat; cēterum et capita nōminis Latīnī cōnsentīre cum rēge vidēbant, et Turnī suppliciō terrēbantur. Ita renovātum foedus, indictumque iūniōribus Latīnōrum 'ut diē certā ad lūcum Ferentīnae armātī frequentēs adessent.' Quī ubi ex omnibus populīs Latīnīs convēnēre, Tarquinius miscuit manipulōs ex Latīnīs Rōmānīsque, ut ex bīnīs singulōs faceret bīnōsque ex singulīs. Ita geminātīs manipulīs centuriōnēs praeposuit.

col-laudāre = laudāre (multōs)

difficulter *adv* < difficilis

capita : prīncipēs

renovātum *est*
indictum *est*

legiō: X cohortēs
cohors: III manipulī
manipulus: II centuriae

singulīs manipulīs bīnī *centuriōnēs* praefectī sunt

Gabiī dolō captī

Gabiī -ōrum *m*: oppidum Latiī

53 Tarquinius autem, etsī iniūstus in pāce rēx, tamen dux bellī haud prāvus fuit, quīn etiam eā arte aequābat superiōrēs rēgēs. Is prīmus Volscīs bellum mōvit, Sues-

aequāre = aequus esse (atque)
bellum movēre = bellum īnferre

samque Pōmētiam ex iīs vī cēpit. Ubi cum vēndendā praedā quadrāgintā talenta argentī fēcisset, eam pecūniam omnem ad aedificandum Iovis templum servāvit.

Suscēpit deinde lentius spē bellum, quō Gabiōs, propinquam urbem, nēquīquam vī adortus, postrēmō (minimē arte Rōmānā!) fraude ac dolō aggressus est. Nam cum, velut positō bellō, fundāmentīs templī iaciendīs aliīsque urbānīs operibus intentum sē esse simulāret, Sextus, fīlius eius quī minimus ex tribus erat, trānsfūgit ex compositō Gabiōs patris in sē saevitiam nōn tolerandam querēns: 'rēgem iam ab aliēnīs in suōs vertisse superbiam et līberīs quoque īnsidiās parāre, nē quem hērēdem rēgnī relinquat; sē quidem inter tēla et gladiōs patris ēlāpsum nihil usquam sibi tūtum nisi apud hostēs L. Tarquiniī crēdidisse; quod sī apud eōs supplicibus locus nōn sit, pererrātūrum sē omne Latium, Volscōsque sē inde et Aequōs et Hernicōs petītūrum, dōnec ad eōs perveniat quī ā patrum crūdēlibus atque impiīs suppliciīs prōtegere līberōs sciant, et forsitan parātī sint ad bellum gerendum adversus superbissimum rēgem ac ferōcissimum populum!'

Fīlius rēgis benignē ab Gabīnīs excipitur. Nōn mīrantur sī Tarquinius, quālis in cīvēs, quālis in sociōs, tālis ad ultimum in līberōs esset; 'sibi vērō grātum adventum eius esse' āiunt, 'nam illō adiuvante brevī futūrum ut ā portīs Gabīnīs sub Rōmāna moenia bellum trānsferātur!'

---

talentum: Graecōrum pondus statūtum māximum [*26 kg*]

lentius spē: lentius quam spērāverat
: postquam eam nēquīquam vī adortus est

bellum pōnere = bellum fīnīre
intentus +*dat*: intentus reī = intentus in rem
trāns-fugere = ad hostem fugere
saevitia -ae *f* < saevus
tolerāre = ferre, patī

īnsidiās: necem
nē quem = nē quemquam

usquam = ūllō locō
tūtum *esse*
quod sī = sī autem
per-errāre terram = errāre per terram
pererrātūrum *esse*
petītūrum *esse*

prō-tegere = tuērī

Gabīnus -a -um < Gabiī; *pl* cīvēs
mīrārī sī... = m. quod...

"*nōbīs* vērō grāt*us* advent*us tuus est*, nam *tē* adiuvante bellum trānsfer*ētur*"
futūrum *esse* ut bellum trānsferātur = bellum trānslātum īrī

54 Inde Sex. Tarquinius cōnsiliīs pūblicīs interesse coepit. Ibi, cum 'dē aliīs rēbus assentīre sē veteribus Gabīnīs' dīceret, identidem bellī auctor esse et in eō sibi praecipuam prūdentiam assūmere 'quod utrīusque populī vīrēs nōvisset scīretque invīsam profectō superbiam rēgiam cīvibus esse.' Ita cum sēnsim ad rebellandum prīmōrēs Gabīnōrum incitāret et ipse cum prōmptissimīs iuvenum praedātum īret, dictīs factīsque omnibus ad fallendum aptīs, ad ultimum dux bellī legitur! Ibi cum — īnsciā multitūdine quid agerētur — proelia parva inter Rōmam Gabiōsque fierent, quibus plērumque Gabīna rēs superior esset, tum ūniversī Gabīnī Sex. Tarquinium dīvīnitus sibi missum ducem crēdere. Apud mīlitēs vērō, cum pariter perīcula obīret ac labōrēs tolerāret praedamque benignē largīrētur, tantā cāritāte esse ut nōn pater Tarquinius potentior Rōmae quam fīlius Gabiīs esset.

Tum ex suīs ūnum Rōmam ad patrem mittit scīscitātum 'quidnam sē facere vellet?' Huic nūntiō — quia, crēdō, dubiae fideī vidēbātur — nihil vōce respōnsum est. Rēx velut dēlīberāns in hortum aedium trānsit, sequente nūntiō fīliī. Ibi inambulāns tacitus summa papāverum capita dīcitur baculō dēcussisse. Interrogandō exspectandōque respōnsum nūntius fessus, ut rē imperfectā, redit Gabiōs. Quae dīxerit ipse quaeque vīderit, Sextō refert: 'rēgem seu īrā seu odiō seu superbiā nūllam vōcem ēmīsisse!'

Sex. = Sextus (praenōmen)
as-sentīre (< ad-) eī = cōnsentīre cum eō
auctor esse (bellī) = suādēre (bellum)
prūdentia -ae *f* < prūdēns; sibi p.am as-sūmere (<ad-) = sē prūdentem esse affirmāre
re-bellāre = bellum renovāre
prōmptus -a -um = parātus, ācer
praedārī = praedam capere

ibi : in eō bellō
īnsciā multitūdine : dum multitūdō nescit

missum *esse*
crēd*ere* : crēd*ēbant*
ob-īre = ad-īre

tantā cāritāte esse = tam cārus esse
esse : erat

scīscitārī = interrogāre, quaerere
"quidnam *mē* facere *vīs*?"

dubiae fideī : haud fīdus, suspectus
dēlīberāre = cōgitāre, reputāre
in-ambulāre = hūc illūc ambulāre
dē-cutere -cussisse -ssum = percutiendō dēicere
im-perfectā

papāver -eris *n*



Sextus, ubi quid vellet parēns quidve tacitus praeciperet intellēxit, prīmōrēs cīvitātis interēmit! Multī palam, quīdam, quī in crīmen vocārī nōn poterant, clam interfectī. Patuit quibusdam fuga, aliī in exsilium āctī sunt, bonaque absentium pariter atque interēmptōrum populō dīvīsa sunt — dōnec Gabīna rēs rēgī Rōmānō sine ūllā dīmicātiōne in manum trāditur!

Gabiīs receptīs Tarquinius pācem cum Aequōrum gente fēcit, foedus cum Tūscīs renovāvit. Inde ad negōtia urbāna animum convertit; quōrum erat prīmum ut Iovis templum in monte Tarpēiō monumentum rēgnī suī nōminisque relinqueret.

Intentus perficiendō templō, fabrīs undique ex Etrūriā accītīs, nōn pecūniā sōlum ad id pūblicā est ūsus, sed operāriīs etiam ex plēbe. Quī labor cum mīlitiae adderētur, minus tamen plēbs indignābātur sē templa deōrum aedificāre manibus suīs, quam postquam ad alia opera speciē minōra, sed labōris aliquantō māiōris trādūcēbātur, velut ad forōs in circō faciendōs cloācamque Māximam sub terrā agendam.

Respōnsum ōrāculī

Dum rēx haec agit, portentum terribile vīsum: anguis ex columnā ligneā ēlāpsus, cum terrōrem fugamque in rēgiā fēcisset, ipsīus rēgis pectus ānxiīs implēvit cūrīs. Itaque Delphōs, ad māximē inclutum in terrīs ōrāculum, mittere statuit. Neque respōnsa sortium ūllī aliī

prae-cipere = faciendum esse dīcere, imperāre

in crīmen vocāre = accūsāre

interfectī *sunt*

fuga patuit : fugere licuit

Tūscī -ōrum *m* = Etrūscī


mōns Tarpēius = mōns Capitōlīnus

pecūniā pūblicā

operārius -ī *m* = vir quī manibus suīs opus facit

indignārī = indignum putāre

sors -rtis *f*



ōrāculum -ī *n* = locus ubi fātum dīvīnitus praedīcitur sortibus

portentum -ī *n* = prōdigium quō fātum portenditur

ānxius -a -um = trepidus, timidus

Delphī -ōrum *m*

lēgātōs mittere

sortēs : ōrāculum

committere ausus, duōs fīliōs per ignōtās eā tempestāte terrās, ignōtiōra maria, in Graeciam mīsit.

Titus et Arrūns profectī. Comes iīs additus L. Iūnius Brūtus, Tarquiniā, sorōre rēgis, nātus. Is cum frātrem suum ab avunculō interfectum audīvisset, nihil in animō suō rēgī timendum relinquere statuit. Ergō stultitiam simulāvit, neque 'Brūtī' cognōmen recūsāvit, ut sub eō cognōmine līberātor ille populī Rōmānī animus latēns opperīrētur tempora sua. Is tum ab Tarquiniīs Delphōs ductus est, lūdibrium vērius quam comes.

Quō postquam ventum est, perfectīs patris mandātīs, cupīdō incessit animōs iuvenum scīscitandī 'ad quem eōrum rēgnum Rōmānum esset ventūrum?' Ex īnfimō specū vōcem redditam ferunt: "Imperium summum Rōmae habēbit quī vestrum prīmus, ō iuvenēs, ōsculum mātrī tulerit." Tarquiniī, ut Sextus, quī Rōmae relictus fuerat, ignārus respōnsī expersque imperiī esset, rem summā ope tacērī iubent; ipsī sortī permittunt, uter prior, cum Rōmam rediisset, mātrī ōsculum daret. Brūtus, aliō ratus spectāre dīvīnam vōcem, velut sī prōlāpsus cecidisset, terram ōsculō tetigit — scīlicet quod ea commūnis 'māter' omnium mortālium esset!

Uxor castissima

Reditum inde Rōmam, ubi adversus Rutulōs bellum summā vī parābātur.

57 Ardeam Rutulī habēbant, gēns — ut in eā regiōne et

eā tempestāte = eō tempore
Titus, Arrūns, Sextus: rēgis fīliī
profectī *sunt*
additus *est*
interfectum *esse*
stultitia -ae *f* < stultus
brūtus -a -um = stultus
līberātor animus = animus quī līberat
tempora : occāsiōnem
lūdibrium -ī *n* = id quod ēlūditur
vērius : potius
cupīdō scīscitandī "ad quem *nostrum* rēgnum R. ventūrum *est*?"
specus -ūs *m* = spēlunca
redditam *esse* ferunt (: nārrant)
ōsculum ferre = ō. dare
relictus *erat*
ex-pers -rtis (+ *gen*) = cui pars (reī) nōn est, sine (rē)
rem tacēre = dē rē t.
permittere = committere
aliō *adv* = ad aliud; a. spectāre = aliud significāre
prō-lābī -lāpsum
castus -a -um = *pudīcus* -a -um: uxor casta/pudīca = quae marītum sōlum amat
reditum est (ab iīs) = rediērunt

in eā aetāte — dīvitiīs praepotēns; eaque ipsa causa bellī fuit, quod rēx Rōmānus cum ipse dītārī volēbat (exhaustō aerāriō magnificentiā pūblicōrum operum), tum praedā lēnīre populārium animōs studēbat, quī sē in servīlī opere tam diū habitōs ab rēge indignābantur.

Temptāta rēs est sī prīmō impetū capī Ardea posset; ubi id parum prōcessit, Rōmānī urbem obsidēre coepērunt, castrīs sub moenibus positīs. In hīs statīvīs rēgiī iuvenēs interdum convīviīs ōtium terēbant. Forte pōtantibus hīs apud Sex. Tarquinium, ubi et Tarquinius Collātīnus, Egeriī fīlius, cēnābat, incidit dē uxōribus mentiō. Suam quisque laudāre mīrīs modīs. Inde certāmine accēnsō, Collātīnus negat verbīs opus esse: 'paucīs id quidem hōrīs posse scīrī quantum cēterīs praestet Lucrētia sua!' "Quīn, sī vigor iuventae inest, cōnscendimus equōs invīsimusque praesentēs nostrārum ingenia?"

Incaluerant vīnō. "Age sānē!" omnēs. Citātīs equīs āvolant Rōmam. Quō cum prīmīs tenebrīs pervēnissent, rēgiās nurūs in convīviō luxūque cum aequālibus vīdērunt tempus terentēs. Pergunt inde Collātiam, ubi Lucrētiam nocte sērā dēditam lānae inter ancillās in mediō aedium sedentem inveniunt. Muliebris certāminis laus penes Lucrētiam fuit.

Adveniēns vir Tarquiniīque exceptī benignē. Victor marītus cōmiter invītat rēgiōs iuvenēs. Ibi Sex. Tarquinium mala libīdō Lucrētiae per vim stuprandae capit;

prae-potēns -entis = prae aliīs potēns, potentissimus
dītāre = dīvitem facere; *pass* dīves fierī
magnificentia -ae *f* < magnificus
lēnīre = mītigāre
habitōs *esse*
parum prōcessit : fierī nōn potuit
ob-sidēre -sēdisse -sessum = exercitū inclūsum tenēre
tempus terere = t. cōnsūmere
in-cidere = accidere, fierī
mentiō -ōnis *f*: m. fit/incidit dē aliquō = aliquis memorātur
laud*āre* : laud*at*
"nōn opus est verbīs"
prae-stāre -stitisse (+ *dat/acc*) = melior esse (quam)
iuventa -ae *f* = iuventūs
in-vīsere = īnspicere
in-calēscere -luisse = calidus fierī
inquiunt omnēs
ā-volāre
aequālis -is *m/f* = homō eiusdem aetātis
sērus -a -um = tardus
dēditus = intentus
lāna : opus lānae
penes *praep* = apud
exceptī *sunt*
libīdō -inis *f* (< libēre) = cupīdō
stuprāre = violāre, vī comprimere

cum fōrma tum spectāta castitās incitat. Et tum quidem ab nocturnō iuvenālī lūdō in castra redeunt.

fōrma = pulchritūdō
castitās -ātis *f* < castus
iuvenālis -e < iuvenis

Lucrētia violāta

58 Paucīs interiectīs diēbus Sex. Tarquinius, īnsciō Collātīnō, cum comite ūnō Collātiam vēnit. Ubi exceptus benignē ab ignārīs cōnsiliī, cum post cēnam in hospitāle cubiculum dēductus esset, amōre ārdēns, postquam satis tūta circā sōpītīque omnēs vidēbantur, strictō gladiō ad dormientem Lucrētiam vēnit, sinistrāque manū mulieris pectore oppressō, "Tacē, Lucrētia!" inquit, "Sextus Tarquinius sum. Ferrum in manū est. Moriēre, sī ēmīseris vōcem!"

paucīs inter-iectīs diēbus = paucīs diēbus post
hospitālis -e < hospes
satis tūta *omnia*
sōpītus = dormiēns
op-primere = premere
-*ēre* = -*ēris* (*pass 2 pers sing fut*)



Cum pavida ex somnō mulier nūllam opem, prope mortem imminentem vidēret, tum Tarquinius fatērī amōrem, ōrāre, miscēre precibus mināś, versāre in omnēs partēs muliebrem animum. Ubi obstinātam vidēbat et nē mortis quidem metū inclīnārī, addit ad metum dēdecus: 'cum mortuā iugulātum servum nūdum posi-

im-minēre = impendēre
: fat*ētur*, ōr*at*, misc*et*, vers*at*
obstinātus -a -um = fīrmus, cōnstāns
inclīnāre = vertere in aliam partem
dē-decus -oris *n* ↔ decus
iugulāre = trucīdāre
sē positūrum *esse*

adulterium -ī *n* = facinus coniugiī violandī
pudīcitia -ae *f* < pudīcus
cum libīdō (velut victrīx: nōn vērē v.) vīcisset...
victor *m*; victrīx -īcis *f*

eundem nūntium

fidēlis -e = fīdus

mātūrāre = properāre
factō/mātūrātō opus est = facere/mātūrāre opus est

Sp. Lucrētius *Tricipitīnus*
P. Valerius *Pūblicola*

aliquem convenīre = cum aliquō c.

ob-orīrī = orīrī
obortae *sunt*
satin' salvē? = satis-ne salvē *est tibi*?

dextera = dextra
eī impūne est = is nōn pūnītur
adulter -erī *m* = quī adulterium fēcit
pestifer -era -erum: mihi p.um = quod *pestem* (= mortem) mihi fert
abstulit : ēripuit
aeger animī = aeger animō, maesta
noxa -ae *f* = culpa
dēlictum -ī *n* = maleficium
peccāre = dēlinquere
inde culpam abesse

inquit *Lucrētia*
vīderitis : videātis (: reputētis)
peccātum -ī *n* = dēlictum
im-pudīcus -a -um ↔ pudīcus

tūrum' ait, 'ut in sordidō adulteriō necāta dīcātur!'

Quō terrōre cum vīcisset obstinātam pudīcitiam (velut 'victrīx') libīdō profectusque inde Tarquinius ferōx expugnātō decore muliebrī esset, Lucrētia maesta tantō malō nūntium Rōmam eundem ad patrem Ardeamque ad virum mittit, 'ut cum singulīs fidēlibus amīcīs veniant; ita factō mātūrātōque opus esse: rem atrōcem incidisse.'

Sp. Lucrētius cum P. Valeriō, Volesī fīliō, Collātīnus cum L. Iūniō Brūtō vēnit, cum quō forte Rōmam rediēns ab nūntiō uxōris erat conventus. Lucrētiam sedentem maestam in cubiculō inveniunt. Adventū suōrum lacrimae obortae, quaerentīque virō "Satin' salvē?" "Minimē!" inquit, "Quid enim salvī est mulierī āmissā pudīcitiā? Vestīgia virī aliēnī, Collātīne, in lectō sunt tuō. Cēterum corpus est tantum violātum, animus īnsōns — mors testis erit. Sed date dexterās fidemque haud impūne adulterō fore! Sextus est Tarquinius quī hostis prō hospite priōre nocte vī armātus mihi (sibique, sī vōs virī estis!) pestiferum hinc abstulit gaudium."

Dant ōrdine omnēs fidem. Cōnsōlantur aegram animī āvertendō noxam ab coāctā in auctōrem dēlictī: 'mentem peccāre, nōn corpus, et unde cōnsilium āfuerit, culpam abesse.'

"Vōs" inquit "vīderitis quid illī dēbeātur! Ego mē etsī peccātō absolvō, suppliciō nōn līberō. Nec ūlla deinde impudīca Lucrētiae exemplō vīvet!"

Cultrum, quem sub veste abditum habēbat, eum in corde dēfīgit, prōlāpsaque in vulnus moribunda cecidit.

Rēgēs exāctī

59 Conclāmat vir paterque. Brūtus, illīs lūctū occupātīs, cultrum ex vulnere Lucrētiae extractum mānantem cruōre prae sē tenēns "Per hunc" inquit "castissimum ante rēgiam iniūriam sanguinem iūrō, vōsque, dī, testēs faciō, 'mē Lūcium Tarquinium Superbum cum scelerātā coniuge et omnī līberōrum stirpe ferrō, ignī, quācumque vī possim, exsecūtūrum, nec illōs nec alium quemquam rēgnāre Rōmae passūrum!'"

Cultrum deinde Collātīnō trādit, inde Lucrētiō ac Valeriō, stupentibus mīrāculō reī, unde novum in Brūtī pectore ingenium. Ut praeceptum erat, iūrant; tōtīque ab lūctū versī in īram, Brūtum iam inde ad expugnandum rēgnum vocantem sequuntur ducem.

Ēlātum domō Lucrētiae corpus in forum dēferunt, concientque mīrāculō (ut fit) reī novae atque indignitāte hominēs. Prō sē quisque scelus rēgium ac vim queruntur. Movet cum patris maestitia, tum Brūtus castīgātor lacrimārum atque inertium querēllārum auctorque ('quod virōs, quod Rōmānōs decēret!') arma capiendī 'adversus hostīlia ausōs!'

Ferōcissimus quisque iuvenum cum armīs voluntārius adest; sequitur et cētera iuventūs. Inde praesidiō relictō Collātiae, nē quis eum mōtum rēgibus nūntiāret,

ex-igere -ēgisse -āctum (< -agere) = expellere
lūctū occupātus : lūgēns

ex-trahere
mānāre = fluere; culter cruōre mānat = dē cultrō cruor mānat
iūrāre = dīs testibus affirmāre

ignī *abl* = igne

ex-sequī = persequī

mīrāculō reī : rē mīrābilī
unde *esset*
pectore : mente

inde : ab eō tempore
Brūtum vocantem

con-ciēre -cīvisse -citum = concitāre
ut fit = ut fierī solet

movet *eōs*
castīgātor -ōris *m* < *castīgāre* = reprehendere
: castīgāns lacrimās...
in-ers -rtis = sēgnis
auctor arma capiendī : suādēns ut a. capiant
hostīlia ausōs: eōs quī h. (agere) ausī sunt
voluntārius -a -um ↔ coāctus

profectī *sunt*

quā-cumque = ubi-cumque

simul *atque*
tribūnus -ī *m*: t. Celerum equitibus praeerat
magistrātus -ūs *m* = officium pūblicum

habita *est*
pectus : mēns
simulātum *erat* (ab eō)

stuprum -ī *n* = scelus fēminae stuprandae
orbitās -ātis *f* < orbus
morte indignior = indignior quam mors
addita *est*
miseria -ae *f* < miser

opifex -icis *m* = operārius
bellātor -ōris *m* (< bellāre) = mīles
indigna caedēs memorāta *est*
fīlia invecta corporī (= in corpus) patris
invocātī *sunt*
ultor parentum = quī parentēs ulcīscitur

ab-rogāre = iussū populī adimere

ultrō *adv* = suā sponte

ad concitandum ... exercitum

praefectus -ī *m* = is quī praefectus est
(aliquem) īnstituere = creāre, legere

cēterī armātī duce Brūtō Rōmam profectī.

Ubi eō ventum est, quācumque incēdit armāta multitūdō, pavōrem ac tumultum facit. Nec minōrem mōtum animōrum Rōmae tam atrōx rēs facit quam Collātiae fēcerat. Ergō ex omnibus locīs urbis in forum curritur. Quō simul ventum est, praecō 'ad tribūnum Celerum' (in quō tum magistrātū forte Brūtus erat) populum advocāvit.

Ibi ōrātiō habita nēquāquam eius pectoris ingeniīque quod simulātum ad eam diem fuerat, dē vī ac libīdine Sex. Tarquiniī, de stuprō īnfandō Lucrētiae et miserābilī caede, dē orbitate Tricipitīnī 'cui morte fīliae causa mortis indignior ac miserābilior esset!' Addita superbia ipsīus rēgis miseriaeque et labōrēs plēbis in fossās cloācāsque exhauriendās dēmersae: 'Rōmānōs hominēs, victōrēs omnium circā populōrum, opificēs prō bellātōribus factōs!' Indigna Serviī Tulliī rēgis memorāta caedēs et invecta corporī patris nefandō vehiculō fīlia, invocātīque ultōrēs parentum dī.

Hīs atrōciōribusque (crēdō) aliīs memorātīs, incēnsam multitūdinem perpulit ut imperium rēgī abrogāret exsulēsque esse iubēret L. Tarquinium cum coniuge ac līberīs. Ipse iūniōribus quī ultrō nōmina dabant lēctīs armātīsque, ad concitandum inde adversus rēgem exercitum Ardeam in castra est profectus. Imperium in urbe Lucrētiō (praefectō urbis iam ante ab rēge īnstitūtō) relinquit. Inter hunc tumultum Tullia domō profūgit,

exsecrantibus quācumque incēdēbat invocantibusque parentum Furiās virīs mulieribusque.

60 Hārum rērum nūntiīs in castra perlātīs, cum rē novā trepidus rēx pergeret Rōmam ad comprimendōs mōtūs, flexit viam Brūtus — sēnserat enim adventum — nē obvius fieret. Eōdemque ferē tempore, dīversīs itineribus, Brūtus Ardeam, Tarquinius Rōmam vēnērunt. Tarquiniō clausae portae exsiliumque indictum; līberātōrem urbis laeta castra accēpēre, exāctīque inde līberī rēgis. Duo patrem secūtī sunt, quī exsulātum Caere in Etrūscōs iērunt. Sex. Tarquinius Gabiōs tamquam in suum rēgnum profectus ab ultōribus veterum simultātum, quās sibi ipse caedibus rapīnīsque concīverat, est interfectus.

L. Tarquinius Superbus rēgnāvit annōs quīnque et vīgintī. Rēgnātum Rōmae ab conditā urbe ad līberātam annōs ducentōs quadrāgintā quattuor. Duo cōnsulēs inde comitiīs centuriātīs creātī sunt, L. Iūnius Brūtus et L. Tarquinius Collātīnus.

ex-secrārī (eam) = poenās deōrum optāre (eī)
: dum virī mulierēsque exsecrantur eam invocantque parentum Furiās (: ultrīcēs parentum F.)

com-primere = opprimere, sēdāre

clausae *sunt*
indictum *est*
exāctī *sunt*


simultās -ātis *f* ↔ amīcitia

annōs XXV: 534–509 a. C.

rēgnātum *est*

annōs CCXLIV: 753–509 a. C.

comitia centuriāta = comitia quibus populus suffrāgiō per centuriās cōnsulēs creat



HOSTIS PRO HOSPITE

[*Ovidius: Fāstī. Ex librō II versūs 785–852*]

Accipit aerātā iuvenem Collātia portā,
  condere iam vultūs sōle parante suōs.
Hostis ut hospes init penetrālia Collātīnī,
  cōmiter excipitur: sanguine iūnctus erat.
Quantum animīs errōris inest! Parat īnscia rērum
  īnfēlīx epulās hostibus illa suīs.
Fūnctus erat dapibus; poscunt sua tempora somnum.
  Nox erat, et tōtā lūmina nūlla domō.
Surgit, et aurātā vāgīnā līberat ēnsem,
  et venit in thalamōs, nūpta pudīca, tuōs.
Utque torum pressit, "Ferrum, Lucrētia, mēcum est"
  nātus ait rēgis, "Tarquiniusque vocor."
Illa nihil, neque enim vōcem vīrēsque loquendī
  aut aliquid tōtō pectore mentis habet,
sed tremit, ut quondam stabulīs dēprēnsa relictīs
  parva sub īnfēstō cum iacet agna lupō.
Quid faciat? Pugnet? — Vincētur fēmina pugnāns.
  Clāmet? — At in dextrā, quī vetat, ēnsis erat.
Effugiat? — Positīs urgentur pectora palmīs,
  tunc prīmum externā pectora tācta manū.
Īnstat amāns hostis precibus pretiōque minīsque,
  nec prece nec pretiō nec movet ille minīs.
"Nīl agis: ēripiam" dīxit "per crīmina vītam:
  falsus adulteriī testis adulter erō:
Interimam famulum, cum quō dēprēnsa ferēris!"

aerātus -a -um = aere opertus; ae.ā portā
iuvenem: Sextum T.
condere = abdere
vultūs : vult*um*
penetrālia -ium *n* = domus interior
sanguine iūnctus = cognātus
error : falsa sententia
epulae -ārum *f* = cēna
fungī = dēfungī
sua : somnī
in tōtā domō
vagīnā līberat : ēdūcit, stringit
thalamōs : thalam*um*
nūpta = uxor
nātus = fīlius
nihil *dīcit*
aliquid mentis *in* tōtō pectore
dē-prēndere/-prehendere -disse -ēnsum = prehendere
cum parva agna iacet
ēnsis quī vetat
urgēre = premere
palma -ae *f* = manus
tācta externā (: aliēnā) manū
pretiō : prōmissīs
prece = precibus
ēripiam *tibi* vītam
dēprēnsa *esse* ferēris (= dīcēris)

Succubuit fāmae victa puella metū.
Quid 'victor' gaudēs? Haec tē 'victōria' perdet!
Heu, quantō rēgnīs nox stetit ūna tuīs!
Iamque erat orta diēs. Passīs sedet illa capillīs,
ut solet ad nātī māter itūra rogum;
grandaevumque patrem fīdō cum coniuge castrīs
ēvocat, et positā vēnit uterque morā.
Utque vident habitum, 'quae lūctūs causa?' requīrunt,
'cui paret exsequiās, quōve sit icta malō?'
Illa diū reticet pudibundaque cēlat amictū
ōra, fluunt lacrimae mōre perennis aquae.
Hinc pater, hinc coniūnx lacrimās sōlantur et ōrant
'indicet', et caecō flentque paventque metū.
Ter cōnāta loquī, ter dēstitit, ausaque quārtō
nōn oculōs ad eōs sustulit illa suōs.
"Hoc quoque Tarquiniō dēbēbimus? Ēloquar" inquit,
"ēloquar, īnfēlīx, dēdecus ipsa meum?"
Quaeque potest, nārrat; restābant ultima: flēvit,
et mātrōnālēs ērubuēre genae.
Dant veniam factō genitor coniūnxque coāctō.
"Quam" dīxit "veniam vōs datis, ipsa negō!"
Nec mora: cēlātō fīgit sua pectora cultrō,
et cadit in patriōs sanguinulenta pedēs.
(Tunc quoque iam moriēns, nē nōn prōcumbat honestē
respicit — haec etiam cūra cadentis erat.)
Ecce super corpus, commūnia damna gementēs,
oblītī decoris virque paterque iacent.

victa metū *malae* fāmae
quantō *pretiō*
rēgnīs : rēgnō *(dat)*
stāre = cōnstāre (pretiō)
rogus : fūnus
grandaevus -a -um = senex
ē castrīs
positā morā = sine morā
habitum *lūgentis*
exsequiae -ārum *f* = fūnus
re-ticēre = tacēre
pudibundus -a -um = pudōre affectus
mōre aquae : ut aqua
perennis -e = semper fluēns
lacrimās: lacrimantem
ut indicet (*factum*)
pavēre = pavidus esse
quārtō *adv*
oculōs suōs
ē-loquī
mātrōnālis -e < mātrōna
ē-rubēscere -rubuisse
factō coāctō (: quia ad factum coācta esset)
mihi negō
nec mora = ac sine morā
fīgere = trānsfīgere
pectora : pect*us*
nē nōn = ut
honestus -a -um < honōs
damnum -ī *n* = rēs āmissa, iactūra

nōmina fallit: nōmen falsum esse dēmōnstrat
sēmi-animis -e = nec vīvus nec mortuus
tē*lum* fīx*um in* s. c.
stīllāre = mānāre paulātim
generōsus -a -um = nōbilis nātū
im-pavidus -a -um
"per hunc...cruōrem ego tibi iūrō..."

cum profugā stirpe poenās datūrum *esse*
satis diū dissimulāta est

vīsa *est*
con-cutere -cussisse -cussum = quatere
mātrōna animī virīlis = cui animus virīlis est

inānis -e = vacuus
patet: appāret, ostenditur

prōlēs -is *f* = stirps
annuus -a -um = quī annum manet
annua iūra: annuum imperium

Brūtus adest, tandemque animō sua nōmina fallit,
fīxaque sēmianimī corpore tēla rapit,
stīllantemque tenēns generōsō sanguine cultrum
ēdidit impavidōs ōre minante sonōs:
"Per tibi ego hunc iūrō fortem castumque cruōrem
perque tuōs Mānēs, quī mihi nūmen erunt:
Tarquinium profugā poenās cum stirpe datūrum!
Iam satis est virtūs dissimulāta diū."
Illa iacēns ad verba oculōs sine lūmine mōvit
vīsaque concussā dicta probāre comā.
Fertur in exsequiās animī mātrōna virīlis
et sēcum lacrimās invidiamque trahit.
Vulnus ināne patet. Brūtus clāmōre Quirītēs
concitat, et rēgis facta nefanda refert.
Tarquinius cum prōle fugit. Capit annua cōnsul
iūra. Diēs rēgnīs illa suprēma fuit.



culter
sanguine
stīllat

PENSVM A

Dē prōnōminibus

Qu– fuit rēx ill– ferōx qu– Rōmā exāctus est? Tarquinius fuit, qu– Rōmānī 'Superbum' appellāvērunt. Is enim e– cīvēs qu– timēbat aut qu– dīvitiās cupiēbat necāvit. Ill– tempore nēm– Rōmae tūtus erat. Cum Lucrētia, uxor c–dam Collātīnī, ā fīliō ill– rēgis stuprāta esset, Brūtus, c– frāter ab e–dem rēge necātus erat, h– modō iūrāvit: "Per h– sanguinem iūrō: m– qu–cumque vī possim L. Tarquinium exsecūtūrum nec ill– nec ali– qu–quam rēgnāre Rōmae passūrum!" Tum rēgem ips– et līberōs e– exēgit.

Ōrāculum ill– Delphicum c– ips– deus Apollō praeest clārius est quam ūll– ali– ōrāculum neque rēx Tarquinius ūll– ali– ōrāculō crēdēbat.

Sextus qu–dam nūntium ad rēgem mīsit, nec vērō rēx h– nūntiō cōnfīdēbat. Sextus ab e– quaesīvit: "Qu– rēx t– respondit cum t– recēpisset?" Nūntius: "In hortum exiit m– sequente nec qu–quam m– respondit." Nūntius dīxit 'rēgem n– s– respondisse.'

Rōmulō mortuō patrēs inter s– certābant qu– e– Rōmae rēgnāret. Omnibus placēbat aliqu– caput cīvitātis esse, nec vērō qu–quam alter– concēdere volēbat. E– tempore Numa Curibus habitābat; e– populus Rōmānus rēgem creāvit, ac patrēs, cum nēmin– ill– virō praeferre audērent, e– rēgnum trādidērunt. Tum augur h– verba locūtus est: "Iuppiter pater, sī est fās h– Numam Pompilium, c– e– caput teneō, rēgem Rōmae esse, uti t– signa n– certa dēclārēs inter e– fīnēs qu– fēcī!"

PENSVM B

Tarquinius Superbus prīmōrēs suspectōs et — [↔ dīlēctōs] occīdit aut in — ēgit; ita senātōrum numerō — [= minūtō], senātus — potestātis [= sine potestāte] erat, et rēx ipse per sē rem pūblicam —.

Cum Turnus — in rēgem Rōmānum iactāvisset, rēx allātō

Vocābula nova:
exsilium
paucitās
auctōritās
minae
cāritās
invidia
crātis
manipulus
saevitia
prūdentia
papāver
operārius
ōrāculum
portentum
sors
stultitia
lūdibrium
magnificentia
mentiō
iuventa
aequālis
libīdō
castitās
dēdecus
adulterium
pudīcitia
victrīx
adulter
noxa
dēlictum
peccātum
castīgātor
tribūnus
magistrātus
stuprum
orbitās
miseria
opifex
bellātor
praefectus
simultās
penetrālia
epulae
nūpta
palma
exsequiae
damnum
prōlēs
invīsus
contēmptus
īnsolēns
īnsōns

manifēstus
prōmptus
imperfectus
ānxius
brūtus
expers
castus
praepotēns
sērus
iuvenālis
obstinātus
fidēlis
pestifer
impudīcus
iners
voluntārius
centuriātus
aerātus
grandaevus
pudibundus
perennis
mātrōnālis
honestus
sēmianimis
generōsus
impavidus
pudīcus
inānis
dictitāre
imminuere
administrāre
māchinārī
convehere
prōtrahere
collaudāre
aequāre
trānsfugere
tolerāre
pererrāre
prōtegere
assentīre
assūmere
rebellāre
praedārī
obīre
scīscitārī
dēlīberāre
inambulāre
dēcutere
praecipere
indignārī
prōlābī
dītāre

falsō crīmine virum — [= sine culpā] oppressit: gladiōs multōs ad eum — [= cōnferrī] iussit, quibus inventīs — [↔ dubia] rēs vīsa est.

Rēx praedam largiendō animōs cīvium — [= mītigāre] studēbat, quī sē — [= operāriōs] prō — [< bellāre] factōs esse — [= indignum putābant]; sed cum Ardeam vī capere nōn posset, urbem — coepit. Ibi cum dē uxōribus — facta esset, Collātīnus dīxit 'Lucrētiam suam — [= castissimam] esse'; iuvenēs Rōmam properāvērunt, ubi uxōrēs suās in — [= cēnā] et luxū tempus — invēnērunt; Lucrētia vērō nocte — inter ancillās labōrābat. Postquam Sextus Tarquinius Lucrētiam — [= violāvit], Brūtus per sanguinem Lucrētiae — 'sē rēgem cum coniuge et — [= stirpe] Rōmā — esse.' Ōrātiōne habitā dē vī ac — [= cupīdine] Sex. Tarquiniī, dē — Lucrētiae nefandō, dē — [< saevus] rēgis nōn — [= ferendā] ac dē plēbis — [< miser], Brūtus haud — [↔ facile] Rōmānīs persuāsit ut imperium rēgī —.

Hostis — [= audāx et superbus] semper — [= parātus] est ad — [= bellum renovandum]. Cohors cōnstat ex III —. — est locus ubi fātum dīvīnitus praedīcitur —. Vir — [< honor] nōn — [= dēlinquit].

Synōnyma: potentia et —; iuventūs et —; pudīcitia et —; culpa et —; peccātum et —; fūnus et —; iactūra et —; fīdus et —; vacuus et —; tuērī et —; interrogāre et —; cōgitāre et —; trucīdāre et —; properāre et —; fluere et —; premere et —; cōnsentīre cum aliquō et — alicui; in eundem locum et —; profectō et —; ūllō locō et —; apud et —; suā sponte et —.

Contrāria: stultitia et —; decus et —; amīcitia et —; coāctus et —; pudīcus et —.

PENSVM C

Cūr ultimus rēx 'Superbus' appellābātur?
Quid Tarquinius Latīnīs indīxit?
Num Latīnī rēgem patienter exspectābant?
Quōmodo Tarquinius Turnum suspectum fēcit?

Quārē Sextus Tarquinius Gabiōs trānsfūgit?
Quid Tarquinius nūntiō fīliī respondit?
Quōmodo Gabiī rēgī Rōmānō trāditī sunt?
Quod portentum in rēgiā vīsum est?
Quōs Tarquinius Delphōs ad ōrāculum mīsit?
Quārē Brūtus stultitiam simulābat?
Cūr Brūtus terram ōsculātus est?
Quam ob rem Tarquinius Ardeam oppugnāvit?
Aerāriumne plēnum erat pecūniae?
Quōmodo iuvenēs rēgiī in castrīs tempus terēbant?
Quō iuvenēs rēgiī ex castrīs profectī sunt?
Quōmodo uxōrēs eōrum tempus terēbant?
Quae fuit uxor castissima?
Cūr Lucrētia sē ipsa interfēcit?
Quid Brūtus per sanguinem Lucrētiae iūrāvit?
Quī prīmī cōnsulēs fuērunt?

lēnīre
obsidēre
terere
incidere
invīsere
incalēscere
āvolāre
stuprāre
inclīnāre
iugulāre
mātūrāre
oborīrī
peccāre
exigere
extrahere
mānāre
iūrāre
conciēre
abrogāre
exsecrārī
urgēre
reticēre
pavēre
ēloquī
stīllāre
eōdem
enimvērō
difficulter
usquam
aliō
penes
quācumque
ultrō



Dictātor ab arātrō arcessitur

POST REGES EXACTOS

[*Ex Eutropiī Breviāriō ab urbe conditā I.9–III.6*]

Eutropius vīxit saeculō IV p. C.
breviārium -ī *n* = liber brevis

Cōnsulēs et dictātōrēs *I*

hinc : ab hōc annō (245 a. u. c. = *ducentēsimō quadrāgēsimō quīntō ab urbe conditā*)
placuit ut/nē = dēcrētum est ut/nē
diūturnitās -ātis *f* < diūturnus
reddere = facere
cīvīlis = quī cīvibus placet
prīvātus : sine magistrātū

Hinc cōnsulēs coepēre, prō ūnō rēge duo, hāc causā 9 creātī ut, sī ūnus malus esse voluisset, alter eum habēns potestātem similem coercēret. Et placuit nē imperium longius quam annuum habērent, nē per diūturnitātem potestātis īnsolentiōrēs redderentur, sed cīvīlēs semper essent, quī sē post annum scīrent futūrōs esse prīvātōs.

ēgerat ut : effēcerat ut
tollere : adimere
dignitās = magistrātus
patrimōnium -ī *n* = bona patris familiae

Fuērunt igitur annō prīmō ab expulsīs rēgibus cōnsulēs L. Iūnius Brūtus, quī māximē ēgerat ut Tarquinius pellerētur, et Tarquinius Collātīnus, marītus Lucrētiae. Sed Tarquiniō Collātīnō statim sublāta est dignitās; placuerat enim 'nē quisquam in urbe manēret quī Tarquinius vocārētur.' Ergō acceptō omnī patrimōniō suō ex urbe migrāvit, et locō ipsīus factus est P. Valerius Pūblicola cōnsul.

Commōvit tamen bellum urbī Rōmae rēx Tarquinius, quī fuerat expulsus, et collēctīs multīs gentibus, ut
10 in rēgnum posset restituī, dīmicāvit. In prīmā pugnā Brūtus cōnsul et Arrūns, Tarquiniī fīlius, invicem sē occīdērunt, Rōmānī tamen ex eā pugnā victōrēs recessērunt. Brūtum mātrōnae Rōmānae, dēfēnsōrem pudīcitiae suae, quasi commūnem patrem per annum lūxērunt.

bellum commovēre = b. movēre (= īnferre)
expulsus *erat*
re-stituere = rūrsus īnstituere
in-vicem = alter alterum (Brūtus Arruntem et Arrūns Brūtum occīdit)
lūgēre lūxisse

Valerius Pūblicola Sp. Lucrētium Tricipitīnum collēgam sibi fēcit, Lucrētiae patrem; quō morbō mortuō iterum M. Horātium Pulvillum collēgam sibi sūmpsit. Ita prīmus annus quīnque cōnsulēs habuit, cum Tarquinius Collātīnus propter nōmen urbe cessisset, Brūtus in proeliō periisset, Sp. Lucrētius morbō mortuus esset.

collēga -ae *m*: cōnsul alterīus cōnsulis collēga est
quō morbō mortuō = postquam is morbō mortuus est
urbe: ex urbe cēdere cessisse

11 Secundō quoque annō iterum Tarquinius, ut reciperētur in rēgnum, bellum Rōmānīs intulit, auxilium eī ferente Porsennā, Tūsciae rēge, et Rōmam paene cēpit. Vērum tum quoque victus est.

Tūscia -ae *f* = Etrūria

Tertiō annō post rēgēs exāctōs Tarquinius, cum suscipī nōn posset in rēgnum neque eī Porsenna, quī pācem cum Rōmānīs fēcerat, praestāret auxilium, Tūsculum sē contulit, quae cīvitās nōn longē ab urbe est, atque ibi per quattuordecim annōs prīvātus cum uxōre cōnsenuit.

sus-cipere = recipere
praestāre = praebēre, dare
cōn-senēscere -nuisse = senēscere

12 Nōnō annō post rēgēs exāctōs, cum gener Tarquiniī ad iniūriam socerī vindicandam ingentem collēgisset

vindicāre = ulcīscī

dictātūra -ae *f* = dignitās dictātōris
cōnsulātus -ūs *m* = dignitās cōnsulis
magister equitum est ā dictātōre secundus
ob-sequī = pārēre

mīliārium



tamquam = tamquam sī

premere = opprimere
tribūnī plēbis dēnī quotannīs creantur quī annuam potestātem habent

re-parāre

Coriolī -ōrum *m*

perdere = āmittere

octāvus decimus = duodē-vīcēsimus
Cn. Mārcius *Coriolānus*

con-tendere -disse = properāre

mīliārium -ī *n*: mīliāria sunt lapidēs iūxtā viās positī M passibus interiectīs
repudiāre = recūsāre, dīmittere

dēprecātiō -ōnis *f* < *dēprecārī* = precārī (nē quid fīat)

[annō 479 a. C.]
K. = Kaesō/Caesō -ōnis (praenōmen)
(Fabia) familia = gēns

exercitum, nova Rōmae dignitās est creāta, quae dictātūra appellātur, māior quam cōnsulātus. Eōdem annō etiam magister equitum factus est, quī dictātōrī obsequerētur. Dictātor autem Rōmae prīmus fuit T. Lārcius, magister equitum prīmus Sp. Cassius.

13 Sextō decimō annō post rēgēs exāctōs sēditiōnem populus Rōmae fēcit, tamquam ā senātū atque cōnsulibus premerētur. Tum et ipse sibi tribūnōs plēbis, quasi propriōs iūdicēs et dēfēnsōrēs, creāvit, per quōs contrā senātum et cōnsulēs tūtus esse posset.

14 Sequentī annō Volscī contrā Rōmānōs bellum reparāvērunt, et victī aciē etiam Coriolōs, cīvitātem quam habēbant optimam, perdidērunt.

15 Octāvō decimō annō postquam rēgēs ēiectī erant expulsus ex urbe Cn. Mārcius, dux Rōmānus, quī Coriolōs cēperat, Volscōrum cīvitātem, ad ipsōs Volscōs contendit īrātus et auxilia contrā Rōmānōs accēpit. Rōmānōs saepe vīcit, ūsque ad quīntum mīliārium urbis accessit, oppugnātūrus etiam patriam suam (lēgātīs quī pācem petēbant repudiātīs), nisi ad eum māter Veturia et uxor Volumnia ex urbe vēnissent, quārum flētū et dēprecātiōne superātus remōvit exercitum. Atque hic secundus post Tarquinium fuit quī dux contrā patriam suam esset.

16 K. Fabiō et T. Vergīniō cōnsulibus, trecentī nōbilēs hominēs, quī ex Fabiā familiā erant, contrā Vēientēs bellum sōlī suscēpērunt, prōmittentēs senātuī et populō

'per sē omne certāmen implendum.' Itaque profectī, omnēs nōbilēs et quī singulī magnōrum exercituum ducēs esse dēbērent, in proeliō concidērunt. Ūnus omnīnō superfuit ex tantā familiā, quī propter aetātem puerīlem dūcī nōn potuerat ad pugnam.

Post haec cēnsus in urbe habitus est, et inventa sunt cīvium capita centum septendecim mīlia trecenta ūndēvīgintī.


17 Sequentī annō, cum in Algidō monte ab urbe duodecimō fermē mīliāriō Rōmānus obsidērētur exercitus, L. Quīnctius Cincinnātus dictātor est factus, quī agrum quattuor iūgerum possidēns manibus suīs colēbat. Is cum in opere et arāns esset inventus, sūdōre dētersō togam praetextam accēpit, et caesīs hostibus līberāvit exercitum.

18 Annō trecentēsimō et alterō ab urbe conditā imperium cōnsulāre cessāvit et prō duōbus cōnsulibus decem factī sunt quī summam potestātem habērent, 'decemvirī' nōminātī. Sed cum prīmō annō bene ēgissent, secundō ūnus ex iīs, Ap. Claudius, Vergīniī cuiusdam (quī honestīs iam stipendiīs contrā Latīnōs in monte Algidō mīlitāverat) fīliam virginem corrumpere voluit; quam pater occīdit, nē stuprum ā decemvirō sustinēret, et regressus ad mīlitēs mōvit tumultum. Sublāta est decemvirīs potestās, ipsīque damnātī sunt.


19 Annō trecentēsimō et quīntō decimō ab urbe conditā Fīdēnātēs contrā Rōmānōs rebellāvērunt. Auxilium hīs

implendum *esse* : implētum īrī (: perāctum īrī)

proeliō: ad fluvium *Cremeram*
omnīnō : ex omnibus



cīvium capita : cīvēs 117 319



sūdor -ōris *m*

iūgerum -ī *n*, *pl gen* -um: ager pedēs CCXL longus, CXX lātus [*2523* m^2]
dē-tergēre -sisse -sum
(toga) praetexta: toga purpurā ōrnāta quam cōnsulēs et dictātōrēs gerunt
trecentēsimus -a -um = CCC (300.)
cōnsulāris -e < cōnsul

X-virī *lēgibus scrībendīs* (= ad lēgēs scrībendās) *XII tabulās* lēgum scrīpsērunt
Ap. = Appius (praenōmen)
stipendium = mīlitia annua
corrumpere : violāre

sustinēre : patī
re-gredī -gressum = redīre (↔ prōgredī)
damnāre = condemnāre

praestābant Vēientēs et rēx Vēientium Tolumnius. Quae ambae cīvitātēs tam vīcīnae urbī sunt ut Fidēnae sextō, Vēiī octāvō decimō mīliāriō absint. Coniūnxērunt sē hīs et Volscī. Sed Māmercō Aemiliō dictātōre et L. Quīnctiō Cincinnātō magistrō equitum victī etiam rēgem perdidērunt. Fidēnae captae et excīsae.

Post vīgintī deinde annōs Vēientēs rebellāvērunt. *20*
Dictātor contrā ipsōs missus est Fūrius Camillus, quī prīmum eōs vīcit aciē, mox etiam cīvitātem diū obsidēns cēpit, antīquissimam Italiae atque dītissimam. Post eam cēpit et Faleriōs, nōn minus nōbilem cīvitātem. Sed commōta est eī invidia, quasi praedam male dīvīsisset, damnātusque ob eam causam et expulsus cīvitāte.

Statim Gallī Senonēs ad urbem vēnērunt et victōs Rōmānōs ūndecimō mīliāriō ā Rōmā apud flūmen Alliam secūtī etiam urbem occupāvērunt! Neque dēfendī quicquam nisi Capitōlium potuit; quod cum diū obsēdissent et iam Rōmānī fame labōrārent, acceptō aurō, nē Capitōlium obsidērent, recessērunt. Sed ā Camillō, quī in vīcīnā cīvitāte exsulābat, Gallīs superventum est gravissimēque victī sunt. Posteā tamen etiam secūtus eōs Camillus ita cecīdit ut et aurum quod iīs datum fuerat et omnia quae cēperant mīlitāria signa revocāret. Ita tertiō triumphāns urbem ingressus est et appellātus 'secundus Rōmulus', quasi et ipse patriae conditor.

ambō -ae -ō (*m f n*)

A. Cornēlius Cossus occīsō Tolumniō rēge opīma spolia II rettulit
ex-cīdere -disse -sum = dēlēre

ipsōs : eōs

dītissimus = dīvitissimus

Faleriī -ōrum *m*

quasi = velut sī

ex cīvitāte

Senonēs -um *m*: Gallī quī in Italiam migrāverant

[annō 390 a. C.] Capitōlium dēfendit *M. Mānlius* (posteā rēgnum affectāvisse damnātus)
labōrāre = patī, premī

super-venīre (+ *dat*) = subitō adorīrī (Camillus Gallīs supervēnit)

datum *erat*
revocāret : reciperāret
tertiō *adv* = tertium

secundus : alter

II *Post urbem captam*

1 Annō trecentēsimō sexāgēsimō quīntō ab urbe conditā, post captam autem prīmō, dignitātēs mūtātae sunt et prō duōbus cōnsulibus factī 'tribūnī mīlitārēs cōnsulārī potestāte.' Hinc iam coepit Rōmāna rēs crēscere. Nam Camillus eō annō Volscōrum cīvitātem, quae per septuāgintā annōs bellum gesserat, vīcit, et Aequōrum urbem et Sūtrīnōrum, atque omnēs — dēlētīs eārundem exercitibus — occupāvit, et trēs simul triumphōs ēgit.

2 T. etiam Quīnctius Cincinnātus Praenestīnōs, quī ūsque ad urbis Rōmae portās cum bellō vēnerant, persecūtus ad flūmen Alliam vīcit, octō cīvitātēs, quae sub ipsīs agēbant, Rōmānīs adiūnxit, ipsum Praeneste aggressus in dēditiōnem accēpit. Quae omnia ab eō gesta sunt vīgintī diēbus, triumphusque ipsī dēcrētus.

3 Vērum dignitās tribūnōrum mīlitārium nōn diū persevērāvit. Nam post aliquantum nūllōs placuit fierī, et quadriennium in urbe ita flūxit ut potestātēs ibi māiōrēs nōn essent. Praesūmpsērunt tamen tribūnī mīlitārēs cōnsulārī potestāte iterum dignitātem, et triennium persevērāvērunt. Rūrsus cōnsulēs factī.

4 L. Genūciō et Q. Servīliō cōnsulibus mortuus est Camillus. Honor eī post Rōmulum secundus dēlātus est.

5 T. Quīnctius dictātor adversus Gallōs, quī ad Italiam vēnerant, missus est. Hī ab urbe quārtō mīliāriō trāns Aniēnem fluvium cōnsēderant. Ibi nōbilissimus dē senātōribus iuvenis T. Mānlius prōvocantem Gallum ad

---

sexāgēsimus -a -um = LX (60.)
post *urbem* captam

Sūtrīnī -ōrum *m* < Sūtrium -ī *n*, cīvitās Etrūriae

Praenestīnī -ōrum *m* < Praeneste -is *n*, cīvitās Latiī

sub ipsīs (: iīs) agēbant : sub eōrum imperiō erant

ipsī : eī (Cincinnātō)

per-sevērāre = fīrmē stāre, cōnstāns manēre (↔ cessāre)
quadriennium -ī *n* = quattuor annī
fluere flūxisse; flūxit : *rēs* flūxit ↔ cōnstitit
prae-sūmere = prae aliīs sūmere
triennium -ī *n* = trēs annī

Q. = Quīntus

honor -ōris *m* = honōs; honōrem dēferre = h. praebēre

prō-vocāre = ad pugnam ēvocāre


singulāris -e: certāmen s.e = c. inter singulōs
torquātus -a -um = torque ōrnātus



torquis -is *m*

C. Mārcius *Rutilus*, dictātor annō 356 a. C.

sub-igere -ēgisse -āctum = sub imperium cōgere
tīrō -ōnis *m* = novus mīles
modus = certus numerus, magnitūdō
amplius = plūs



corvus -ī *m*

unguis -is *m*

tribūnī mīlitum sēnī (VI) singulīs legiōnibus praefectī sunt

rēctum aspicere = in rēctum prōspicere

meritum -ī *n* = factum quō laus merētur
annōrum XXIII : XXIII annōs nātus

ex-igere = postulāre

per-domāre
[annō 331 a. C.]

singulāre certāmen prōgressus occīdit, et sublātō torque aureō collōque suō impositō, in perpetuum 'Torquātī' et sibi et posterīs nōmen accēpit. Gallī fugātī sunt, mox per C. Sulpicium dictātōrem etiam victī. Nōn multō post ā C. Mārciō Tūscī victī sunt et octō mīlia captīvōrum ex iīs in triumphum ducta.

6 Cēnsus iterum habitus est. Et cum Latīnī, quī ā Rōmānīs subāctī erant, mīlitēs praestāre nōllent, ex Rōmānīs tantum tīrōnēs lēctī sunt, factaeque legiōnēs decem; quī modus sexāgintā vel amplius armātōrum mīlia efficiēbat. (Parvīs adhūc Rōmānīs rēbus tanta tamen in rē mīlitārī virtūs erat.) Quae cum profectae essent adversum Gallōs duce L. Fūriō, quīdam ex Gallīs ūnum ex Rōmānīs, 'quī esset optimus', prōvocāvit. Tum sē M. Valerius tribūnus mīlitum obtulit, et cum prōcessisset armātus, corvus eī suprā dextrum bracchium sēdit. Mox commissā adversum Gallum pugnā, īdem corvus ālīs et unguibus Gallī oculōs verberāvit, nē rēctum posset aspicere. Ita ā tribūnō Valeriō interfectus. Corvus nōn sōlum victōriam eī, sed etiam nōmen dedit, nam posteā īdem 'Corvīnus' est dictus. Ac propter hoc meritum annōrum trium et vīgintī cōnsul est factus.

7 Latīnī, quī nōluerant mīlitēs dare, hoc quoque ā Rōmānīs exigere coepērunt ut ūnus cōnsul ex eōrum, alter ex Rōmānōrum populō creārētur. Quod cum esset negātum, bellum contrā eōs susceptum est et ingentī pugnā superātī sunt; ac dē iīs perdomitīs triumphātum

est. Statuae cōnsulibus ob meritum victōriae in Rōstrīs positae sunt. — Eō annō etiam Alexandrīa ab Alexandrō Macedone condita est.

Alexandrīa -ae *f*: urbs Aegyptī
Alexander -drī *m*: rēx Macedoniae
Macedō -onis *m*: incola Macedoniae

Samnītēs

Samnītēs -ium *m* (*acc* -ēs /-as) < Samnium -ī *n*

8 Iam Rōmānī potentēs esse coepērunt. Bellum enim in centēsimō et trīcēsimō ferē mīliāriō ab urbe apud Samnītas gerēbātur, quī mediī sunt inter Pīcēnum, Campāniam, Āpūliam. L. Papīrius Cursor cum honōre dictātōris ad id bellum profectus est. Quī cum Rōmam redīret, Q. Fabiō Māximō magistrō equitum, quem apud exercitum relīquit, praecēpit 'nē sē absente pugnāret.' Ille, occāsiōne repertā, fēlīcissimē dīmicāvit et Samnītas dēlēvit. Ob quam rem ā dictātōre capitis damnātus 'quod sē vetante pugnāsset', ingentī favōre mīlitum et populī līberātus est, tantā Papīriō sēditiōne commōtā ut paene ipse interficerētur.

Pīcēnum -ī *n*
Cursor -ōris *m*
Q. Fabiō Māximō *Rulliānō* (cōnsul quīnquiēs)
capitis damnāre = ad mortem damnāre
-āsset = -āvisset
favor -ōris *m* < favēre
līberātus : absolūtus
Papīriō : contrā Papīrium



Exercitus victus sub iugum mittitur

iugum -ī *n*



9 Posteā Samnītēs Rōmānōs, T. Veturiō et Sp. Postumiō cōnsulibus, ingentī dēdecore vīcērunt et sub iugum mīsērunt. Pāx tamen ā senātū et populō solūta

[annō 321 a. C.]
vīcērunt: apud oppidum *Caudium* (-ī *n*)
pācem solvere : p. rumpere



Padus
Trebia
Appenninus Mons
Ariminum
Metaurus
Senones
Facsulae
Arnus
Etruria
Cortona
Lacus Trasumennus
Tiberis
Umbria
Picenum
Mare Superum
Illyricum
Paeligni
Marsi
Sutrium
Falerii
Tarquinii
Veii
Roma
Corsica
Praeneste
Ostia
Latium
Arpinum
Fregellae
Samnium
Larinum
Apulia
Aufidus
Cannae
Canusium
Casilinum
Beneventum
Capua
Caudium
Caieta
Campania
Nola
Cumae
Venusia
Neapolis
Sardinia
Brundisium
Tarentum
Sallentini
Lucania
Mare Inferum
Bruttii
Aeolia
Insulae Aegates
Lilybaeum
Aetna
Tauromenium
Sicilia
Utica
Carthago
Catina
Agrigentum
Syracusae
Clypea
Africa
Hadrumetum
Melita

est, quae cum ipsīs propter necessitātem facta fuerat. Posteā Samnītēs victī sunt ā L. Papīriō cōnsule, septem mīlia eōrum sub iugum missa. Papīrius prīmus dē Samnītibus triumphāvit. — Eō tempore Ap. Claudius cēnsor aquam Appiam indūxit et viam Appiam strāvit.

ipsīs : iīs
facta *erat*
[annō 312 a. C.]
cēnsor -ōris *m* = vir quī cēnsuī praeest
viam sternere = viam mūnīre/facere

Samnītēs, reparātō bellō, Q. Fabium Māximum vīcērunt, tribus mīlibus hominum occīsīs. Posteā, cum pater eī, Fabius Māximus, lēgātus datus fuisset, et Samnītas vīcit et plūrima ipsōrum oppida cēpit. Deinde P. Cornēlius Rūfīnus M'. Curius Dentātus, ambō cōnsulēs, contrā Samnītas missī ingentibus proeliīs eōs cōnfēcēre. Tum bellum cum Samnītibus per annōs quadrāgintā novem āctum sustulērunt. Neque ūllus hostis fuit intrā Italiam quī Rōmānam virtūtem magis fatīgāverit.

lēgātus -ī *m* = praefectus mīlitum quī imperātōrem adiuvat
datus *esset*
M'. = Mānius (praenōmen)
[annō 290 a. C.]
(hostēs) cōnficere = absūmere
quadrāgintā novem = ūndē-quīnquāgintā
bellum tollere = b. fīnīre

10 Interiectīs aliquot annīs iterum sē Gallōrum cōpiae contrā Rōmānōs Tūscīs Samnītibusque iūnxērunt, sed cum Rōmam tenderent, ā Cn. Cornēliō Dolābellā cōnsule dēlētae sunt.

tendere = īre
[annō 283 a. C.]



Pyrrhus, rēx Ēpīrī

Pyrrhus


11 Eōdem tempore Tarentīnīs, quī iam in ultimā Italiā sunt, bellum indictum est, quia lēgātīs Rōmānōrum

Tarentīnī -ōrum *m* < Tarentum -ī *n*

iniūriam fēcissent. Hī Pyrrhum, Ēpīrī rēgem, contrā Rōmānōs in auxilium poposcērunt, quī ex genere Achillis orīginem trahēbat. Is mox ad Italiam vēnit, tumque prīmum Rōmānī cum trānsmarīnō hoste dīmicāvērunt. Missus est contrā eum cōnsul P. Valerius Laevīnus, quī cum explōrātōrēs Pyrrhī cēpisset, iussit eōs per castra dūcī, ostendī omnem exercitum tumque dīmittī, ut renūntiārent Pyrrhō quaecumque ā Rōmānīs agerentur. Commissā mox pugnā, cum iam Pyrrhus fugeret, elephantōrum auxiliō vīcit, quōs incognitōs Rōmānī expāvērunt. Sed nox proeliō fīnem dedit. Laevīnus tamen per noctem fūgit, Pyrrhus Rōmānōs mīlle octingentōs cēpit et eōs summō honōre tractāvit, occīsōs sepelīvit. Quōs cum adversō vulnere et trucī vultū etiam mortuōs iacēre vīdisset, tulisse ad caelum manūs dīcitur cum hāc vōce: 'sē tōtīus orbis dominum esse potuisse, sī tālēs sibi mīlitēs contigissent.'

Posteā Pyrrhus, coniūnctīs sibi Samnītibus, Lūcānīs, Bruttiīs, Rōmam perrēxit, omnia ferrō ignīque vāstāvit, Campāniam populātus est, atque ad Praeneste vēnit, mīliāriō ab urbe octāvō decimō. Mox terrōre exercitūs quī eum cum cōnsule sequēbātur in Campāniam sē recēpit. *12*

Lēgātī ad Pyrrhum dē redimendīs captīvīs missī ab eō honōrificē susceptī sunt; captīvōs sine pretiō Rōmam mīsit. Ūnum ex lēgātīs Rōmānōrum, Fabricium, sīc admīrātus est, cum eum pauperem esse cognōvisset, ut



elephantus -ī *m*

trāns-marīnus -a -um = quī trāns mare est

[annō 280 a. C.]

explōrātor -ōris *m* = mīles quī hostium mōtūs explōrat

quae-cumque = omnia quae

in-cognitus -a -um = ignōtus

ex-pavēscere -pāvisse = pavidus fierī; rem e. = rē exterrērī

tractāre = afficere

(vulnus) adversum : in pectore acceptum

trux -ucis = ferōx

mihi contingit = mihi accidit, mihi datur

Lūcānī -ōrum *m*: incolae Lūcāniae

Bruttiī -ōrum *m*

pergere perrēxisse

honōrificus -a -um = quī honōre afficit; h.ē = cum honōre

C. Fabricium *Luscinum*

quārtā parte rēgnī prōmissā sollicitāre voluerit ut ad sē trānsīret — contēmptusque est ā Fabriciō. Quārē cum Pyrrhus Rōmānōrum ingentī admīrātiōne tenērētur, lēgātum mīsit quī pācem aequīs condiciōnibus peteret, praecipuum virum Cineam nōmine, ita ut Pyrrhus partem Italiae quam iam armīs occupāverat obtinēret.

13 Pāx displicuit, remandātumque Pyrrhō est ā senātū 'eum cum Rōmānīs, nisi ex Italiā recessisset, pācem habēre nōn posse.' Tum Rōmānī iussērunt captīvōs omnēs quōs Pyrrhus reddiderat īnfāmēs habērī, 'quod armātī capī potuissent, nec ante eōs ad veterem statum revertī quam sī bīnōrum hostium occīsōrum spolia rettulissent.' Ita lēgātus Pyrrhī reversus est. Ā quō cum quaereret Pyrrhus 'quālem Rōmam comperisset?' Cineās dīxit 'rēgum sē patriam vīdisse: scīlicet tālēs illīc ferē omnēs esse quālis ūnus Pyrrhus apud Ēpīrum et reliquam Graeciam putārētur!'

Missī sunt contrā Pyrrhum ducēs P. Sulpicius et P. Decius Mūs cōnsulēs. Certāmine commissō, Pyrrhus vulnerātus est, elephantī interfectī, vīgintī mīlia caesa hostium, et ex Rōmānīs tantum quīnque mīlia. Pyrrhus Tarentum fugātus.

14 Interiectō annō contrā Pyrrhum Fabricius est missus (quī prius inter lēgātōs sollicitārī nōn potuerat quārtā rēgnī parte prōmissā). Tum, cum vīcīna castra ipse et rēx habērent, medicus Pyrrhī nocte ad eum vēnit prōmittēns venēnō sē Pyrrhum occīsūrum sī sibi aliquid

sollicitāre = incitāre, persuādēre
contemnere -tēmpsisse -tēmptum
eōrum admīrātiōne tenērī = eōs admīrārī
aequus = omnibus aequē probandus, iūstus
Cineās -ae *m*

ob-tinēre = tenēre in suā potestāte
re-mandāre = renūntiāre

īn-fāmis -e = sine bonā fāmā, indignus
veterem statum: dignitātem cīvīlem
re-ferre ret-tulisse re-lātum

com-perīre -risse -rtum = cognōscere

apud Ēpīrum = in Ēpīrō

[annō 279 a. C.]

Mūs Mūris *m*



mūs mūris *m*

venēnum -ī *n* = cibus vel pōtiō quae mortem affert

caput : vīta
honestās -ātis *f* < honestus

pollicērētur. Quem Fabricius vīnctum redūcī iussit ad dominum Pyrrhōque dīcī quae contrā caput eius medicus spopondisset. Tum rēx admīrātus eum dīxisse fertur: "Ille est Fabricius quī difficilius ab honestāte quam sōl ā cursū suō āvertī potest!" Tum rēx ad Siciliam profectus est. Fabricius victīs Lūcānīs et Samnītibus triumphāvit.

[annō 275 a. C.]
eā diē = eō diē

Cōnsulēs deinde M'. Curius Dentātus et Cornēlius Lentulus adversum Pyrrhum missī sunt. Curius contrā eum pugnāvit, exercitum eius cecīdit, ipsum Tarentum fugāvit, castra cēpit. Eā diē caesa hostium vīgintī tria mīlia. Curius in cōnsulātū triumphāvit. Prīmus Rōmam elephantōs quattuor dūxit. Pyrrhus etiam ā Tarentō mox recessit et apud Argōs, Graeciae cīvitātem, occīsus est.

et C. Claudiō
[annō 273 a. C.]
quadringentēsimus -a -um = CCCC (400.)
Alexandrīnus -a -um < Alexandrīa
Ptolomaeus -ī *m*: rēx Aegyptī
obtinēre = adipīscī

C. Fabiō Licinō C. Claudiō Canīnā cōnsulibus, annō *15*
urbis conditae quadringentēsimō octōgēsimō prīmō, lēgātī Alexandrīnī ā Ptolomaeō missī Rōmam vēnēre et ā Rōmānīs amīcitiam quam petīverant obtinuērunt.

[annō 269 a. C.]
Pīcentēs -ium *m* < Pīcēnum
triumphātum est = triumphus āctus est
Gallia: regiō Gallōrum Senonum

Q. Ogulniō C. Fabiō Pictōre cōnsulibus Pīcentēs bel- *16*
lum commōvēre, et ab īnsequentibus cōnsulibus P. Semprōniō Ap. Claudiō victī sunt; et dē iīs triumphātum est. Conditae ā Rōmānīs cīvitātēs Arīminum in Galliā et Beneventum in Samniō.

[annō 267 a. C.]
Libō -ōnis *m*
Sallentīnī -ōrum *m*: gēns Āpūliae
Brundisīnī -ōrum *m* < Brundisium

M. Atīliō Rēgulō L. Iūliō Libōne cōnsulibus Sallentī- *17*
nīs in Āpūliā bellum indictum est, captīque sunt cum cīvitāte simul Brundisīnī, et dē iīs triumphātum est.

18 Annō quadringentēsimō septuāgēsimō septimō, cum iam clārum urbis Rōmae nōmen esset, arma tamen extrā Italiam mōta nōn fuerant. Ut igitur cognōscerētur quae cōpiae Rōmānōrum essent, cēnsus est habitus. Tum inventa sunt cīvium capita ducenta nōnāgintā duo mīlia trecenta trīgintā quattuor, quamquam ā conditā urbe numquam bella cessāssent.

septuāgēsimus -a -um = LXX (70.)
mōta nōn *erant*
cōpiae = opēs
292 334
-āssent = -ā*v*issent



proelium nāvāle

Bellum Pūnicum prīmum

Et contrā Āfrōs bellum susceptum est prīmum Ap. Claudiō M. Fulviō cōnsulibus. In Siciliā contrā eōs pugnātum est, et Ap. Claudius dē Āfrīs et rēge Siciliae Hierōne triumphāvit.

Āfrī -ōrum *m*: incolae Āfricae (: Poenī vel Karthāginiēnsēs)
Ap. Claudius *Caudex* (-icis), M. Fulvius *Flaccus*: cōnsulēs annō 264 a. C.

19 Īnsequentī annō, M'. Valeriō et Otāciliō Crassō cōnsulibus, in Siciliā ā Rōmānīs rēs magnae gestae sunt. Tauromenītānī, Catinēnsēs et praetereā quīnquāgintā cīvitātēs in fidem acceptae.

Tertiō annō in Siciliā contrā Hierōnem, rēgem Siculōrum, bellum parātum est. Is cum omnī nōbilitāte Syrācūsānōrum pācem ā Rōmānīs impetrāvit deditque argentī ducenta talenta. Āfrī in Siciliā victī sunt et dē iīs secundō Rōmae triumphātum est.

Tauromenītānī -ōrum *m* < Tauromenium -ī *n*
Catinēnsēs -ium *m* < Catina -ae *f*
in fidem accipere = in dēditiōnem a.
Hierō -ōnis *m*
Siculī -ōrum *m*: incolae Siciliae
omnis nōbilitās = omnēs nōbilēs
Syrācūsānī -ōrum *m* < Syrācūsae -ārum *f*
secundō *adv* = iterum

[annō 260 a. C.]

rōstrātus -a -um = rōstrō mūnītus
dē-cipere -cēpisse -ceptum = fallere
Carthāginiēnsis = Karthāginiēnsis

20 Quīntō annō Pūnicī bellī, quod contrā Āfrōs gerēbātur, prīmum Rōmānī, C. Duīliō et Cn. Cornēliō Asinā cōnsulibus, in marī dīmicāvērunt parātīs nāvibus rōstrātīs. Cōnsul Cornēlius fraude dēceptus est. Duīlius commissō proeliō Carthāginiēnsium ducem vīcit, trīgintā et ūnam nāvēs cēpit, quattuordecim mersit, septem mīlia hostium cēpit, tria mīlia occīdit. Neque ūlla victōria Rōmānīs grātior fuit, quod invictī terrā iam etiam marī plūrimum possent.

posse = potestātem habēre
[annō 259 a. C.]
Scīpiō -ōnis *m*
L. *Cornēlius* Scīpiō

C. Aquīliō Flōrō L. Scīpiōne cōnsulibus, Scīpiō Corsicam et Sardiniam vāstāvit, multa mīlia inde captīvōrum abdūxit, triumphum ēgit.

[annō 256 a. C.]
Vulsō -ōnis *m*
Hamilcar -aris *m*

retrō = eō unde vēnerat

Carthāgō = Karthāgō
castellum -ī *n* = locus mūnītus

decem et octō = duo-dē-vīgintī

21 L. Mānliō Vulsōne M. Atīliō Rēgulō cōnsulibus, bellum in Āfricam trānslātum est. Contrā Hamilcarem, Carthāginiēnsium ducem, in marī pugnātum, victusque est; nam perditīs sexāgintā quattuor nāvibus, retrō sē recēpit. Rōmānī vīgintī duās āmīsērunt. Sed cum in Āfricam trānsiissent, prīmam Clypeam, Āfricae cīvitātem, in dēditiōnem accēpērunt. Cōnsulēs ūsque ad Carthāginem prōcessērunt, multīsque castellīs vāstātīs, Mānlius victor Rōmam rediit et vīgintī septem mīlia captīvōrum redūxit, Atīlius Rēgulus in Āfricā remānsit. Is contrā Āfrōs aciem īnstrūxit. Contrā trēs Carthāginiēnsium ducēs dīmicāns victor fuit, decem et octō mīlia hostium cecīdit, quīnque mīlia cum decem et octō elephantīs cēpit, septuāgintā quattuor cīvitātēs in fidem accēpit. Tum victī Carthāginiēnsēs pācem ā Rōmānīs

petīvērunt. Quam cum Rēgulus nōllet nisi dūrissimīs condiciōnibus dare, Āfrī auxilium ā Lacedaemoniīs petīvērunt. Et duce Xanthippō, quī ā Lacedaemoniīs missus fuerat, Rōmānōrum dux Rēgulus victus est ultimā perniciē. Nam duo mīlia tantum ex omnī Rōmānō exercitū refūgērunt, quīngentī cum imperātōre Rēgulō captī sunt, trīgintā mīlia occīsa. Rēgulus ipse in catēnās coniectus.

22 M. Aemiliō Paulō Ser. Fulviō Nōbiliōre cōnsulibus, ambō Rōmānī cōnsulēs ad Āfricam profectī sunt cum trecentārum nāvium classe. Prīmum Āfrōs nāvālī certāmine superant. Aemilius cōnsul centum et quattuor nāvēs hostium dēmersit, trīgintā cum pugnātōribus cēpit, quīndecim mīlia hostium aut occīdit aut cēpit, mīlitem suum ingentī praedā dītāvit. Et subācta Āfrica tunc fuisset, nisi quod tanta famēs erat ut diūtius exercitus exspectāre nōn posset. Cōnsulēs cum victrīcī classe redeuntēs circā Siciliam naufragium passī sunt. Et tanta tempestās fuit ut ex quadringentīs sexāgintā quattuor nāvibus octōgintā tantum servārī potuerint; neque ūllō tempore tanta maritima tempestās audīta est. Rōmānī tamen statim ducentās nāvēs reparāvērunt, neque in aliquō animus hīs īnfrāctus fuit.

23 Cn. Servīlius Caepiō C. Semprōnius Blaesus cōnsulēs cum ducentīs sexāgintā nāvibus ad Āfricam profectī sunt. Aliquot cīvitātēs cēpērunt. Praedam ingentem redūcentēs naufragium passī sunt. Itaque cum continuae

dūrus = sevērus

Lacedaemoniī -ōrum *m* < Lacedaemō -onis *f* = Sparta

missus *erat*

perniciēs -ēī *f* = caedēs, strāgēs

re-fugere = retrō fugere

in catēnās conicere = vīnctum in carcerem mittere

[annō 255 a. C.]

Ser. = Servius (praenōmen)

Nōbilior -ōris *m*

nāvālis -e < nāvis

dē-mergere = submergere

pugnātor -ōris *m* = quī pugnat

mīlitem : mīlitēs

subācta *esset*

naufragium -ī *n* < nāvis + frangere

naufragium



in aliquō : in ūllō

īn-fringere -frēgisse -frāctum = frangere

īnfrāctus *est*

[annō 253 a. C.]

Caepiō -ōnis *m*

calamitās -ātis *f* = mala fortūna, clādēs

ad praesidium Italiae : ad dēfendendam Italiam
[annō 251 a. C.]

Numidae -ārum *m*: incolae Numidiae
pompa -ae *f* = agmen hominum fēstō diē prōcēdentium
iter = via

Rēgulum petīvērunt = ā Rēgulō p.

permūtātiō -ōnis *f* < *per-mūtāre* = inter sē mūtāre

illā diē = illō diē

complexus -ūs *m* < complectī

cāsus = quod forte accidit, calamitās
tantī : tantī pretiī

captī *erant*

negāvit sē mānsūrum *esse* = dīxit sē mānsūrum nōn esse
-ierat = -*īv*erat

supplicium = cruciātus māximus

calamitātēs Rōmānīs displicērent, dēcrēvit senātus ut ā maritimīs proeliīs recēderētur et tantum sexāgintā nāvēs ad praesidium Italiae salvae essent.

L. Caeciliō Metellō C. Fūriō Pacilō cōnsulibus, Me- *24*
tellus in Siciliā Āfrōrum ducem cum centum trīgintā elephantīs et magnīs cōpiīs venientem superāvit, vīgintī mīlia hostium cecīdit, sex et vīgintī elephantōs cēpit, reliquōs errantēs per Numidās, quōs in auxilium habēbat, collēgit et Rōmam dēdūxit ingentī pompā, cum elephantōrum numerus omnia itinera implērent.

Post haec mala Carthāginiēnsēs Rēgulum ducem, quem cēperant, petīvērunt ut Rōmam proficīscerētur et pācem ā Rōmānīs obtinēret ac permūtātiōnem captīvō-
rum faceret. Ille Rōmam cum vēnisset, inductus in se- *25*
nātum nihil quasi Rōmānus ēgit dīxitque ‘sē ex illā diē quā in potestātem Āfrōrum vēnisset, Rōmānum esse dēsiisse.’ Itaque et uxōrem ā complexū remōvit et senātuī suāsit nē pāx cum Poenīs fieret: ‘illōs enim frāctōs tot cāsibus spem nūllam habēre; sē tantī nōn esse ut tot mīlia captīvōrum propter ūnum sē et senem et paucōs quī ex Rōmānīs captī fuerant redderentur.’ Itaque obtinuit. Nam Āfrōs pācem petentēs nūllus admīsit. Ipse Carthāginem rediit, offerentibusque Rōmānīs ut eum Rōmae tenērent negāvit ‘sē in eā urbe mānsūrum in quā, postquam Āfrīs servierat, dignitātem honestī cīvis habēre nōn posset.’ Regressus igitur ad Āfricam omnibus suppliciīs exstīnctus est.

26 P. Claudiō Pulchrō L. Iūniō cōnsulibus, Claudius contrā auspicia pugnāvit et ā Carthāginiēnsibus victus est. Nam ex ducentīs et vīgintī nāvibus cum trīgintā fūgit, nōnāgintā cum pugnātōribus captae sunt, dēmersae cēterae. Alius quoque cōnsul naufragiō classem āmīsit, exercitum tamen salvum habuit quia vīcīna lītora erant.

[annō 249 a. C.]
Pulcher -chrī *m*
alius : alter

27 C. Lutātiō Catulō A. Postumiō Albīnō cōnsulibus, annō bellī Pūnicī vīcēsimō et tertiō, Catulō bellum contrā Āfrōs commissum est. Profectus est cum trecentīs nāvibus in Siciliam; Āfrī contrā ipsum quadringentās parāvērunt. Numquam in marī tantīs cōpiīs pugnātum est. Lutātius Catulus nāvem aeger ascendit, vulnerātus enim in pugnā superiōre fuerat. Contrā Lilybaeum, cīvitātem Siciliae, pugnātum est ingentī virtūte Rōmānōrum. Nam sexāgintā trēs Carthāginiēnsium nāvēs captae sunt, centum vīgintī quīnque dēmersae, trīgintā duo mīlia hostium capta, trēdecim mīlia occīsa, īnfīnītum aurī, argentī, praedae in potestātem Rōmānōrum redāctum. Ex classe Rōmānā duodecim nāvēs dēmersae. Pugnātum est sextō īdūs Mārtiās.

[annō 242 a. C.]
A. = Aulus (praenōmen)
ipsum : eum
superior = prior
vulnerātus *erat*
contrā Lilybaeum : in marī nōn procul ā Lilybaeō (ad *Aegātēs* īnsulās)
īn-fīnītus -a -um = immēnsus; *n* ī. a cōpia
red-igere -ēgisse -āctum: in potestātem eius r. = eī trādere
sextō īdūs Mārtiās = ante diem VI īdūs Mārtiās (: diē X mēnsis Mārtiī)

Statim pācem Carthāginiēnsēs petīvērunt, tribūtaque est iīs pāx. Captīvī Rōmānōrum quī tenēbantur ā Carthāginiēnsibus redditī sunt. Etiam Carthāginiēnsēs petīvērunt ut redimī eōs captīvōs licēret quōs ex Āfrīs Rōmānī tenēbant. Senātus iussit 'sine pretiō darī eōs quī in pūblicā cūstōdiā essent; quī autem ā prīvātīs tenērentur,

tribuere -uisse -ūtum = praebēre, dare

ut : senātus dēcrēvit ut

fiscus -ī *m* = aerārium
magis (/potius) quam
: neque

ut pretiō dominīs redditō Carthāginem redīrent, atque id pretium ex fiscō magis quam ā Carthāginiēnsibus solverētur.'

[annō 241 a. C.]

trahere = prōdūcere



modius -ī *m* [8,75 *l*]

trāns-igere -ēgisse -āctum = peragere
trānsācta *erat*

trīticum -ī *n* = frūmentī genus ex quō pānis albus fit

Iānus iterum clausus *III*

1 Fīnītō igitur Pūnicō bellō, quod per vīgintī trēs annōs tractum est, Rōmānī iam clārissimā glōriā nōtī lēgātōs ad Ptolomaeum, Aegyptī rēgem, mīsērunt auxilia prōmittentēs, quia rēx Syriae Antiochus bellum eī intulerat. Ille grātiās Rōmānīs ēgit, auxilia nōn accēpit; iam enim fuerat pugna trānsācta. Eōdem tempore potentissimus rēx Siciliae Hierō Rōmam vēnit ad lūdōs spectandōs et ducenta mīlia modiōrum trīticī populō dōnum praebuit.

[annō 237 a. C.]

quibus (cōnsulibus) : quō annō
Ligurēs -um *m*: gēns Italiae (in *Liguriā*)

Sardiniēnsēs -ium *m* = Sardī -ōrum *m*: incolae Sardiniae
im-pellere = perpellere

2 L. Cornēliō Lentulō Q. Fulviō Flaccō cōnsulibus, quibus Hierō Rōmam vēnerat, etiam contrā Ligurēs intrā Italiam bellum gestum est et dē iīs triumphātum.

Carthāginiēnsēs tamen bellum reparāre temptābant, Sardiniēnsēs, quī ex condiciōnibus pācis Rōmānīs pārēre dēbēbant, ad rebellandum impellentēs. Vēnit tamen Rōmam lēgātiō Carthāginiēnsium et pācem imperāvit.

[annō 235 a. C.]

eō annō Iānus iterum clausus est

contingere = accidere

3 T. Mānliō Torquātō C. Atīliō Bulbō cōnsulibus dē Sardīs triumphātum est, et pāce omnibus locīs factā Rōmānī nūllum bellum habuērunt, quod iīs post Rōmam conditam semel tantum, Numā Pompiliō rēgnante, contigerat.

4 L. Postumius Albīnus Cn. Fulvius Centumalus cōnsulēs bellum contrā Illyriōs gessērunt et multīs cīvitātibus captīs etiam rēgēs in dēditiōnem accēpērunt. Ac tum prīmum ex Illyriīs triumphātum est.

[annō 229 a. C.]
Illyriī -ōrum *m*: incolae Illyricī

5 L. Aemiliō cōnsule ingentēs Gallōrum cōpiae Alpēs trānsiērunt. Sed prō Rōmānīs tōta Italia cōnsēnsit, trāditumque est ā Fabiō historicō, quī eī bellō interfuit, octingenta mīlia hominum parāta ad id bellum fuisse. Sed rēs per cōnsulem tantum prosperē gesta est. Quadrāgintā mīlia hostium interfecta sunt et triumphus Aemiliō dēcrētus.

Bellum Gallicum
[annō 225 a. C.]
L. Aemiliō *Papō*

Q. Fabiō *Pictōre*
historicus -ī *m* = scrīptor rērum gestārum

6 Aliquot deinde annīs post contrā Gallōs intrā Italiam pugnātum est, fīnītumque bellum M. Claudiō Mārcellō et Cn. Cornēliō Scīpiōne cōnsulibus. Tum Mārcellus cum parvā manū equitum dīmicāvit et rēgem Gallōrum, Viridomārum nōmine, manū suā occīdit. Posteā cum collēgā ingentēs cōpiās Gallōrum perēmit, Mediolānum expugnāvit, grandem praedam Rōmam pertulit. Ac triumphāns Mārcellus spolia Gallī stīpitī imposita umerīs suīs vēxit.

Gallōs: Īnsubrēs -um *m*: gēns Gallōrum ultrā Padum; cīvitās eōrum: Mediolānum -ī *n*
Padus -ī *m*: flūmen Italiae māximum

[annō 222 a. C.]

per-imere -ēmisse -ēmptum = interimere, perdere
grandis -e = magnus

spolia: s. opīma III
stīpes -itis *m* = arbor sine rāmīs, baculum crassum

SPOLIA OPIMA TERTIA

[*Anchīsēs apud Īnferōs:*]

"Aspice ut īnsignis spoliīs Mārcellus opīmīs
ingreditur victorque virōs superēminet omnēs!"

[Vergilius: *Aenēis* VI.855-856]

īnsignis -e = cōnspicuus (prae cēterīs)
ingredī = gradī
super-ēminēre

Vocābula nova:
diūturnitās
patrimōnium
collēga
dictātūra
cōnsulātus
tribūnus plēbis
mīliārium
flētus
dēprecātiō
iūgerum
sūdor
praetexta
quadriennium
triennium
tīrō
tribūnus mīlitum
corvus
unguis
meritum
favor
iugum
cēnsor
explōrātor
elephantus
venēnum
honestās
castellum
perniciēs
pugnātor
naufragium
calamitās
pompa
permūtātiō
complexus
fiscus
modius
trīticum
historicus
stīpes
cōnsulāris
singulāris
torquātus
trānsmarīnus
incognitus
trux
honōrificus
īnfāmis
rōstrātus
nāvālis

PENSVM A

Dē numerīs

Līvius scrīpsit — — — [CXLII] librōs 'Ab urbe conditā', quōrum — — [XXXV] tantum cōnservātī sunt, — et — [CVII] periērunt.

Tarquinius, — [VII] rēx Rōmānus, ā Brūtō expulsus est annō ab urbe conditā — — — [CCXLV], et prō — [I] rēge — [II] cōnsulēs creātī sunt. Ex eō tempore quotannīs — [II...] cōnsulēs creābantur.

Annō ab urbe conditā — — [CCCCXC] bellum Pūnicum — [I] ortum est. Annō — — [XXIII] eius bellī Poenī proeliō nāvālī dēvictī sunt: — — [LXIII] nāvēs eōrum captae sunt, — — — [CXXV] dēmersae, — — [XXXII] mīlia hostium capta, — [XIII] mīlia occīsa; ex classe Rōmānā — [XII] nāvēs dēmersae. Pugnātum est ante diem — [VI] īdūs Mārtiās, id est diē — [X] mēnsis Mārtiī.

Legiōnēs Rōmānae in — [X...] cohortēs dīviduntur, cohortēs in — [III...] manipulōs, manipulī in — [II...] centuriās. In — [I...] legiōnibus sunt — [IV...] vel — [V...] mīlia hominum, quibus — [VI...] tribūnī mīlitum praefectī sunt.

— bīna [2×2] sunt —. — — [3×6] sunt —. — — [4×5] sunt —. — — [5×10] sunt —.

PENSVM B

Tarquinius Collātīnus, L. Brūtī —, cum omnī — suō Rōmā migrāvit. Brūtus et Arrūns — sē occīdērunt. Coriolānus ad quīntum — ab urbe prōcessit, sed mātris et uxōris flētū superātus — [= eō unde vēnerat] sē recēpit. Cincinnātus, quī agrum IV — possidēbat, ab arātrō dictātor factus est (— est dignitās māior quam —); ergō — dētersō togam — accēpit. M. Valeriō adversus Gallum prōcēdentī — super bracchium sēdit atque oculōs Gallī ālīs et — verberāvit. Ap. Claudius — [< cēnsēre] viam Appiam strāvit. Samnītēs Rōmānōs victōs sub — mīsērunt.

Pyrrhus captīvōs Rōmānōs — [= magnō honōre] —, sed

senātus eōs — habērī iussit. Fabricius medicum, quī sē Pyrrhum — occīsūrum prōmīserat, — [= dīmīsit]; rēx cum hoc — [= cognōvisset], — [< honestus] Fabriciī valdē admīrātus est.

Cōnsulēs Rōmānī Poenōs proeliō — [< nāvis] vīcērunt, sed cum — classe redeuntēs — passī sunt; nec tamen animī Rōmānōrum hāc — īnfrāctī sunt. Bellō Pūnicō — [= perāctō], rēx Hierō ducenta mīlia — trīticī populō Rōmānō — [= praebuit].

— est novus mīles. Pānis albus ex — efficitur.

Synōnyma: III annī et —; IV annī et —; ferōx et —; immēnsus et —; magnus et —; cōnspicuus et —; senēscere et —; ulcīscī et —; pārēre et —; condemnāre et —; fallere et —.

Contrāria: prōgredī et —; cessāre et —.

PENSVM C

Quid ēgit Tarquinius Rōmā exāctus?
Quōmodo periit L. Brūtus?
Quid trecentīs Fabiīs accidit?
Ubi senātōrēs Cincinnātum invēnērunt?
Cūr decemvirīs potestās sublāta est?
Tōtamne urbem Rōmam Gallī occupāvērunt?
Quōmodo Mānlius 'Torquātī' cognōmen accēpit?
Quid Ap. Claudius Caecus cēnsor fēcit?
Ā quibus Rōmānī sub iugum missī sunt?
Cūr Pyrrhus Rōmānōs admīrābātur?
Quid medicus Pyrrhī prōmīsit?
Quid ēgit Rēgulus postquam Rōmam remissus est?
Ubi Carthāginiēnsēs dēvictī sunt?
Quandō Iānus iterum clausus est?
Quis spolia opīma tertia cēpit?

īnfīnītus
grandis
īnsignis
trecentēsimus
quadringentēsimus
sexāgēsimus
septuāgēsimus
restituere
cōnsenēscere
vindicāre
obsequī
reparāre
repudiāre
dēprecārī
regredī
damnāre
excīdere
supervenīre
persevērāre
praesūmere
subigere
perdomāre
expavēscere
tractāre
sollicitāre
obtinēre
remandāre
comperīre
dēcipere
dēmergere
īnfringere
redigere
tribuere
trānsigere
impellere
perimere
superēminēre
invicem
tertiō
secundō
amplius
retrō

RES GRAECAE	SCRIPTORES GRAECI	annō a.C.	SCRIPTORES ROMANI	RES ROMANAE
		750		Rōma condita 753
				Rōmulus rēx
				753–715
		700		Numa rēx 715–672
				Tullus Hostīlius
	Archilochus poēta	650		rēx 672–640
				Ancus Mārcius rēx
	Sapphō poēta			640–616
Solō Athēniēnsium	*Solō* Athēniēnsibus	600		Tarquinius Prīscus
prīnceps	lēgēs scrīpsit			rēx 616–578
				Servius Tullius
Pīsistratus tyran-				rēx 578–534
nus 560–527		550		
Hippiās & Hippar-	*Pȳthagorās* philoso-			Tarquinius Super-
chus tyrannī 527	phus			bus rēx 534–509
Nex Hipparchī 514				Rēgēs exāctī 509
Bella Persica:		500		
Marathōn 490				Coriolānus 491
Salamīs 480	*Aeschylus* tragicus			Cremera 477
	Empedoclēs philos.			
	Sophoclēs tragicus	450	Lēgēs XII tabulārum	Xvirī lēgibus
Periclēs 443-429	*Euripidēs* tragicus			scrībundīs 451
Bellum Peloponnē-	*Hippocratēs* medicus			
siacum 431–404	*Sōcratēs* philosophus			
	Thūcȳdidēs historicus			
XXX tyrannī	*Dēmocritus* philos.	400		
	Platō philosophus			Rōma capta 390
	Eudoxus astrologus			
Leuctra 371				Lēx Licinia 367
Philippus II rēx				
Macedoniae 359	*Dēmosthenēs* ōrātor	350		
Chaerōnēa 338	*Aristotelēs* philo-			
Alexander Magnus	sophus			
rēx 336–323				Bellum Samnīti-
	Menander cōmicus			cum 328–304
	Epicūrus philosophus	300		
	Zēnō philosophus			
				Bellum Tarentīnum
	Callimachus poēta			280–278
				Bellum Pūnicum I
		250		264–241
			Līvius poēta	
			Naevius poēta	
			Plautus cōmicus	Bellum Pūnicum II
			Ennius poēta	218–201
		200	*Caecilius* cōmicus	
			Pācuvius tragicus	
			Terentius cōmicus	
	Carneadēs philoso-		*Catō* ōrātor & hist.	
	phus		*Lūcīlius* poēta	
			Accius tragicus	



Sōcratēs, philosophus Graecus



GRAECI ET ROMANI

[*Ex Aulī Gelliī 'Noctium Atticārum' librō XVII capitulum XXI*]

Quibus temporibus post Rōmam conditam Graecī Rōmānīque illūstrēs virī flōruerint ante secundum bellum Carthāginiēnsium.

Ut cōnspectum quendam aetātum antīquissimārum, item virōrum illūstrium quī in hīs aetātibus nātī fuissent, habērēmus, nē in sermōnibus forte incōnspectum aliquid super aetāte atque vītā clārōrum hominum temere dīcerēmus, excerpēbāmus ex librīs quī 'chronicī' appellantur, quibus temporibus flōruissent Graecī simul atque Rōmānī virī quī vel ingeniō vel imperiō nōbilēs īnsignēsque post conditam Rōmam fuissent ante secundum bellum Carthāginiēnsium. Satis autem vīsum est in hōc commentāriō dē temporibus paucōrum homi-

Noctēs Atticae: librī XX quibus A. Gellius, quī vīxit saeculō II p. C., variās rēs ex aliīs librīs sūmptās collēgit

flōrēre -uisse = in flōre esse; (aetāte) f. = iuvenis esse

bellum Carthāginiēnsium: b. Pūnicum II [annō 218–201 a. C.]

nātī *essent*

īn-cōnspectus -a -um = parum īnspectus

temere = temerāriō modō (↔ cautē)

ex-cerpere -psisse -ptum < ex + carpere

chronicus -a -um: (librī) chronicī rēs singulīs annīs gestās continent

mihi vīsum est = exīstimāvī

commentārius -ī *m* = liber reminīscendī causā scrīptus

num dīcere, ex quōrum aetātibus dē plūribus quoque, quōs nōn nōmināremus, haud difficilis coniectūra fierī posset.

Incipiēmus igitur ā Solōne clārō — quoniam dē Homērō et Hēsiodō inter omnēs ferē scrīptōrēs cōnstitit aetātem eōs ēgisse vel iīsdem ferē temporibus vel Homērum aliquantō antīquiōrem, utrumque tamen ante Rōmam conditam vīxisse, Silviīs Albae rēgnantibus, annīs post bellum Trōiānum (ut Cassius in prīmō *Annālium* dē Homērō atque Hēsiodō scrīptum relīquit) plūs centum atque sexāgintā, ante Rōmam autem conditam (ut Cornēlius Nepōs in prīmō *Chronicōrum* dē Homērō dīxit) annīs circiter centum et sexāgintā.

Solōnem ergō accēpimus, ūnum ex illō nōbilī numerō sapientium, lēgēs scrīpsisse Athēniēnsium Tarquiniō Prīscō Rōmae rēgnante, annō rēgnī eius trīcēsimō tertiō. Serviō autem Tulliō rēgnante, Pīsistratus Athēnīs tyrannus fuit, Solōne ante in exsilium voluntārium profectō, quoniam id eī praedīcentī nōn crēditum est.

Posteā Pȳthagorās Samius in Italiam vēnit, Tarquiniī fīliō rēgnum obtinente, cui cognōmentum Superbus fuit; iīsdemque temporibus occīsus est Athēnīs ab Harmodiō et Aristogītone Hipparchus, Pīsistratī fīlius, Hippiae tyrannī frāter. Archilochum autem Nepōs Cornēlius trādit, Tullō Hostīliō Rōmae rēgnante, iam tunc fuisse poēmatīs clārum et nōbilem.

Ducentēsimō deinde et sexāgēsimō annō post Rō-

coniectūram facere = intellegere id quod nōn palam dīcitur

Homērus et Hēsiodus: poētae Graecī antīquissimī
inter omnēs cōnstat/cōnstitit = inter omnēs convenit

L. Cassius historicus *Annālēs* scrīpsit saeculō II a. C.
annālis -e < annus; (librī) annālēs = chronicī

Cornēlius Nepōs (-ōtis) III librōs *Chronicōs* scrīpsit saeculō I a. C.

accipere: audīre, discere
numerus sapientium: VII sapientēs (virī sapientissimī)
[annō 594 a. C.]

id: Pīsistratum tyrannum fore
Pȳthagorās -ae *m*: philosophus Graecus
Samius -a -um < Samos -ī *f*, īnsula Graeca
cognōmentum -ī *n* = cognōmen
[annō 514 a. C.]
Aristogītōn -onis *m*
Hipparchus -ī et Hippiās -ae *m*: tyrannī
Archilochus -ī *m*: poēta Graecus
poēma -atis *n*, *pl abl* -atīs = opus versibus scrīptum, carmen
[annō 490 a. C.]

mam conditam, aut nōn longē amplius, victōs esse ab Athēniēnsibus Persās memoriae trāditum est — pugnam illam inclutam Marathōniam, Miltiade duce; quī post eam victōriam damnātus ā populō Athēniēnsī in vinculīs pūblicīs mortem obiit. Tum Aeschylus Athēnīs tragoediārum poēta celebris fuit. Rōmae autem istīs fermē temporibus tribūnōs tum prīmum per sēditiōnem sibi plēbēs creāvit, ac nōn diū post Cn. Mārcius Coriolānus, exagitātus vexātusque ā tribūnīs plēbis, ad Volscōs, quī tum hostēs erant, ā rē pūblicā dēscīvit bellumque populō Rōmānō fēcit.

Post deinde paucīs annīs Xerxēs rēx ab Athēniēnsibus et plērāque Graeciā, Themistocle duce, nāvālī proeliō quod ad Salamīna factum est victus fugātusque est. Inde annō ferē quārtō, T. Menēniō Agrippā C. Horātiō Pulvillō cōnsulibus, bellō Vēientī apud fluvium Cremeram Fabiī sex et trecentī patriciī cum familiīs suīs ūniversī ab hostibus circumventī periērunt.

Iūxtā ea tempora Empedoclēs Agrigentīnus in philosophiae nātūrālis studiō flōruit. Rōmae autem per eās tempestātēs decemvirōs lēgibus scrībundīs creātōs cōnstitit tabulāsque ab hīs prīmō decem cōnscrīptās, mox aliās duās additās.

Bellum deinde in terrā Graeciā māximum Peloponnēsiacum, quod Thūcȳdidēs memoriae mandāvit, coeptum est circā annum ferē post conditam Rōmam trecentēsimum vīcēsimum tertium. Quā tempestāte Ōlus Pos-

Persae -ārum *m*: gēns Asiae
memoriae trādere = scrīptum relinquere
Marathōnius -a -um < Marathōn -ōnis *f*, oppidum Atticae
Miltiadēs -is *m*
ob-īre mortem/diem (mortis) = morī
tragoedia -ae *f* ↔ cōmoedia
celebris = celeber

plēbēs -is *f* = plēbs
ex-agitāre = īrātum facere, incitāre
vexāre = male tractāre
dē-scīscere -īvisse (ab/ad) = dēficere

Xerxēs -is *m*: rēx Persārum
plēra-que Graecia = plērīque Graecī
Themistoclēs -is *m*
[annō 480 a. C.]
Salamīs -īnos *f* (*acc* -īna): īnsula Graeca

[annō 477 a. C.]

Empedoclēs -is *m*
Agrigentīnus -a -um < Agrigentum -ī *n*, oppidum Siciliae
philosophia nātūrālis = id quod docētur dē rērum nātūrā
scrīb*u*ndīs = -*e*ndīs
creātōs *esse* cōnstitit (: cōnstat)
cōn-scrībere = scrībere

Peloponnēsiacus -a -um < Peloponnēsus
Thūcȳdidēs -is *m*: historicus Graecus
memoriae mandāre = memoriae trādere
[annō 431 a. C.]
circā annum CCC = annō circiter CCC
Ōlus = Aulus

tumius Tūbertus dictātor Rōmae fuit, quī fīlium suum, quod contrā suum dictum pugnāverat, secūrī necāvit. Hostēs tum populī Rōmānī fuērunt Fidēnātēs atque Aequī. Inter haec tempora nōbilēs celebrēsque erant Sophoclēs ac deinde Eurīpidēs, tragicī poētae, et Hippocratēs medicus, et philosophus Dēmocritus, quibus Sōcratēs Athēniēnsis nātū quidem posterior fuit, sed quibusdam temporibus iīsdem vīxērunt.

Iam deinde, tribūnīs mīlitāribus cōnsulārī imperiō rem pūblicam Rōmae regentibus, ad annum ferē conditae urbis trecentēsimum quadrāgēsimum septimum, trīgintā illī tyrannī praepositī sunt ā Lacedaemoniīs Athēniēnsibus, et in Siciliā Dionȳsius superior tyrannidem tenuit; paucīsque annīs post Sōcratēs Athēnīs capitis damnātus est et in carcere venēnō necātus. Eā ferē tempestāte Rōmae M. Fūrius Camillus dictātor fuit et Vēiōs cēpit; ac post nōn longō tempore bellum Senonicum fuit, cum Gallī Rōmam praeter Capitōlium cēpērunt.

Neque multō posteā Eudoxus astrologus in terrā Graeciā nōbilitātus est, Lacedaemoniīque ab Athēniēnsibus apud Corinthum superātī duce Phormiōne; et M. Mānlius Rōmae, quī Gallōs in obsidiōne Capitōliī obrēpentēs per ardua dēpulerat, convictus est cōnsilium dē rēgnō occupandō iniisse damnātusque capitis ē saxō Tarpēiō, ut M. Varrō ait, praeceps datus (ut Cornēlius autem Nepōs scrīptum relīquit, verberandō necātus

dictum : imperium

Sophoclēs -is *m*
Eurīpidēs -is *m*
tragicus -a -um = quī tragoediās scrībit
Hippocratēs -is *m*
philosophus -ī *m* = vir sapiēns quī philosophiam docet
Sōcratēs -is *m*: philosophus Athēniēnsis

ad annum CCC = circā annum CCC
[annō 407 a. C.]

superior : prior
tyrannis -idis *f* = imperium tyrannī

[annō 399 a. C.]

[annō 396 a. C.]

Senonicus -a -um < Senonēs (Gallī)
[annō 390 a. C.]

astrologus -ī *m* = quī astrīs studet
nōbilitāre = nōbilem facere
Phormiō -ōnis *m*
obsidiō -ōnis *f* < obsidēre
ob-rēpere = clam ascendere
dē-pellere -pulisse
con-vincere = noxium iūdicāre, damnāre
praecipitem dare = praecipitāre
M. *Terentius* Varrō -ōnis: Rōmānus doctissimus saeculī I a. C.

est). Eōque ipsō annō, quī erat post reciperātam urbem septimus, Aristotelem philosophum nātum esse memoriae mandātum est.

Aliquot deinde annīs post bellum Senonicum Thēbānī Lacedaemoniōs, duce Epamīnōndā, apud Leuctra superāvērunt, ac brevī post tempore in urbe Rōmā lēge Liciniī Stolōnis cōnsulēs creārī etiam ex plēbe coeptī, cum anteā iūs nōn esset nisi ex patriciīs gentibus fierī cōnsulem.

Circā annum deinde urbis conditae quadringentēsimum Philippus, Amyntae fīlius, Alexandrī pater, rēgnum Macedoniae adeptus est, inque eō tempore Alexander nātus est, paucīsque inde annīs post Platō philosophus ad Dionȳsium, Siciliae tyrannum posteriōrem, profectus est. Post deinde aliquantō tempore Philippus apud Chaerōnēam proeliō magnō Athēniēnsēs vīcit. Posteā Philippus ex īnsidiīs occīditur; et Alexander rēgnum adeptus ad subigendōs Persās in Asiam atque in Orientem trānsgressus est; plērāque parte orientālī subāctā, cum annōs ūndecim rēgnāvisset, obiit mortis diem. Neque ita longē post Aristotelēs philosophus et post aliquantō Dēmosthenēs vītā fūnctī sunt; iīsdemque fermē tempestātibus populus Rōmānus gravī ac diūtinō Samnītium bellō cōnflīctātus est, cōnsulēsque Tiberius Veturius et Spurius Postumius, in locīs inīquīs apud Caudium ā Samnītibus circumvāllātī ac sub iugum missī, turpī foedere factō discessērunt, ob eamque

[annō 384 a. C.]
Aristotelēs -is *m*
Thēbānī -ōrum *m* < Thēbae -ārum *f*, caput Boeōtiae
Epamīnōndās -ae *m*
[annō 371 a. C.]
Leuctra -ōrum *n*: oppidum Boeōtiae
[annō 367 a. C.]
C. Licinius Stolō -ōnis: tribūnus plēbis
cōnsulēs ex plēbe creārī coeptī *sunt* (: coepērunt)
Philippus *II*
Amyntās -ae *m*
Platō -ōnis *m*: philosophus Graecus illūstrissimus
[annō 338 a. C.]
Chaerōnēa -ae *f*: oppidum Boeōtiae
trāns-gredī -gressum = trānsīre
plēraque pars = māior p.
orientālis -e < oriēns
Dēmosthenēs -is *m*: ōrātor Athēniēnsis
vītā fungī = morī
diūtinus -a -um = diūturnus
cōnflīctāre = perturbāre
[annō 321 a. C.]
T. Veturius
circum-vāllāre = circumdare (vāllō, exercitū)
turpis = indignus

causam populī iussū Samnītibus per fētiāles dēditī receptī nōn sunt.

Post annum deinde urbis conditae quadringentēsimum ferē et septuāgēsimum bellum cum rēge Pyrrhō sūmptum est. Eā tempestāte Epicūrus Athēniēnsis et Zēnō Citiēnsis philosophī celebrēs erant, eōdemque tempore C. Fabricius Luscinus et Q. Aemilius Papus cēnsōrēs Rōmae fuērunt et P. Cornēlium Rūfīnum, quī bis cōnsul et dictātor fuerat, senātū mōvērunt: causamque istī notae subscrīpsērunt 'quod eum comperissent argentī factī cēnae grātiā decem pondō lībrās habēre.'

Zēnō -ōnis *m*
Citiēnsis -e < Citium, oppidum Cyprī

cēnsōrēs ad nōmen senātōris quī ob mōrēs indignōs (dē) senātū movendus est *notam* appōnunt et causam *sub-scrībunt*
argentum factum : ex quō vāsa facta sunt
pondō *abl* < pondus (= pondere)
lībra -ae *f*: pondus statūtum [*327 g*]

Annō deinde post Rōmam conditam quadringentēsimō fermē et nōnāgēsimō, cōnsulibus Appiō Claudiō (cui cognōmentum Caudex fuit) et Mārcō Fulviō Flaccō, bellum adversum Poenōs prīmum coeptum est, neque diū post Callimachus, poēta Cȳrēnēnsis, Alexandrīae apud Ptolomaeum rēgem celebrātus est.

[annō 264 a. C.]

caudex -icis *m* = stīpes

Cȳrēnēnsis -e < Cȳrēnae -ārum *f*, oppidum Libyae
celebrāre = celebrem facere, nōbilitāre

Annīs deinde posteā paulō plūribus quam vīgintī, pāce cum Poenīs factā, cōnsulibus C. Claudiō Centhōne (Appiī Caecī fīliō) et M. Semprōniō Tuditānō, prīmus omnium L. Līvius poēta fābulās docēre Rōmae coepit post Sophoclis et Eurīpidis mortem annīs plūs ferē centum et sexāgintā, post Menandrī annīs circiter quīnquāgintā duōbus. Claudium et Tuditānum cōnsulēs sequuntur Q. Valerius et C. Mamilius, quibus nātum esse Q. Ennium poētam M. Varrō in prīmō *Dē poētīs* librō scrīpsit (eumque, cum septimum et sexāgēsimum

[annō 240 a. C.]
Centhō -ōnis *m*

L. Līvius *Andronīcus*
fābulās docēre = fābulās populō dare in theātrō

Menander -drī *m*: poēta cōmicus (↔ tragicus) Graecus quī C cōmoediās scrīpsit
quibus *cōnsulibus* : quō annō [239 a.C.]

annum ageret, duodecimum *Annālem* scrīpsisse idque ipsum Ennium in eōdem librō dīcere).

Annō deinde post Rōmam conditam quīngentēsimō ūndēvīcēsimō Sp. Carvilius Rūga prīmus Rōmae dē amīcōrum sententiā dīvortium cum uxōre fēcit, quod sterilis esset iūrāssetque apud cēnsōrēs 'uxōrem sē līberum quaerundōrum causā habēre'; eōdemque annō Cn. Naevius poēta fābulās apud populum dedit.

Ac deinde annīs ferē post quīndecim bellum adversum Poenōs sūmptum est, atque nōn nimium longē post M. Catō ōrātor in cīvitāte et Plautus poēta in scaenā flōruērunt. Neque magnō intervāllō posteā Q. Ennius, et iūxtā Caecilius et Terentius, et subinde Pācuvius et, Pācuviō iam sene, Accius, clāriorque tunc in poēmatīs eōrum obtrectandīs Lūcīlius fuit.

Sed prōgressī longius sumus, cum fīnem prōposuerimus adnotātiunculīs istīs bellum Poenōrum secundum.

Q. Ennius XVIII librōs *Annālēs* versibus hexametrīs scrīpsit
quīngentēsimus -a -um = D (500.)
dīvortium -ī *n*: d. facere = uxōrem dīmittere (ē mātrimōniō)
sterilis -e ↔ fertilis; (mulier) s. = quae parere nōn potest
līber*um* = *-ōrum*
quaer*u*nd- = quaer*e*nd-
[annō 218 a. C.]
bellum *Pūnicum*
M. *Porcius* Catō -ōnis
Plautus, Caecilius, Terentius: poētae cōmicī Rōmānī
iūxtā = paulō post
sub-inde = continuō
Pācuvius, Accius: poētae tragicī Rōmānī
ob-trectāre = verbīs male tractāre/vexāre
Lūcīlius aliōs poētās versibus obtrectāvit
longius = nimis longē
prō-pōnere
adnotātiuncula -ae *f* = commentārius brevis

LIBRI SIBYLLINI

[*Ex A. Gelliī 'Noctium Atticārum' I, cap. XIX*]

Historia super librīs Sibyllīnīs ac dē Tarquiniō Superbō rēge.

In antīquīs annālibus memoria super librīs Sibyllīnīs haec prōdita est:


Anus hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum rēgem adiit novem librōs ferēns quōs esse dīcēbat

Sibyllīnus -a -um < Sibylla, vātēs
historia -ae *f* = fābula scrīpta
memoria = fābula antīqua
prōdere = trādere (nārrandō)
hospes -itis *m*/hospita -ae *f* = advena

sē velle
vēnun-dare = vēndere
percontārī = interrogāre

dē-sipere ↔ sapere
foculus -ī *m* = parvus focus quī portātur
de-ūrere = igne cōnsūmere
ec-quid = num

multō magis
dubium -ī *n*: procul/sine dubiō = certē
dēlīrāre = dēmēns esse
ex-ūrere = deūrere


foculus

cōnstantia/cōnfīdentia -ae *f* < cōnstāns/cōnfīdēns
īn-super habēre = dēspicere, contemnere
mercārī = emere
nihilō minor = nūllō modō minor

nusquam (locī)
vīsam *esse*
sacrārium -ī *n* = locus sacer
condere = dēpōnere
appellātī *sunt*
quīndecim-virī: XV virī quī negōtium pūblicum cūrant

iūs iūrandum = iūrandī fōrmula, id quod iūrātur

scrīptum -ī *n* = quod scrīptum est, liber
dē-iūrāre = iūrare

dīvīna ōrācula: 'eōs velle vēnundare'. Tarquinius pretium percontātus est. Mulier nimium atque immēnsum poposcit. Rēx, quasi anus aetāte dēsiperet, dērīsit.

Tum illa foculum cōram cum ignī appōnit, trēs librōs ex novem deūrit, et 'ecquid reliquōs sex eōdem pretiō emere vellet?' rēgem interrogāvit. Sed enim Tarquinius id multō rīsit magis dīxitque 'anum iam procul dubiō dēlīrāre!'

Mulier ibīdem statim trēs aliōs librōs exussit, atque id ipsum dēnuō placidē rogat ut trēs reliquōs eōdem illō pretiō emat.

Tarquinius ōre iam sēriō atque attentiōre animō fit, eam cōnstantiam cōnfīdentiamque nōn īnsuper habendam intellegit: librōs trēs reliquōs mercātur nihilō minōre pretiō quam quod erat petītum prō omnibus. Sed eam mulierem tunc ā Tarquiniō dīgressam posteā nusquam locī vīsam cōnstitit.

Librī trēs, in sacrārium conditī, 'Sibyllīnī' appellātī. Ad eōs quasi ad ōrāculum quīndecimvirī adeunt, cum dī immortālēs pūblicē cōnsulendī sunt.

DE IVRE IVRANDO

[*Ex A. Gelliī 'Noctium Atticārum' XI, cap. VI*]

Quod mulierēs Rōmae per Herculem nōn iūrāverint neque virī per Castorem.

In veteribus scrīptīs neque mulierēs Rōmānae per Herculem dēiūrant neque virī per Castorem. Sed cūr illae

nōn iūrāverint Herculem, nōn obscūrum est, nam Herculāneō sacrificiō abstinent. Cūr autem virī Castorem iūrantēs nōn appellāverint, nōn facile dictū est. Nusquam igitur scrīptum invenīre est (apud idōneōs quidem scrīptōrēs) aut 'mehercle' fēminam dīcere aut 'mecastor' virum; 'edepol' autem, quod iūs iūrandum per Pollūcem est, et virō et fēminae commūne est.

per Herculem

Herculāneus -a -um < Herculēs

invenīre est = invenīrī potest
idōneōs : bonōs
me-herc(u)le! = per Herculem!
me-castor! = per Castorem!
edepol! = per Pollūcem!

PENSVM A

Dē modīs verbōrum et participiīs

Porsenna, rēx Etrūscōrum, cum Iāniculum — [capere], virtūte Horātiī Coclitis — [prohibēre] est nē Tiberim — [trānsīre]. Quī, cum aliīs — [imperāre] ut pontem — [rescindere], ipse prō ponte — [stāre] sōlus Etrūscōs — [sustinēre], et ponte — [rumpere] in flūmen sē — [mittere] ut ad suōs — [natāre]. Ob hoc factum statua eī in Comitiō — [pōnere] est.

Cum Porsenna rēx urbem — [obsidēre], C. Mūcius senātum — [adīre] et patribus — [pollicērī] est 'sē rēgem — [occīdere] esse'. Cum ad hostēs — [trānsfugere] et in castra rēgis — [intrāre] ut prōmissum — [solvere], alium virum prō rēge — [occīdere]. Ā cūstōdibus — [apprehendere] et ad rēgem — [trahere] dextram ignī — [impōnere] — [exūrere]; ita manum — [pūnīre] quae (: cum) in caede — [peccāre]. Hāc virī cōnstantiā rēx ita — [permovēre] est ut Mūcium — [līberāre] et lēgātōs Rōmam — [mittere] quī (: ut) pācem — [compōnere]. Patrēs Mūciō virtūtis causā trāns Tiberim agrum — [dare].

Horātius Cocles -itis *m*

PENSVM B

In hōc — A. Gellius collēgit ea quae — ex librīs — [= chronicīs] dē temporibus quibus — Graecī Rōmānīque illūstrēs.

Ad annum — — [= CCLX] a.u.c. Aeschylus Athēnīs —

Vocābula nova:
commentārius
coniectūra
cognōmentum
poēma
tragoedia
philosophia
philosophus
tyrannis
astrologus
obsidiō
lībra
dīvortium
adnotātiuncula
historia
hospita
foculus
dubium
cōnstantia
cōnfīdentia

sacrārium
quīndecimvirī
iūs iūrandum
scrīptum
incōnspectus
chronicus
annālis
nātūrālis
tragicus
orientālis
diūtinus
cōmicus
factus
sterilis
ducentēsimus
quīngentēsimus
ūndēvīcēsimus
flōrēre
excerpere
mortem obīre
exagitāre
vexāre
dēscīscere
nōbilitāre
obrēpere
dēpellere
convincere
trānsgredī
cōnflīctāre
circumvāllāre
subscrībere
celebrāre
obtrectāre
prōpōnere
vēnundare
percontārī
dēsipere
deūrere
dēlīrāre
exūrere
mercārī
dēiūrāre
temere
plērusque
subinde
pondō
ecquid
īnsuper
nihilō
mehercle
mecastor
edepol

scrībere coepit et — [= nōbilitātus] est; eōdem tempore Coriolānus, ā tribūnīs plēbis — [= male tractātus] ad Volscōs ā Rōmānīs —. M. Mānlius Gallōs in — [< obsidēre] Capitōliī obrēpentēs —, sed posteā rēgnum affectāvisse — est.

Alexander in Asiam — est [= trānsiit] et — [= māiōre] parte Orientis subāctā mortem —.

Cēnsōrēs ad nōmen P. Cornēliī Rūfīnī — apposuērunt et causam — 'quod argentī factī X pondō — habēret.' Annō — — [DXIX] a.u.c. Sp. Carvilius Rūga prīmus Rōmae — cum uxōre fēcit. Lūcīlius aliōs poētās — in — suīs.

Anus, postquam trēs librōs — [= deussit], rēgem — est 'num reliquōs eōdem pretiō — [= emere] vellet?' Rēx, quī prīmō anum — [= furere] dīxerat, iam — [< cōnstāns] et — [< cōnfīdēns] eius admīrābātur.


'Mehercule' est — — per Herculem.

Synōnyma: diūturnus et —; vēndere et —; certē et sine —.

Contrāria: cōmicus et —; fertilis et —; sapere et —; cautē et —.

PENSVM C

Ā quō incipit A. Gellius?
Cūr nōn ab Homērō incipit?
Quandō Solō lēgēs Athēniēnsibus scrīpsit?
Quid Tarquiniō Superbō rēgnante factum est Athēnīs?
Quō duce Persae ad Marathōnem victī sunt?
Ubi Athēniēnsēs classem Persārum vīcērunt?
Quot tabulās lēgum decemvirī scrīpsērunt?
Quōmodo Sōcratēs mortem obiit?
Cūr M. Mānlius capitis damnātus est?
Platō et Aristotelēs quī fuērunt?
Quō Alexander trānsgressus est et quid ēgit?
Cūr P. Cornēlius Rūfīnus senātū mōtus est?
Quid scrīpsit Menander?
Quis Rōmae prīmus dīvortium fēcit et quārē?
Plautus quis fuit et quandō flōruit?



Hannibal ā patre Hamilcare Barcā iūre iūrandō adigitur

BELLVM PVNICVM SECVNDVM

[*Ex T. Līviī 'Ab urbe conditā' librīs XXI-XXX*]

Iūs iūrandum Hannibalis

[*Ex librō XXI:*]

Bellum māximē omnium memorābile quae umquam gesta sunt scrīptūrus sum, quod Hannibale duce Carthāginiēnsēs cum populō Rōmānō gessēre. Nam neque validiōrēs opibus ūllae inter sē cīvitātēs gentēsque contulērunt arma, neque hīs ipsīs tantum umquam vīrium aut rōboris fuit. Odiīs etiam prope māiōribus certāvērunt quam vīribus, Rōmānīs indignantibus quod victōribus victī ultrō īnferrent arma, Poenīs quod superbē avārēque crēderent imperitātum victīs esse.

memorābilis -e = memorandus
Hannibal -alis *m*
arma cōnferre (inter sē) : cōnflīgere
rōbur -oris *n* = vīs resistendī
: cum Rōmānī indignārentur quod..., Poenī quod...
ultrō = sine causā

Fāma est etiam Hannibalem annōrum fermē novem, puerīliter blandientem patrī Hamilcarī ut dūcerētur in Hispāniam, cum — perfectō Āfricō bellō — exercitum eō trāiectūrus sacrificāret, altāribus admōtum tāctīs

fāma est = narrātur fābula...
blandīrī (+*dat*) = blandīs verbīs suādēre
Hamilcarī *Barcae*
Āfricus -a -um
trā-icere -iēcisse -iectum = trādūcere

sacrīs iūre iūrandō adāctum 'sē, cum prīmum posset, hostem fore populō Rōmānō!'

Mors Hamilcaris et pueritia Hannibalis distulērunt *2*
bellum. Medius Hasdrubal inter patrem ac fīlium octō fermē annōs imperium obtinuit — quia gener erat, factiōnis Barcīnae opibus in imperiō positus. Is magis conciliandīs novīs gentibus quam bellō aut armīs rem Carthāginiēnsem auxit. Cēterum nihilō eī pāx tūtior fuit: barbarus eum quīdam palam obtruncāvit. Cum hōc Hasdrubale foedus renovāverat populus Rōmānus: 'ut fīnis utrīusque imperiī esset amnis Hibērus Saguntīnīsque mediīs inter imperia duōrum populōrum lībertās servārētur.'

In Hasdrubalis locum haud dubia rēs fuit quīnam *3*
successūrus esset, quia extemplō iuvenis Hannibal in praetōrium dēlātus 'imperātor'que ingentī omnium clāmōre atque assēnsū appellātus erat.

— Hunc vixdum pūberem Hasdrubal litterīs ad sē arcessīverat, āctaque rēs etiam in senātū fuerat: Barcīnīs nītentibus 'ut adsuēsceret mīlitiae Hannibal atque in paternās succēderet opēs', Hannō, alterīus factiōnis prīnceps, "Ego" inquit "istum iuvenem domī tenendum sub lēgibus, sub magistrātibus, docendum vīvere aequō iūre cum cēterīs cēnseō, nē quandō parvus hic ignis
incendium ingēns exsuscitet!" Paucī ac fermē optimus *4*
quisque Hannōnī assentiēbantur; sed, ut plērumque fit, māior pars meliōrem vīcit. —

ad-igere -ēgisse -āctum = cōgere; iūre iūrandō a. = ad iūs iūrandum a.
dif-ferre dis-tulisse dī-lātum: rem d. = moram facere reī
Hasdrubal -alis *m*: Hamilcaris Barcae gener

Barcīnus -a -um = quī Barcae gentī favet
opēs = potentia

nihilō tūtior = nūllō modō tūtior

Hibērus -ī *m*
Saguntīnī -ōrum *m* < Saguntum -ī *n*, cīvitās Hispāniae

quī-nam = quis-nam

succēdere = in locum alicuius sequī
praetōrium -ī *n* = locus in castrīs ubi dux habitat
assēnsus -ūs *m* < assentīre

vix-dum = vix adhūc

ācta *erat*
nītī = labōrāre, studēre, operam dare
ad-suēscere (+ *dat*) = ūsū nōscere et mōrem sibi facere
tenendum *esse*

magistrātus -ūs *m* = vir quī magistrātū fungitur


ex-suscitāre = excitāre
optimus quisque = bonī omnēs
assentīrī = assentīre

Missus Hannibal in Hispāniam prīmō statim adventū omnem exercitum in sē convertit. Hamilcarem iuvenem redditum sibi veterēs mīlitēs crēdere: eundem vigōrem in vultū vimque in oculīs intuērī. Numquam ingenium idem ad rēs dīversissimās, pārendum atque imperandum, habilius fuit. Itaque haud facile discernerēs utrum imperātōrī an exercituī cārior esset: neque Hasdrubal alium quemquam praeficere mālle, ubi quid fortiter ac strēnuē agendum esset, neque mīlitēs aliō duce plus cōnfīdere aut audēre. Nūllō labōre aut corpus fatīgārī aut animus vincī poterat. Equitum peditumque īdem longē prīmus erat. Prīnceps in proelium ībat, ultimus proeliō excēdēbat. Hās tantās virī virtūtēs ingentia vitia aequābant: inhūmāna crūdēlitās, perfidia plūs quam Pūnica, nihil vērī, nihil sānctī, nūllus deum metus, nūllum iūs iūrandum, nūlla religiō.

Cum hāc indole virtūtum atque vitiōrum trienniō sub Hasdrubale imperātōre meruit, nūllā rē quae agenda magnō futūrō ducī esset praetermissā.

5 Cēterum ex quō diē dux est dēclārātus, velut Italia eī prōvincia dēcrēta bellumque Rōmānum mandātum esset, Saguntīnīs īnferre bellum statuit. Quibus oppugnandīs quia haud dubiē Rōmāna arma movēbantur, in Olcadum prius fīnēs indūxit exercitum, ut nōn petiisse Saguntīnōs, sed fīnitimīs domitīs gentibus tractus ad id bellum vidērī posset. Cartalam, urbem opulentam, caput gentis eius, expugnat dīripitque. Victor exercitus

in sē convertit = sibi conciliāvit
: crēd*ēbant*
: intuē*bantur*
habilis -e = aptus
discernerēs : discernī poterat
mālle : māl*ēbat*
quid : aliquid
: cōnfīd*ēbant* aut audē*bant*
vitium -ī *n* ↔ virtūs
perfidia Pūnica: Rōmānī Poenōs perfidiae accūsābant
de*um* = de*ōrum*
trienni*ō* = *-um*
merēre = stipendia merēre
praetermittere = nōn agere, neglegere
velut = velut sī
prōvincia = regiō administranda
quibus oppugnandīs quia... : quia hīs oppugnandīs (= hōs oppugnandō)...
pet*i*isse = pet*īv*isse
tractus : necessitāte adductus
dī-ripere -uisse -reptum (< dis- + rapere) = populārī



(castra) hīberna = castra ubi mīlitēs hieme tenentur

prō-movēre ↔ removēre
prōmōtum *est*
captae *sunt*

oppidānī -ōrum *m* = cīvēs oppidī

procul *ā* Tagō
Tagus -ī *m*
grave praedā : onerātum praedā

trā-icere = trānsīre

impedītus = cuius mōtus impedītur

opulentusque praedā Carthāginem Novam in hīberna est dēductus.

Vēre prīmō in Vaccaeōs prōmōtum bellum. Hermandica et Arbocala, eōrum urbēs, vī captae. Arbocala et virtūte et multitūdine oppidānōrum diū dēfēnsa. Ab Hermandicā profugī concitant Carpētānōs, adortīque Hannibalem regressum ex Vaccaeīs haud procul Tagō flūmine agmen grave praedā turbāvēre. Hannibal proeliō abstinuit, castrīsque super rīpam positīs, cum prīma quiēs silentiumque ab hostibus fuit, amnem vadō trāiēcit, hostēsque invādere trānseuntēs statuit. Equitibus praecēpit 'ut, cum ingressōs aquam vidērent, adorīrentur impedītum agmen.' In rīpā elephantōs (quadrāgintā

autem erant) dispōnit. Carpētānī, clāmōre sublātō, passim sine ūllīus imperiō in amnem ruunt, mediōque alveō haudquāquam parī certāmine concursum. Pars magna flūmine absūmpta. Hannibal agmine quadrātō amnem ingressus fugam ex rīpā fēcit; vāstātīsque agrīs, intrā paucōs diēs Carpētānōs quoque in dēditiōnem accēpit. Et iam omnia trāns Hibērum praeter Saguntīnōs Carthāginiēnsium erant.

dis-pōnere = variīs locīs pōnere
(flūminis) alveus = spatium inter rīpās
haud-quāquam = nēquāquam
concursum *est* : concurrērunt

Saguntum exscissum

ex-scindere -scidisse -scissum = dēlēre


6 Lēgātī ā Saguntīnīs Rōmam missī auxilium ad bellum iam haud dubiē imminēns ōrantēs. Cōnsulēs tunc Rōmae erant P. Cornēlius Scīpiō et Ti. Semprōnius Longus. Quī cum, lēgātīs in senātum intrōductīs, dē rē pūblicā rettulissent, placuissetque 'mittī lēgātōs in Hispāniam ad rēs sociōrum īnspiciendās, quibus sī vidērētur digna causa, et Hannibalī dēnūntiārent ut ab Saguntīnīs, sociīs populī Rōmānī, abstinēret' — hāc lēgātiōne dēcrētā necdum missā, omnium spē celerius 'Saguntum oppugnārī' allātum est! Tunc relāta dē integrō rēs ad senātum est. Aliī 'terrā marīque rem gerendam' cēnsēbant, aliī 'nōn temere movendam rem tantam exspectandōsque ex Hispāniā lēgātōs.' Haec sententia, quae tūtissima vidēbātur, vīcit, lēgātīque missī Saguntum ad Hannibalem.


missī *sunt*
[annō 218 a. C.]
Ti./Tib. = Tiberius (praenōmen)
intrō-dūcere = indūcere
dē rē referre (ad senātum) = rem ad senātum referre
quibus sī vidērētur = quī, sī iīs vidērētur
dē-nūntiāre (ut) = imperāre, ēdīcere
nec-/neque-dum = et nōndum, nec adhūc
allātum : nūntiātum
rem gerendam (: bellum gerendum) *esse*
movendam *esse*
missī *sunt*

7 Dum ea Rōmānī parant cōnsultantque, iam Saguntum summā vī oppugnābātur. Cīvitās ea longē opulen-

cōnsultāre = cōnsulere (inter sē), dē cōnsiliō agere







tissima ultrā Hibērum fuit, sita passūs mīlle fermē ā marī. Hannibal īnfēstō exercitū ingressus fīnēs, pervāstātīs passim agrīs, urbem aggreditur. Angulus mūrī erat in plāniōrem patentiōremque vallem vergēns; adversus eum vīneās agere īnstituit, per quās ariēs moenibus admovērī posset. Sed et turris ingēns imminēbat, et mūrus, ut in suspectō locō, ēmūnītus erat, et iuventūs dēlēcta ubi plūrimum perīculī ac timōris ostendēbātur ibi vī māiōre obsistēbat. Ac prīmō missilibus submōvēre hostem, deinde ad ērumpendum etiam animus erat. Quibus tumultuāriīs certāminibus haud fermē plūrēs Saguntīnī cadēbant quam Poenī. Ut vērō Hannibal ipse, dum mūrum incautius subit, trāgulā graviter ictus cecidit, tanta circā fuga ac trepidātiō fuit ut nōn multum abesset quīn opera ac vīneae dēsererentur.

Obsidiō deinde per paucōs diēs magis quam oppug- *8*
nātiō fuit, dum vulnus ducis cūrārētur; per quod tem-

per-vāstāre = funditus vāstāre

(locus) plānus = aequus
vergere (in partem) = spectāre, vertī
īnstituere = incipere

ē-mūnīre = fīrmē mūnīre

ob-sistere = resistere
missile -is *n* = tēlum
sub-movēre = removēre

tumultuārius -a -um < tumultus

in-cautus -a -um = temerārius
trāgula -ae *f* = iaculum
nōn multum abest quīn fīat = paene fit
opera -um *n* = opera obsidiōnis, mūnītiōnēs
oppugnātiō -ōnis *f* < oppugnāre

pus ab apparātū operum ac mūnītiōnum nihil cessātum.
Itaque ācrius dē integrō coortum est bellum. Iam feriē-
bantur arietibus mūrī quassātaeque multae partēs erant.
Trēs deinceps turrēs quantumque inter eās mūrī erat
cum fragōre ingentī prōcidērunt. Captum oppidum eā
ruīnā crēdidērunt Poenī. Utrimque in pugnam prōcur-
9 sum est; hinc spēs, hinc dēspērātiō animōs irrītat. Cum
diū anceps fuisset certāmen, et Saguntīnīs, quia praeter
spem resisterent, crēvissent animī, clāmōrem repente
oppidānī tollunt hostemque in ruīnās mūrī expellunt,
postrēmō fūsum fugātumque in castra redigunt.

Interim 'ab Rōmā lēgātōs vēnisse' nūntiātum est; qui-
bus obviam ad mare missī ab Hannibale quī dīcerent
'nec tūtō eōs aditūrōs inter tot arma nec Hannibalī in
tantō discrīmine rērum operae esse lēgātiōnēs audīre!'
Appārēbat nōn admissōs prōtinus Carthāginem itūrōs.
Litterās igitur nūntiōsque ad prīncipēs factiōnis Barcī-
nae praemittit 'ut praepararent suōrum animōs, nē quid
10 pars altera grātificārī populō Rōmānō posset.' Itaque ea
quoque vāna lēgātiō fuit.

Hannō ūnus adversus senātum causam foederis, nōn
cum assēnsū audientium, ēgit: "Iuvenem flagrantem
cupīdine rēgnī viamque ūnam ad id cernentem sī suc-
cīnctus armīs legiōnibusque vīvat, ad exercitūs mīsistis.
Aluistis ergō hoc incendium quō nunc ārdētis! Sagun-
tum vestrī circumsedent exercitūs, unde arcentur foe-
dere — mox Carthāginem circumsedēbunt Rōmānae le-

apparātus -ūs *m* < apparāre
cessāre ab = neglegere
nihil (*adv* = nōn) cessātum *est*
quassāre = valdē quatere, paene effringere

prō-cidere -cidisse < -cadere

dēspērātiō -ōnis *f* < dēspērāre
irrītāre = (ad īram) incitāre, īnstīgāre
anceps = dubius
praeter spem = contrā spem

red-igere (< -agere) = retrō agere

missī *sunt (nūntiī)*

tūtō *adv* = sine perīculō

nōn operae est (mihi) = nōn tempus est, nōlō
appārēbat (= plānum erat) *lēgātōs*...itūrōs *esse*

pars : factiō
grātificārī + *dat* = grātum facere, placēre

causam alicuius agere = ōrātiōne dēfendere aliquem

suc-cingere = cingere

alere aluisse altum

circum-sedēre = obsidēre

vōs *ipsōs*

iūs gentium = iūs omnibus gentibus servandum
sustulit : rūpit

dē-poscere = dēdī exposcere

mittendōs *esse*

per-ōrāre = ōrātiōnis fīnem facere
-āsset = -ā*vi*sset

lēgātiōnibus mittendīs = lēgātiōnēs mittendō
mīlitem : mīlitēs

oppugnātiō atrōcior eōs adorta est = atrōcius oppugnārī coeptī sunt

minor in diēs = cotīdiē minor
omnium : o. rērum

exspectātiō -ōnis *f* < exspectāre
ūnicus -a -um = ūnus et sōlus

giōnēs! Utrum hostem an vōs an fortūnam utrīusque populī ignōrātis? Lēgātōs ab sociīs et prō sociīs venientēs bonus imperātor vester in castra nōn admīsit; iūs gentium sustulit. Hī tamen pulsī ad vōs vēnērunt. Rēs ex foedere repetuntur. Auctōrem culpae dēposcunt. 'Dēdēmus ergō Hannibalem?' dīcet aliquis. Ego ita cēnseō: lēgātōs extemplō mittendōs quī Hannibalī nūntient 'ut exercitum ab Saguntō abdūcat' ipsumque Hannibalem Rōmānīs dēdant!"

Cum Hannō perōrāsset, nēminī omnium certāre ōrā- *11*
tiōne cum eō necesse fuit, adeō prope omnis senātus Hannibalis erat. Respōnsum inde lēgātīs Rōmānīs est 'bellum ortum ab Saguntīnīs nōn ab Hannibale esse!'

Dum Rōmānī tempus terunt lēgātiōnibus mittendīs, Hannibal, quia fessum mīlitem proeliīs operibusque habēbat, paucōrum iīs diērum quiētem dedit. Interim animōs eōrum nunc īrā in hostēs stimulandō, nunc spē praemiōrum accendit.

Saguntīnī nōn nocte nōn diē umquam cessāverant ab opere, ut novum mūrum ab eā parte quā patefactum oppidum ruīnīs erat reficerent. Inde oppugnātiō eōs aliquantō atrōcior quam ante adorta est. Utrimque summā vī et mūniunt et pugnant, sed minōrem in diēs urbem Saguntīnī faciunt. Simul crēscit inopia omnium longā obsidiōne, et minuitur exspectātiō externae opis, cum tam procul Rōma, ūnica spēs, circā omnia hostium essent...

12 Temptāta deinde est exigua pācis spēs per Alorcum Hispānum. Trāditō palam tēlō cūstōdibus hostium, ad praetōrem Saguntīnum est dēductus. Quō cum extemplō concursus omnis generis hominum esset factus, submōtā cēterā multitūdine senātus Alorcō datus est, *13* cuius tālis ōrātiō fuit: "Postquam nec ab Rōmānīs vōbīs ūlla est spēs, nec vestra vōs iam aut arma aut moenia satis dēfendunt, pācem afferō ad vōs magis necessāriam quam aequam: victor Hannibal urbem vōbīs adimit, locum assignātūrus in quō novum oppidum aedificētis; aurum et argentum omne, pūblicum prīvātumque, ad sē iubet dēferrī; corpora vestra, coniugum ac līberōrum vestrōrum servat inviolāta, sī inermēs cum bīnīs vestīmentīs velītis ab Saguntō exīre. Haec victor hostis imperat. Haec, quamquam sunt gravia atque acerba, fortūna vestra vōbīs suādet. Equidem vel haec patienda cēnseō potius quam trucīdārī corpora vestra, rapī trahīque ante ōra vestra coniugēs ac līberōs bellī iūre sinātis!"

14 Ad haec audienda cum permixtum senātuī esset populī concilium, repente prīmōrēs, priusquam respōnsum darētur, argentum aurumque omne ex pūblicō prīvātōque in forum collātum in ignem conicientēs eōdem plērīque sēmet ipsī praecipitāvērunt! Cum ex eō pavor ac trepidātiō tōtam urbem pervāsisset, alius īnsuper tumultus ex arce audītur. Turris diū quassāta prōciderat perque ruīnam eius cohors Poenōrum impetū factō,

Hispānus -ī *m* = incola Hispāniae
praetor -ōris *m* = praefectus urbis

senātum alicui dare = aliquem in senātum admissum audīre

magis necessāriam quam aequam = nōn aequam sed necessāriam

as-signāre (< ad-) = tribuere (suam cuique partem), ūtendum trādere

in-violātus -a -um = incolumis

acerbus -a -um = molestus, dūrus
vel = etiam
patienda : *vōbīs* patienda *esse*

ante ōra : ante oculōs

per-miscēre -uisse -mixtum = miscēre

prīvātum -ī *n* = pecūnia prīvāta (↔ pūblicum)

sē-met = sē

per-vādere
īn-super = praetereā

statiō -ōnis *f* = mīlitēs quī locum cūstōdiunt
solitus -a -um = quī solet esse/fierī
sibi cūnctandum *esse*
mōmentum -ī *n* (temporis) = tempus brevissimum

cum signum imperātōrī dedisset 'nūdātam statiōnibus cūstōdiīsque solitīs hostium esse urbem', nōn cūnctandum in tālī occāsiōne ratus Hannibal tōtīs vīribus aggressus urbem mōmentō cēpit, signō datō ut omnēs pūberēs interficerentur!

sub idem tempus = eōdem ferē tempore
excidium -ī *n* < ex-scindere
maerōr -ōris *m* < maerēre
maeror patrēs cēpit
summa -ae *f* ↔ pars; s. rērum = ūniversae rēs
cōnsulere = inter sē cōnsulere, cōnsultāre

Sub idem ferē tempus et lēgātī quī redierant ab Carthāgine Rōmam rettulērunt 'omnia hostīlia esse', et Saguntī excidium nūntiātum est. Tantusque simul maeror patrēs et pudor nōn lātī auxiliī et īra in Carthāginiēnsēs metusque dē summā rērum cēpit — velut sī iam ad portās hostis esset — ut trepidārent magis quam cōnsulerent. *16*

Bellum Carthāginiēnsibus indictum

sortīrī = sortibus ūtī (prōvinciae cōnsulibus mandantur sortibus)
ēvēnit : mandāta est
VI legiōnēs dēcrētae *sunt* : VI legiōnēs facere dēcrētum est
(nāvis) quīnque-rēmis = nāvis longa quae quīnōs rēmōs habet
iūstus = rēctus, plēnus

Nōminātae iam anteā cōnsulibus prōvinciae erant; tum sortīrī iussī. Cornēliō Hispānia, Semprōniō Āfrica cum Siciliā ēvēnit. Sex in eum annum dēcrētae legiōnēs et classis quanta parārī posset. Inter cōnsulēs ita cōpiae dīvīsae: Semprōniō datae legiōnēs duae et sociōrum sēdecim mīlia peditum, equitēs mīlle octingentī, nāvēs longae centum sexāgintā. Cum hīs terrestribus maritimīsque cōpiīs Ti. Semprōnius missus in Siciliam. Cornēliō sexāgintā quīnquerēmēs datae et duae Rōmānae legiōnēs cum suō iūstō equitātū et quattuordecim mīlibus sociōrum peditum, equitibus mīlle sescentīs. *17*

com-parāre = parāre atque colligere
L. Aemilium *Paulum* (cōnsul annō 219 a. C. cum M. Līviō)

Hīs ita comparātīs, lēgātōs māiōrēs nātū, Q. Fabium, M. Līvium, L. Aemilium, C. Licinium, Q. Baebium in *18*

Āfricam mittunt ad percontandōs Carthāginiēnsēs 'pūblicōne cōnsiliō Hannibal Saguntum oppugnāsset?' et, sī (id quod factūrī vidēbantur) fatērentur ac dēfenderent pūblicō cōnsiliō factum, ut indīcerent populō Carthāginiēnsī bellum.

Rōmānī postquam Carthāginem vēnērunt, cum senātus datus esset et Q. Fabius nihil ultrā quam ūnum quod mandātum erat percontātus esset, tum ex Carthāginiēnsibus ūnus: "Ego nōn 'prīvātō pūblicōne cōnsiliō Saguntum oppugnātum sit?' quaerendum cēnseam, sed 'utrum iūre an iniūriā?' Sī vōs nōn tenent foedera vestra nisi ex auctōritāte aut iussū vestrō icta, nē nōs quidem Hasdrubalis foedus, quod nōbīs īnsciīs īcit, obligāre potuit. Proinde omittite Saguntī atque Hibērī mentiōnem facere, et quod diū parturit animus vester, aliquandō pariat!" Tum Rōmānus, sinū ex togā factō, "Hīc" inquit "vōbīs bellum et pācem portāmus: utrum placet, sūmite!" Sub hanc vōcem haud minus ferōciter 'daret utrum vellet!' succlāmātum est. Et cum is, iterum sinū effūsō, 'bellum dare' dīxisset, 'accipere sē' omnēs respondērunt, 'et quibus acciperent animīs iīsdem sē gestūrōs!'

Iter Hannibalis in Italiam

21 Hannibal, Saguntō captō, Carthāginem Novam in hīberna concesserat. Per tōtum tempus hiemis quiēs inter labōrēs renovāvit corpora animōsque ad omnia dē integrō patienda.

-āsset = -*āv*isset

(*id*) factum *esse*

iīs datus esset
nihil ultrā : nihil aliud

ego nōn quaerendum *esse* cēnseō...
prīvātō pūblicō-ne = prīvātō-ne *an* pūblicō

ex auctōritāte vestrā = vōbīs auctōribus
ob-ligāre = officiō tenēre

o-mitte (+ *inf*) = nōlī
mentiōnem facere reī (*gen*) = rem memorāre
parturīre = paritūrus esse (< parere)

sub : respondēns ad "dā utrum vīs!"
suc-clāmāre (< sub-) = clāmāre respōnsum
effūsō: solūtō, apertō
bellum *sē* dare
"accipimus, et iīsdem animīs quibus accipimus gerēmus (bellum)!"

[annō 218 a. C.]

Pȳrēnaeus -ī *m*
cōpiās flūmen trādūcere = c. trāns f. dūcere
periocha -ae *f* = breviārium; *Periochae* Līviī sunt incertī auctōris
(montem) superāre : trānsgredī
labōriōsus -a -um = magnī labōris
trānsitus -ūs *m* < trānsīre
equester -tris -tre < equus
Tīcīnus -ī *m*

nōmen 'Āfricānī' = nōmen 'Āfricānus'

Āpennīnus -ī *m*

Cn. Cornēlius Scīpiō: cōnsul annō 222 a. C., frāter cōnsulis P. Cornēliī Scīpiōnis

Inde profectus ad Hibērum per maritimam ōram dūcit. Nōnāgintā mīlia peditum, duodecim mīlia equitum Hibērum trādūxit. Inde Pȳrēnaeum trānsgreditur.

[*Ex Periochā librī XXI:*]

Hannibal, superātō Pȳrēnaeō saltū, per Galliam ad Alpēs vēnit, et labōriōsō per eās trānsitū dēscendit in Italiam, et ad Tīcīnum flūmen Rōmānōs equestrī proeliō fūdit; in quō vulnerātum P. Cornēlium Scīpiōnem prōtēxit fīlius, quī 'Āfricānī' posteā nōmen accēpit. Iterumque exercitū Rōmānō ad flūmen Trebiam fūsō, Hannibal Āpennīnum quoque trānsiit.

Cn. Cornēlius Scīpiō in Hispāniā contrā Poenōs prosperē pugnāvit.

Lacus Trasumennus

[*Ex Periochā librī XXII:*]

vigiliae -ārum *f* ↔ somnus
[annō 217 a. C.]
cōs. = cōnsul

circum-venīre = hostīliter circumdare

Hannibal, per continuās vigiliās in palūdibus oculō āmissō, in Etrūriam vēnit. C. Flāminius cōs., homō temerārius, contrā auspicia profectus īnsidiīs ab Hannibale circumventus ad Trasumennum lacum cum exercitū caesus est.

[*Ex librō XXII:*]


quod agrī est = id agrī quod est

nāta : apta

per-angustus = valdē angustus
patēscere = patēre incipere, patēns fierī

Hannibal quod agrī est inter Cortōnam urbem Trasumennumque lacum omnī clāde bellī pervāstat. Et iam pervēnerat ad loca nāta īnsidiīs, ubi māximē montēs Cortōnēnsēs Trasumennus subit. Via tantum interest perangusta, deinde paulō lātior patēscit campus, inde

collēs assurgunt. Ibi castra in apertō locat, ubi ipse cum Āfrīs modo Hispānīsque cōnsīderet; Baliārēs cēteramque levem armātūram post montēs circumdūcit; equitēs ad ipsās faucēs saltūs — tumulīs aptē tegentibus — locat, ut, ubi intrāssent Rōmānī, obiectō equitātū clausa omnia lacū ac montibus essent.



Flāminius, cum prīdiē sōlis occāsū ad lacum pervēnisset, inexplōrātō posterō diē vixdum satis certā lūce angustiīs superātīs, postquam in patentiōrem campum pandī agmen coepit, id tantum hostium quod ex adversō erat cōnspexit: ab tergō ac super caput dēcēpēre īnsidiae.

Poenus, ubi (id quod petierat) clausum lacū ac montibus et circumfūsum suīs cōpiīs habuit hostem, signum omnibus dat simul invādendī. Quī ubi dēcucurrērunt, eō magis Rōmānīs subita atque imprōvīsa rēs fuit, quod

as-surgere = surgere

Baliārēs (-ium *m*) īnsulās Baliārēs incolunt
levis armātūra -ae *f* = mīlitēs leviter armātī
faucēs -ium *f* = locus in monte angustus
ob-icere -iēcisse -iectum = oppōnere

in-explōrātō *adv* = locīs nōn explōrātīs
angustiae -ārum *f* (< angustus) = faucēs
id hostium = eōs hostēs
ex adversō (= ā fronte) : ante sē
dēcēpēre *eum* īnsidiae : īnsidiīs dēceptus est

Poenus : Hannibal

circum-fundere = circum-sistere
currere cucurrisse

im-prōvīsus -a -um = inexspectātus

nebula (in) campō sēderat : nebula campum operiēbat

: pugnārī *coepit*
expedīre (↔ impedīre) = parātum facere

terrōre perculsīs



terrae mōtus

adhortātor -ōris = quī adhortātur
factus *est*

ut nēmō pugnantium eum mōtum terrae sēnserit...
prō-sternere = humī prōicere, dēlēre

rōbora virōrum = virī validissimī

*eum*que īnsignem

Īnsubrēs: *sg* -ber -bris

nōscitāre = agnōscere

dē-populārī = populārī
victima -ae *f* = hostia

orta ex lacū nebula campō quam montibus dēnsior sēderat. Rōmānus clāmōre undique ortō sē circumventum esse sēnsit, et ante in frontem lateraque pugnārī coeptum est quam satis īnstruerētur aciēs aut expedīrī arma stringīque gladiī possent.

5 Cōnsul, perculsīs omnibus ipse satis impavidus, turbātōs ōrdinēs īnstruit, ut tempus locusque patitur, et quācumque adīre audīrīque potest, adhortātur ac stāre ac pugnāre iubet. Cēterum prae strepitū ac tumultū nec cōnsilium nec imperium accipī poterat. Deinde, ubi ab lateribus montēs ac lacus, ā fronte et ab tergō hostium aciēs claudēbat appāruitque nūllam nisi in dexterā ferrōque salūtis spem esse, tum sibi quisque dux adhortātorque factus ad rem gerendam, et nova dē integrō exorta pugna est. Tantusque fuit ārdor animōrum, adeō intentus pugnae animus, ut eum mōtum terrae quī multārum urbium Italiae magnās partēs prōstrāvit āvertitque cursū rapidōs amnēs, nēmō pugnantium sēnserit!

6 Trēs fermē hōrās pugnātum est et ubīque atrōciter. Circā cōnsulem tamen ācrior īnfēstiorque pugna est. Eum et rōbora virōrum sequēbantur, et ipse, quācumque in parte premī ac labōrāre sēnserat suōs, impigrē ferēbat opem, īnsignemque armīs et hostēs summā vī petēbant et tuēbantur cīvēs — dōnec Īnsuber eques faciē quoque nōscitāns cōnsulem "Ēn" inquit "hic est" populāribus suīs "quī legiōnēs nostrās cecīdit agrōsque et urbem est dēpopulātus! Iam ego hanc victimam Mānibus perēmp-

tōrum foedē cīvium dabō!" subditīsque calcāribus equō per cōnfertissimam hostium turbam impetum facit cōnsulemque lanceā trānsfīxit!

Magnae partis fuga inde prīmum coepit, et iam nec lacus nec montēs pavōrī obstābant: per omnia velut caecī ēvādunt, armaque et virī super alium aliī praecipitantur. Pars magna, ubi locus fugae deest, in aquam prōgressī aut hauriēbantur gurgitibus aut ab ingressīs aquam hostium equitibus passim trucīdābantur.

7 Haec est nōbilis ad Trasumennum pugna atque inter paucās memorāta populī Rōmānī clādēs. Quīndecim mīlia Rōmānōrum in aciē caesa sunt, decem mīlia sparsā fugā per omnem Etrūriam dīversīs itineribus urbem petiēre. Duo mīlia quīngentī hostium in aciē, multī posteā ex vulneribus periēre.

Rōmae ad prīmum nūntium clādis eius cum ingentī terrōre ac tumultū concursus in forum populī est factus. Mātrōnae vagae per viās 'quae repēns clādēs allāta quaeve fortūna exercitūs esset?' obviōs percontantur. Et cum frequentis cōntiōnis modō turba in Comitium et Cūriam versa magistrātūs vocāret, tandem haud multō ante sōlis occāsum M. Pompōnius praetor "Pugnā" inquit "magnā victī sumus." Et quamquam nihil certius ex eō audītum est, tamen alius ab aliō implētī rūmōribus domōs referunt: 'cōnsulem cum magnā parte cōpiārum caesum; superesse paucōs aut fugā passim per Etrūriam sparsōs aut captōs ab hoste.' Quot cāsūs exer-

sub-dere (< -dare): s. calcāria equō = equum calcāribus incitāre
cōnfertus -a -um = dēnsus
lancea -ae *f* = hasta Gallōrum

pavōrī : pavidīs

calcar -āris *n*


haurīrī = mergī
gurgitēs : aqua turbida, flūctūs

pet*i*ēre = pet*īv*ēre

vagus -a -um = errāns
repēns -entis = repentīnus

cōntiō frequēns = c. multōrum, c. celebris
magistrātūs: cōnsulēs, cēnsōrēs, tribūnī plēbis, praetōrēs, cēt.
praetor = magistrātus quī iūdiciīs praeest

alius ab aliō : aliī ab aliīs

domōs = *in* domōs, domum

quot cāsūs fuerant : quot mīlitēs ceciderant

propinquus -ī *m* = cognātus
ignōrantium : cum ignōrārent
certum habēre = certō scīre

citūs victī fuerant, tot in cūrās distractī animī eōrum erant quōrum propinquī sub C. Flāminiō cōnsule meruerant, ignōrantium quae cuiusque suōrum fortūna esset; nec quisquam satis certum habet quid aut spēret aut timeat.

circumfundī eī = circumsistere eum
ā-vellere = abripere
in-quīrere -sīvisse/-siisse -sītum = quaerere
variōs vultūs cernerēs : variī vultūs cernī poterant
redeuntibus circumfūsōs = quī redeuntibus circumfundēbantur

Posterō ac deinceps aliquot diēbus ad portās māior prope mulierum quam virōrum multitūdō stetit, aut suōrum aliquem aut nūntiōs dē iīs opperiēns; circumfundēbanturque obviīs scīscitantēs, neque āvellī, priusquam ōrdine omnia inquīsiissent, poterant. Inde variōs vultūs dīgredientium ab nūntiīs cernerēs, ut cuique laeta aut trīstia nūntiābantur, grātulantēsque aut cōnsōlantēs redeuntibus domōs circumfūsōs.

sōspes -itis = salvus
fīliō offerrī = fīliō appārēre/obviam īre
-āsse = -ā*vi*sse
ex-animārī = exspīrāre

Fēminārum praecipuē et gaudia īnsignia erant et lūctūs. Ūnam in ipsā portā sōspitī fīliō repente oblātam in complexū eius exspīrāsse ferunt; alteram, cui mors fīliī falsō nūntiāta erat, maestam sedentem domī, ad prīmum cōnspectum redeuntis fīliī gaudiō nimiō exanimātam.

Senātum praetōrēs per diēs aliquot ab ortō ūsque ad occidentem sōlem in Cūriā retinent, cōnsultantēs quōnam duce aut quibus cōpiīs resistī victōribus Poenīs posset.

prō-praetor = magistrātus quī annō postquam praetor fuit prōvinciam administrat vel exercituī imperat

Priusquam satis certa cōnsilia essent, repēns alia nūntiātur clādēs: quattuor mīlia equitum, cum C. Centēniō prōpraetōre missa ad collēgam ab Servīliō cōnsule, in Umbriā ab Hannibale circumventa. *8*

Itaque dictātōrem populus creāvit Q. Fabium Māximum et magistrum equitum M. Minucium Rūfum, iīsque negōtium ab senātū datum 'ut mūrōs turrēsque urbis fīrmārent, et praesidia dispōnerent quibus locīs vidērētur, pontēsque rescinderent flūminum: prō urbe dīmicandum esse ac Penātibus, quandō Italiam tuērī nequiissent.'

iīs locīs quibus *iīs* vidērētur
re-scindere = dēstruere, abrumpere
quandō = quoniam
ne-quīre -īvisse/-iisse = nōn posse

Q. Fabius Māximus Cūnctātor

cūnctātor -ōris *m* = quī cūnctātur

[*Ex Periochā librī XXII:*]

Cum deinde Q. Fabius Māximus dictātor adversus Hannibalem missus nōllet aciē cum eō cōnflīgere, M. Minucius, magister equitum, ferōx et temerārius, crīminandō dictātōrem tamquam sēgnem et timidum effēcit ut populī iussū aequārētur eī cum dictātōre imperium; dīvīsōque exercitū, cum inīquō locō cōnflīxisset et in magnō discrīmine legiōnēs eius essent, superveniente cum exercitū Fabiō Māximō discrīmine līberātus est. Quō beneficiō victus castra cum eō iūnxit et 'patrem' eum salūtāvit idemque facere mīlitēs iussit.

crīminārī (< crīmen) = accūsāre
aequāre = aequum facere

Hannibal, vāstātā Campāniā, inter Casilīnum oppidum et Calliculam montem ā Fabiō clausus, sarmentīs ad cornua boum alligātīs et incēnsīs, praesidium Rōmānōrum, quod Calliculam īnsidēbat, fugāvit, et sīc trānsgressus est saltum.

claudere = inclūdere
sarmentum -ī *n* = rāmus tenuis, virga
al-ligāre < ad-ligāre
īn-sidēre = occupātum tenēre

Ūnus homō nōbīs cūnctandō restituit rem.

rem : rem pūblicam
[*Ennius: Annālēs 370*]

Cannae

[*Ex Eutropiī Breviāriī librō III:*]

[annō 216 a. C.]

alicui succēdere = in locum alicuius s.
callidus -a -um = prūdēns ac perītus

impatientia -ae *f* < impatiēns
contrā-dīcere
vīcus -ī *m* = parvum oppidum

10 Quīngentēsimō et quadrāgēsimō annō ā conditā urbe L. Aemilius Paulus C. Terentius Varrō contrā Hannibalem mittuntur Fabiōque succēdunt; quī abiēns ambōs cōnsulēs monuit ut Hannibalem, callidum et impatientem ducem, nōn aliter vincerent quam proelium differendō. Vērum cum impatientiā Varrōnis cōnsulis — contrādīcente alterō cōnsule — apud vīcum quī Cannae appellātur in Āpūliā pugnātum esset, ambō cōnsulēs ab Hannibale vincuntur.

[*Ex Līviī librō XXII:*]

Poenum : Poenōs

ventum est : vēnērunt
bīna (II) castra
com-mūnīre = mūnīre
af-fluere < ad-
aditus -ūs *m* < adīre
aquātor -ōris *m* = quī *aquātur* (=aquam petit)

līberius : facilius
aquārī = aquam petere

44 Cōnsulēs satis explōrātīs itineribus sequentēs Poenum, ut ventum ad Cannās est et in cōnspectū Poenum habēbant, bīna castra commūniunt. Aufidus amnis, utrīsque castrīs affluēns, aditum aquātōribus haud sine certāmine dabat; ex minōribus tamen castrīs, quae posita trāns Aufidum erant, līberius aquābantur Rōmānī, quia rīpa ulterior nūllum habēbat hostium praesidium.

Numidae: equitēs ex Numidiā

(turba) incondita : nōn īnstrūcta
cum *Numidae*... fugāvissent

ē-vehere

Rōmānīs vīsum *est*
auxiliō : auxiliīs
: summa imperiī eō diē penes Paulum fuit: ea modo ūna causa tenuit (: prohibuit) R. nē...

45 Hannibal Numidās ad invādendōs ex minōribus castrīs Rōmānōrum aquātōrēs trāns flūmen mittit. Quam inconditam turbam cum vixdum in rīpam ēgressī clāmōre ac tumultū fugāssent, in statiōnem quoque prō vāllō locātam atque ipsās prope portās ēvectī sunt. Id vērō adeō indignum vīsum ab tumultuāriō auxiliō iam etiam castra Rōmāna terrērī, ut ea modo ūna causa, nē extemplō trānsīrent flūmen dīrigerentque aciem, tenue-

rit Rōmānōs: quod summa imperiī eō diē penes Paulum fuit.

summa imperiī = ūniversum imperium

Itaque posterō diē Varrō, nihil cōnsultō collegā, īnstrūctās cōpiās flūmen trādūxit, sequente Paulō, quia magis nōn probāre quam nōn adiuvāre cōnsilium poterat. Trānsgressī flūmen eās quoque quās in castrīs minōribus habuerant cōpiās suīs adiungunt, atque ita īnstruunt aciem: in dextrō cornū — id erat flūminī propius — Rōmānōs equitēs locant, deinde peditēs; laevum cornū extrēmī equitēs sociōrum, intrā peditēs, ad medium iūnctī legiōnibus Rōmānīs, tenuērunt. Ex cēterīs levium armōrum auxiliīs prīma aciēs facta. Cōnsulēs cornua tenuērunt, Terentius laevum, Aemilius dextrum; Geminō Servīliō media pugna tuenda data.

cōnsilium nōn probāre magis quam (: nec vērō) nōn adiuvāre poterat


eās cōpiās quās...

extrēmī: in extrēmā parte locātī

prīma aciēs = prīma aciēī pars

media pugna: media aciēs

Cn. Servīlius Geminus (cōs. annō 217 a. C.)



proelium Cannēnse

46 Hannibal lūce prīmā Baliāribus levīque aliā armātūrā praemissā trānsgressus flūmen, ut quōsque trādūxerat ita in aciē locābat: Gallōs Hispānōsque equitēs prope


utraque cornua = utrumque cornū
inter-pōnere hīs (*dat*) = inter hōs pōnere

Maharbal -alis *m*

Māgō -ōnis *m*

prōcursum *est* ab auxiliīs = auxilia prōcurrērunt


cuneus -ī *m*



claudēbant : obstābant

dē-trahere

magnā (ex) parte
ācrius quam diūtius = ācriter magis quam diū (: nōn diū, sed ācriter)



cōn-stāre = fīrmē stāre
im-pellere = pellere

prō-minēre = ēminēre

frōns = prīma aciēs

dedit : fēcit

ir-ruere < in-ruere

āla = cornū

hinc : hāc dē causā, itaque

rīpam laevō in cornū adversus Rōmānum equitātum; dextrum cornū Numidīs equitibus datum; media aciēs peditibus fīrmāta ita ut Āfrōrum utraque cornua essent, interpōnerentur hīs mediī Gallī atque Hispānī. Numerus omnium peditum quī tum stetēre in aciē mīlium fuit quadrāgintā, decem equitum. Ducēs cornibus praeerant, sinistrō Hasdrubal, dextrō Maharbal; mediam aciem Hannibal ipse cum frātre Māgōne tenuit.

Clāmōre sublātō prōcursum ab auxiliīs et pugna levi- *47*
bus prīmum armīs commissa. Deinde equitum Gallōrum Hispānōrumque laevum cornū cum dextrō Rōmānō concurrit, minimē equestris mōre pugnae: frontibus enim adversīs concurrendum erat, quia hinc amnis, hinc peditum aciēs claudēbant. Stantibus postrēmō equīs vir virum amplexus dētrahēbat equō! Pedestre magnā iam ex parte certāmen factum erat; ācrius tamen quam diūtius pugnātum est, pulsīque Rōmānī equitēs terga vertunt.

Sub equestris fīnem certāminis coorta est peditum pugna, prīmō et vīribus et animīs pār, dum cōnstābant ōrdinēs Gallīs Hispānīsque. Tandem Rōmānī impulēre hostium cuneum ā cēterā prōminentem aciē. Quī cuneus ut pulsus aequāvit frontem prīmum, dein cēdendō etiam sinum in mediō dedit, Āfrī circā iam cornua fēcerant irruentibusque incautē in medium Rōmānīs circumdedēre ālās, mox cornua extendendō clausēre et ab tergō hostēs. Hinc Rōmānī, dēfūnctī nēquīquam proe-

liō ūnō, omissīs Gallīs Hispānīsque, quōrum terga cecīderant, adversus Āfrōs integram pugnam ineunt, nōn tantum eō inīquam quod inclūsī adversus circumfūsōs, sed etiam quod fessī cum recentibus pugnābant.

49 Paulus, quamquam prīmō statim proeliō fundā graviter ictus fuerat, tamen et occurrit saepe Hannibalī et aliquot locīs proelium restituit, prōtegentibus eum equitibus Rōmānīs, omissīs postrēmō equīs, quia cōnsulem et ad regendum equum vīrēs dēficiēbant. Equitum pedestre proelium — iam haud dubiā hostium victōriā — fuit, cum victī morī in vestīgiō māllent quam fugere, victōrēs trucīdārent quōs pellere nōn poterant. Pepulērunt tamen iam paucōs superantēs et labōre ac vulneribus fessōs.

Cn. Lentulus tribūnus mīlitum, cum praetervehēns equō sedentem in saxō cruōre opplētum cōnsulem vīdisset, "L. Aemilī" inquit, "quem ūnum īnsontem culpae clādis hodiernae deī respicere dēbent, cape hunc equum, dum et tibi vīrium aliquid superest et comes ego tē tollere possum ac prōtegere. Nē fūnestam hanc pugnam morte cōnsulis fēceris! Etiam sine hōc lacrimārum satis lūctūsque est." Ad ea cōnsul: "Tū quidem, Cn. Cornēlī, macte virtūte estō! Sed cavē frūstrā miserandō exiguum tempus ē manibus hostium ēvādendī absūmās! Abī, nūntiā patribus 'urbem Rōmānam mūniant ac, priusquam victor hostis adveniat, praesidiīs firment!' Mē in hāc strāge mīlitum meōrum patere exspī-

omissīs : relictīs

in-īquus = impār

recēns -entis = novus atque integer

prīmō proeliō = initiō proeliī



funda -ae *f*

(vīrēs) eum dēficiunt = eī dēsunt

in vestīgiō : in locō ubi stābant

quōs : *eōs* quōs

superāre = superesse

Cn. *Cornēlius* Lentulus

praeter-vehēns = praeter-vectus

op-plēre -ēvisse -ētum = complēre et operīre

īnsōns culpae (*gen*) = sine culpā

fūnestus -a -um (< fūnus) = trīstissimus

satis lacrimārum

macte virtūte estō! = grātulor tibi dē virtūte, bene facis

cavē tempus absūmās = cavē *nē* t. absūmās (: nōlī t. absūmere)

ut urbem mūniant

patere mē exspīrāre! = sine mē exspīrāre!

rāre!" Haec eōs agentēs prius turba fugientium cīvium, deinde hostēs oppressēre. Cōnsulem ignōrantēs quis esset obruēre tēlīs; Lentulum in tumultū abripuit equus. Tum undique effūsē fugiunt.

ob-ruere -uisse -utum = operīre (rē suprā iniectā)

Septem mīlia hominum in minōra castra, decem in māiōra, duo fermē in vīcum ipsum Cannās perfūgērunt, quī extemplō ab equitibus, nūllō mūnīmentō tegente vīcum, circumventī sunt. Cōnsul alter cum quīnquāgintā ferē equitibus Venusiam perfūgit.

mūnīmentum -ī *n* = mūnītiō (mūrus, vāllum)
cōnsul alter : Varrō

Quadrāgintā quīnque mīlia quīngentī peditēs, duo mīlia septingentī equitēs caesī dīcuntur; in hīs ambō cōnsulum quaestōrēs et ūndētrīgintā tribūnī mīlitum, cōnsulārēs quīdam praetōriīque (inter eōs Cn. Servīlium Geminum et M. Minucium numerant, quī magister equitum priōre annō fuerat), octōgintā praetereā senātōrēs. Capta eō proeliō tria mīlia peditum et equitēs mīlle et quīngentī dīcuntur.

quaestor -ōris *m* = magistrātus quī in bellō ducem adiuvat
cōnsulāris -is *m* = quī cōnsul fuit
praetōrius -ī *m* = quī praetor fuit

50 Haec est pugna Cannēnsis, Alliēnsī clādī nōbilitāte pār, cēterum strāge exercitūs gravior foediorque. Fuga namque ad Alliam exercitum servāvit — ad Cannās fugientem cōnsulem vix quīnquāgintā secūtī sunt, alterīus morientis prope tōtus exercitus fuit.

Cannēnsis -e < Cannae
Alliēnsis -e < Allia (ad eum fluvium Rōmānī ā Gallīs victī sunt annō 390 a. C.)

51 Hannibalī victōrī cum cēterī circumfūsī grātulārentur suādērentque ut, tantō perfūnctus bellō, quiētem et ipse sibi sūmeret et fessīs daret mīlitibus, Maharbal, praefectus equitum, minimē cessandum ratus, "Immō, ut quid hāc pugnā sit āctum sciās: diē quīntō" inquit "vic-

per-fungī = dēfungī
cessandum *esse*

tor in Capitōliō epulāberis! Sequere! Cum equite — ut prius vēnisse quam ventūrum sciant — praecēdam." Hannibalī nimis laeta rēs est vīsa māiorque quam ut eam statim capere animō posset. Itaque 'voluntātem sē laudāre Maharbalis' ait, 'ad cōnsilium pēnsandum temporis opus esse.' Tum Maharbal: "Nōn omnia nīmīrum eīdem dī dedēre. Vincere scīs, Hannibal — victōriā ūtī nescīs!"

epulārī (< epulae) = cēnāre
equite : equitibus
tē vēnisse
prae-cēdere ↔ sequī
animō capere = intellegere
pēnsāre = reputāre
tempor*is* opus est = tempor*e* opus est

Mora eius diēī satis crēditur salūtī fuisse urbī atque imperiō.

salūtī esse = salūtem afferre

Posterō diē ubi prīmum illūxit, ad spolia legenda foedamque etiam hostibus spectandam strāgem exeunt.
52 Spoliīs ad multum diēī lēctīs, Hannibal ad minōra dūcit
castra oppugnanda, et omnium prīmum ā flūmine eōs exclūdit. Cēterum — omnibus labōre, vigiliīs, vulneribus etiam fessīs — mātūrior ipsīus spē dēditiō est facta: in castra hostēs accēpērunt trāditīque in cūstōdiam omnēs sunt.

ad multum diēī = ad hōram sēram
legere = colligere
ex-clūdere < -claudere
mātūrus -a -um = quī prīmō/sine morā/ante tempus fit; ↔ sērus
mātūrior ipsīus spē: mātūrior quam ipse spērāverat

Dum ibi tempus teritur, intereā cum ex māiōribus castrīs ad quattuor mīlia hominum et ducentī equitēs — aliī agmine, aliī pālātī per agrōs — Canusium perfūgissent, castra ipsa ab sauciīs timidīsque trādita hostī.

ad IV = circiter IV
pālārī = errāre

Eōs quī Canusium perfūgerant mulier Āpula nōmine Būsa, genere clāra ac dīvitiīs, frūmentō, veste, viāticō
53 etiam iūvit. Cēterum cum ibi tribūnī mīlitum quattuor
essent, Fabius Māximus dē legiōne prīmā (cuius pater priōre annō dictātor fuerat) et dē legiōne secundā L.

Āpulus -a -um = ex Āpūliā
viāticum -ī *n* = pecūnia ad viam (: iter) necessāria
Q. Fabius Māximus (cōs. annō 213 a.C.)

aedīlis -is *m* = magistrātus quī viās, aedificia pūblica ac lūdōs cūrat

dē-ferre = mandāre

Pūblicius Bibulus et P. Cornēlius Scīpiō et dē legiōne tertiā Ap. Claudius Pulcher (quī proximē aedīlis fuerat), omnium cōnsēnsū ad P. Scīpiōnem admodum adulēscentem et ad Ap. Claudium summa imperiī dēlāta est.

Eō tempore quō haec Canusiī agēbantur, Venusiam *54*
ad cōnsulem ad quattuor mīlia et quīngentī peditēs equitēsque, quī sparsī fugā per agrōs fuerant, pervēnēre. Varrō Canusium cōpiās trādūxit. Et iam aliqua speciēs cōnsulāris exercitūs erat.

speciēs exercitūs : quod vidētur exercitus esse

reliquiae -ārum *f* = quod reliquum est

tantum pavōris = tantus pavor

āmissī *esse*

Rōmam nē hās quidem reliquiās superesse cīvium sociōrumque, sed 'dēlētās omnēs cōpiās' allātum fuerat. Numquam — salvā urbe — tantum pavōris tumultūsque intrā moenia Rōmāna fuit. Cōnsule exercitūque ad Trasumennum priōre annō āmissō, 'cum duōbus cōnsulibus duo cōnsulārēs exercitūs āmissī' nūntiābantur 'nec ūlla iam castra Rōmāna nec ducem nec mīlitem esse! Hannibalis Āpūliam, Samnium ac iam prope tōtam Italiam factam.' Nūlla profectō alia gēns tantā mōle clādis nōn obruta esset!

ob-ruere : opprimere

P. Fūrius Philus (cōs. annō 223 a. C.)

P. Fūrius Philus et M. Pompōnius praetōrēs senātum *55*
in cūriam Hostīliam vocāvērunt, ut dē urbis cūstōdiā cōnsulerent; neque enim dubitābant, dēlētīs exercitibus, hostem ad oppugnandam Rōmam ventūrum.

C. Terentiō *Varrōne*

Tum dēmum litterae ā C. Terentiō cōnsule allātae *56*
sunt: 'L. Aemilium cōnsulem exercitumque caesum; sēsē Canusiī esse, reliquiās tantae clādis velut ex naufra-

giō colligentem; ad decem mīlia mīlitum fermē esse; Poenum sedēre ad Cannās.'

57 Litterīs cōnsulis lēctīs cēnsuēre patrēs 'praetōrem M. Claudium, quī classī ad Ōstiam stantī praeesset, Canusium ad exercitum mittendum scrībendumque cōnsulī ut, cum praetōrī exercitum trādidisset, Rōmam venīret.'

M. Claudium *Mārcellum*
mittendum *esse*

Māgō nūntius victōriae

[*Ex librō XXIII*]

1 Hannibal post Cannēnsem pugnam cōnfestim ex Āpūliā in Samnium mōverat. Māgōnem regiōnis eius urbēs dēficientēs ab Rōmānīs accipere iubet, ipse per agrum Campānum mare Īnferum petit, oppugnātūrus Neāpolim, ut urbem maritimam habēret. Ab urbe oppugnandā Poenum absterruēre cōnspecta moenia.

movēre : castra movēre
Neāpolis -is *f* (*acc* -im, *abl* -ī)
abs-terrēre = dēterrēre

2 Inde Capuam flectit iter...

7 Lēgātī ad Hannibalem vēnērunt pācemque cum eō condiciōnibus fēcērunt 'ut suae lēgēs, suī magistrātūs Capuae essent.'

hīs condiciōnibus
suae : propriae

Hannibal ingressus urbem senātum extemplō postulat; precantibus inde prīmōribus Campānōrum 'nē quid eō diē sēriae reī gereret, diemque ut ipse, adventū suō fēstum, laetus ac libēns celebrāret', vīsendā urbe magnam partem diēī cōnsūmpsit.

10 Posterō diē senātus frequēns datus Hannibalī; ubi prīma eius ōrātiō perblanda ac benigna fuit, quā grātiās ēgit Campānīs 'quod amīci-

Campānī -ōrum *m*: cīvēs Capuae
libēns -entis (< libēre) ↔ invītus
(diem) celebrāre = fēstum habēre
vīsendā urbe : in v. u.
prīma ōrātiō = prīma pars ōrātiōnis
per-blandus -a -um

tiam suam Rōmānae societātī praeposuissent', et inter cētera magnifica prōmissa pollicitus 'brevī caput Italiae omnī Capuam fore!'

Dum haec in Italiā geruntur, nūntius victōriae ad Cannās Carthāginem vēnerat Māgō, Hamilcaris fīlius, nōn ex ipsā aciē ā frātre missus, sed retentus aliquot diēs in recipiendīs cīvitātibus Bruttiōrum Āpulōrumque quae dēficiēbant. Is, cum eī senātus datus esset, rēs gestās in Italiā ā frātre expōnit: 'Cum sex imperātōribus eum aciē cōnflīxisse; occīdisse suprā ducenta mīlia hostium, suprā quīnquāgintā mīlia cēpisse. Ex quattuor cōnsulibus duōs occīdisse, ex duōbus saucium alterum, alterum tōtō āmissō exercitū vix cum quīnquāgintā hominibus effūgisse. Bruttiōs Āpulōsque, partem Samnītium ac Lūcānōrum dēfēcisse ad Poenōs. Capuam Hannibalī sē trādidisse. Prō hīs tantīs totque victōriīs vērum esse grātēs deīs immortālibus agī habērīque!' *11*

Ad fidem deinde tam laetārum rērum effundī in vestibulō cūriae iussit ānulōs aureōs, quī tantus acervus fuit ut mētientibus dīmidium suprā trēs modiōs explēvisse sint quīdam auctōrēs. Adiēcit deinde verbīs 'nēminem nisi equitem id gerere īnsigne'. Summa fuit ōrātiōnis: 'omnī ope iuvandum Hannibalem esse, procul enim ab domō mīlitiam esse in mediā hostium terrā; magnam vim frūmentī pecūniaeque absūmī, et tot aciēs victōris etiam cōpiās parte aliquā minuisse; mittendum igitur supplēmentum esse, mittendam in stipendium pecū- *12*

praepōnere = praeferre

pollicitus *est*

Āpulī -ōrum *m*: incolae Āpūliae

expōnere = nārrāre

suprā : plūrēs quam

duōs : Flāminium et Paulum; alterum, alterum: P. Scīpiōnem, Varrōnem



acervus -ī *m*

vērum esse = rēctum esse, oportēre

grātēs *f pl acc* = grātiās

ad fidem rērum : ut rēbus cōnfīderent (rēs vērās esse crēderent)

mētīrī = modum statuere numerandō

dīmidium = dīmidia pars

ex-plēre -ēvisse -ētum

auctor esse = trādere

ānulus aureus est īnsigne equitis Rōmānī

aciēs : proelia

supplēmentum -ī *n* = mīlitēs ad numerum supplendum

niam frūmentumque tam bene meritīs dē nōmine Pūnicō mīlitibus.'

Secundum haec dicta Māgōnis laetīs omnibus, Himilcō, vir factiōnis Barcīnae, locum Hannōnis increpandī esse ratus, "Quid est, Hannō?" inquit, "Etiam nunc paenitet tē bellī susceptī adversus Rōmānōs? Iubē dēdī Hannibalem! Vetā in tam prosperīs rēbus grātēs deīs immortālibus agī! Audiāmus Rōmānum senātōrem in Carthāginiēnsium cūriā!"

Tum Hannō "Respondeam" inquit "Himilcōnī nōn dēsiisse paenitēre mē bellī neque dēsitūrum ante invictum vestrum imperātōrem incūsāre quam fīnītum aliquā tolerābilī condiciōne bellum vīderō. Itaque ista quae modo Māgō iactāvit Himilcōnī cēterīsque Hannibalis satellitibus iam laeta sunt — mihi possunt laeta esse, quia rēs bellō bene gestae, sī volumus fortūnā ūtī, pācem nōbīs aequiōrem dabunt; nam sī praetermittimus hoc tempus, quō magis dare quam accipere possumus vidērī pācem, vereor nē haec quoque laetitia vāna ēvādat. Quae tamen nunc quoque quālis est? 'Occīdī exercitūs hostium: mittite mīlitēs mihi!' Quid aliud rogārēs, sī essēs victus? 'Hostium cēpī bīna castra — praedae vidēlicet plēna et commeātuum —: frūmentum et pecūniam date!' Quid aliud, sī spoliātus, sī exūtus castrīs essēs, peterēs? Et nē omnia ipse mīrer (mihi quoque enim, quoniam respondī Himilcōnī, interrogāre iūs fāsque est), velim seu Himilcō seu Māgō respondeat,

nōmen Pūnicum = populus Carthāginiēnsis

locus : occāsiō

respondeam = respondēbō sī licet
nōn dēsiit paenitēre mē bellī = adhūc paenitet mē bellī
mē dēsitūrum *esse*
ante quam... vīderō
tolerābilis -e = tolerandus

satelles -itis *m* = comes perpetuus et dēfēnsor

quae : haec laetitia
'Occīdī...': Hannō Hannibalem loquentem facit

vidē-licet (< vidēre + licet) = scīlicet
commeātus -ūs *m* = frūmentum, cibus
ex-uere -uisse -ūtum: aliquem rē e. = alicui rem adimere

velim = volō sī licet
ut H. seu M. respondeat

ec-quis = num quis/quī
homō ex xxxv tribubus : cīvis Rōmānus
quid animōrum : quōs animōs
sē nescīre
facile scītū est = facile scīrī potest
ec-quōs = num quōs
ec-quam = num quam
quā diē = quō diē (: eō diē quō)
senatūs cōnsultum -ī *n* = quod in senātū dēcrētum est

prīmum: ecquis Latīnī nōminis populus dēfēcerit ad nōs? deinde: ecquis homō ex quīnque et trīgintā tribubus ad Hannibalem trānsfūgerit?" Cum utrumque Māgō negāsset, "Hostium quidem ergō" inquit "adhūc nimis multum superest. Sed multitūdō ea quid animōrum quidve speī habeat, scīre velim." Cum id nescīre *13* Māgō dīceret, "Nihil facilius scītū est" inquit, "Ecquōs lēgātōs ad Hannibalem Rōmānī mīsērunt dē pāce? Ecquam dēnique mentiōnem pācis Rōmae factam esse allātum ad vōs est?" Cum id quoque negāsset, "Bellum igitur" inquit "tam integrum habēmus quam habuimus quā diē Hannibal in Italiam est trānsgressus!"

Haud multōs mōvit Hannōnis ōrātiō. Itaque ingentī cōnsēnsū fit senātūs cōnsultum ut Hannibalī quattuor mīlia Numidārum in supplēmentum mitterentur et quadrāgintā elephantī et argentī talenta quīngenta.

Mārcellus et Scīpiō

[*Ex Periochā librī XXIII:*]

Cn. et P. Scīpiōnēs: Cn. Scīpiō et P. Scīpiō, frātrēs
Hasdrubal: frāter Hannibalis
[annō 215 a. C.]
M. Claudius Mārcellus
Philippus, rēx Macedoniae (annīs 221–179 a. C.)

Cn. et P. Scīpiōnēs in Hispāniā Hasdrubalem vīcērunt et Hispāniam suam fēcērunt.

Tib. Semprōnius Gracchus cōs. Campānōs cecīdit.

Claudius Mārcellus praetor Hannibalis exercitum ad Nōlam proeliō fūdit et vīcit, prīmusque tot clādibus fessīs Rōmānīs meliōrem spem bellī dedit.

Inter Philippum, Macedoniae rēgem, et Hannibalem societās iūncta est.

Exercitus Hannibalis per hīberna ita luxuriātus est ut corporis animīque vīribus ēnervārētur.

luxuriārī = in luxū vīvere
ē-nervāre = invalidum facere

[*Ex Periochā librī XXIV:*]

Tib. Semprōnius Gracchus prōcōnsul prosperē adversus Poenōs ad Beneventum pugnāvit servōrum māximē operā, quōs līberōs esse iussit.

prō-cōnsul -is *m* = quī annō post cōnsulātum prōvinciam administrat vel exercituī imperat

Claudius Mārcellus cōs. in Siciliā, quae prope tōta ad Poenōs dēfēcerat, Syrācūsās obsēdit.

[annō 214 a. C.]
dē-ficere -fēcisse -fectum

Philippō Macedonum rēgī bellum indictum est, quī ad Apollōniam nocturnō bellō oppressus fugātusque in Macedoniam cum prope inermī exercitū profūgit.

Bellum Macedonicum I
Apollōnia -ae *f*: oppidum Illyricī

[*Ex Periochā librī XXV:*]

P. Cornēlius Scīpiō, posteā Āfricānus, ante annōs aedīlis factus.

annōs : aetātem lēgitimam (XXXVI annōs)

Capua obsessa est ā Q. Fulviō et Ap. Claudiō cōss.

cōs., *pl* cōss.
[annō 212 a. C.]

Claudius Mārcellus Syrācūsās expugnāvit tertiō annō et ingentem virum gessit. In eō tumultū captae urbis Archimēdēs, intentus fōrmīs quās in pulvere dēscrīpserat, interfectus est.

[annō 211 a. C.]
gerere = agere, sē ostendere
Archimēdēs -is *m*: Syrācūsānus doctissimus
dē-scrībere

P. et Cn. Scīpiōnēs in Hispāniā tot rērum fēlīciter gestārum trīstem exitum tulērunt, prope cum tōtīs exercitibus caesī annō octāvō quam in Hispāniam iērunt.

quam : postquam

[*Ex Periochā librī XXVI:*]

Hannibal ad tertium lapidem ab urbe Rōmā super Aniēnem castra posuit. Ipse cum duōbus mīlibus equitum ūsque ad ipsam Capēnam portam, ut situm urbis explōrāret, obequitāvit.

lapis : mīliārium
ob-equitāre = equō vehī (ad)

Capua capta est ā Q. Fulviō et Appiō Claudiō prōcōss. Prīncipēs Campānōrum venēnō sibi mortem cōnscīvērunt. Cum senātus Campānōrum alligātus esset ad pālōs ut secūrī ferīrētur, Q. Fulvius prōcōs. litterās ā senātū missās, quibus iubēbātur parcere, antequam legeret in sinū posuit, et lēge agī iussit et supplicium perēgit.

Cum comitiīs apud populum quaererētur 'cui mandārētur Hispāniārum imperium?' nūllō id volente suscipere, P. Scīpiō, P. fīlius eius quī in Hispāniā ceciderat, professus est 'sē itūrum', et suffrāgiō populī cōnsēnsūque omnium missus Novam Carthāginem expugnāvit, cum habēret annōs vīgintī quattuor.

[*Ex Periochā librī XXVII:*]

M. Claudius Mārcellus T. Quīnctius Crispīnus cōss. speculandī causā prōgressī ē castrīs īnsidiīs ab Hannibale circumventī sunt; Mārcellus occīsus, Crispīnus fūgit.

In Hispāniā ad Baeculam Scīpiō cum Hasdrubale cōnflīxit et vīcit.

Hasdrubal, quī cum exercitū novō Alpēs trānscenderat, ut sē Hannibalī iungeret, cum mīlibus hominum quīnquāgintā sex caesus est M. Līviī cōs. ductū, sed nōn minōre operā Claudiī Nerōnis cōs., quī, cum Hannibalī oppositus esset, relictīs castrīs ita ut hostem falleret, cum ēlēctā manū profectus Hasdrubalem circumvēnerat.

prōcōs. = prōcōnsul, *pl* prōcōss.
mortem sibi cōnscīscere = sē interficere

pālus -ī *m* = stīpes
secūrī ferīre : capite pūnīre
Campānīs parcere

lēge : secundum lēgem

Hispāniae: Hispānia citerior et ulterior
imperium = iūs imperātōris

pro-fitērī -fessum (<-fatērī) = pūblicē dīcere, prōmittere

[annō 209 a. C.]

[annō 208 a. C.]

speculārī = explōrāre

Baecula -ae *f*: cīvitās Hispāniae

trān-scendere -disse = scandendō trānsīre

caesus: ad *Metaurum* flūmen annō 207 a.C.
ductus -ūs *m* < dūcere


pālus -ī *m*

[*Ex Periochā librī XXVIII:*]

P. Scīpiō in Hispāniā cum Poenīs dēbellāvit quārtō decimō annō eius bellī; et ā Tarracōne in Āfricam ad Syphācem, rēgem Massȳlōrum, trānsvectus, foedus cum eō iūnxit. Et amīcitiā factā cum Masinissā, rēge Numidārum (quī illī auxilium 'sī in Āfricam trāiēcisset' pollicēbātur), Rōmam reversus cōnsulque creātus.

[annō 206 a. C.]
dē-bellāre = bellandī fīnem facere
Tarracō -ōnis *f*: cīvitās Hispāniae
Syphāx -ācis *m*
trāns-vehere
reversus *est* = revertit

[*Ex Periochā librī XXIX*]

Scīpiō in Āfricam trāiēcit.

[annō 204 a. C.]

Syphāx, acceptā in mātrimōnium fīliā Hasdrubalis Gisgōnis, amīcitiam quam cum Scīpiōne iūnxerat renūntiāvit.

Hasdrubal, Gisgōnis fīlius: dux Carthāginiēnsium
re-nūntiāre = revocāre, tollere

Scīpiō adventū Hasdrubalis et Syphācis, quī prope cum centum mīlibus armātōrum vēnerant, ab obsidiōne Uticae dēpulsus hīberna commūniit.

Utica -ae *f*: cīvitās Āfricae maritima
-*ii*t = -*īv*it

Lūstrum ā cēnsōribus conditum est: cēnsa sunt cīvium capita ducenta quattuordecim mīlia.

$\overline{\text{CCXIV}}$ (214 000)

[*Ex Periochā librī XXX:*]

Scīpiō in Āfricā Carthāginiēnsēs et Syphācem, Numidiae rēgem, Hasdrubalemque plūribus proeliīs vīcit, adiuvante Masinissā; bīna hostium castra expugnāvit, in quibus quadrāgintā mīlia hominum ferrō ignīque cōnsūmpta sunt. Syphācem per C. Laelium et Masinissam cēpit. Masinissa Sophonisbam, uxōrem Syphācis, fīliam Hasdrubalis, captam statim adamāvit, et nūptiīs factīs uxōrem habuit; castīgātus ā Scīpiōne, venēnum eī mīsit, quō illa haustō dēcessit. Effectumque est multīs

[annō 203 a. C.]
Numidia -ae *f*: terra Numidārum
(C. Laelius: cōs. annō 190 a. C.)
ad-amāre = amāre incipere
castīgāre = reprehendere
haurīre -sisse -stum = bibere

Scīpiōnis victōriīs ut Carthāginiēnsēs in dēspērātiōnem āctī Hannibalem revocārent.

Māgō, bellō quō in agrō Īnsubrum cum Rōmānīs cōnflīxerat vulnerātus, dum in Āfricam per lēgātōs revocātus revertitur, ex vulnere mortuus est.

reditus -ūs *m* < redīre

Reditus Hannibalis atque clādēs

[*Ex librō XXX:*]

nihil reī : nūlla rēs, nihil
frendere = dentēs movēre (ob īram)
(*ā* lacrimīs) temperāre = abstinēre
(mandātum) ē-dere = ēloquī, nūntiāre
obtrectātiō -ōnis *f* < obtrectāre
dēfōrmitās -ātis *f* = foeditās
ex-sultāre = ovāre
sē efferre = superbus fierī
domum : gentem

19 Nihil ultrā reī in Italiā ab Hannibale gestum. Nam ad eum quoque lēgātī ab Carthāgine revocantēs in Āfricam iīs forte diēbus quibus ad Māgōnem vēnērunt. *20* Frendēns gemēnsque ac vix lacrimīs temperāns dīcitur lēgātōrum verba audiisse. Postquam ēdita sunt mandāta "Vīcit ergō Hannibalem" inquit "nōn populus Rōmānus totiēs caesus fugātusque, sed senātus Carthāginiēnsis obtrectātiōne atque invidiā. Neque hāc dēfōrmitāte reditūs meī tam P. Scīpiō exsultābit atque efferet sēsē quam Hannō, quī domum nostram, quandō aliā rē nōn potuit, ruīnā Carthāginis oppressit!"

ferunt = nārrant
ex-secrātum *esse* (= poenās deōrum optāvisse)
Scīpiōnem ausum *esse*

Rārō quemquam alium patriam exsiliī causā relinquentem tam maestum abiisse ferunt quam Hannibalem hostium terrā excēdentem; respexisse saepe Italiae lītora, et deōs hominēsque accūsantem in sē quoque ac suum ipsīus caput exsecrātum, quod nōn cruentum ab Cannēnsī victōriā mīlitem Rōmam dūxisset: 'Scīpiōnem īre ad Carthāginem ausum, quī cōnsul hostem Poenum in Italiā nōn vīdisset — sē, centum mīlibus armātōrum

ad Trasumennum, ad Cannās caesīs, circā Casilīnum Cūmāsque et Nōlam cōnsenuisse!' Haec accūsāns querēnsque ex diūtinā possessiōne Italiae est dētractus.

[*Ex Periochā librī XXX:*]

Annō sextō decimō Italiā dēcēdēns in Āfricam trāiēcit, temptāvitque per colloquium pācem cum Scīpiōne compōnere, et cum dē condiciōnibus pācis nōn convēnisset, aciē victus est.

[*Ex librō XXX:*]

35 Carthāginiēnsium sociōrumque caesa eō diē suprā vīgintī mīlia; pār fermē numerus captus cum signīs mīlitāribus centum trīgintā duōbus, elephantīs ūndecim. Victōrēs ad mīlle et quīngentī cecidēre.

Hannibal cum paucīs equitibus inter tumultum ēlāpsus Hadrūmētum perfūgit, omnia et ante aciem et in proeliō, priusquam excēderet pugnā, expertus. Accītusque inde Carthāginem sextō ac trīcēsimō post annō quam puer inde profectus erat, fassus in cūriā est 'nōn proeliō modo sē, sed bellō victum, nec spem salūtis alibī quam in pāce impetrandā esse.'

36 Tum lēgātī trīgintā ab Carthāgine ad Scīpiōnem vēnē-
runt. In cōnsiliō, quamquam iūsta īra omnēs ad dēlen-
dam stimulābat Carthāginem, tamen — cum et quanta
rēs esset et quam longī temporis obsidiō tam mūnītae et
tam validae urbis reputārent — ad pācem omnium ani-
37 mī versī sunt. Posterō diē revocātīs lēgātīs condiciōnēs
pācis dictae, ut līberī lēgibus suīs vīverent: 'quās urbēs

possessiō -ōnis *f* < possidēre

pācem compōnere = ex compositō p. facere

victus est: apud *Zamam* oppidum annō 202 a. C.

aciem : proelium
omnia expertus (= cōnātus)

'sē nōn modo proeliō, sed *etiam* bellō victum *esse*'

al-ibī = aliō locō

cōnsilium (mīlitāre) = concilium in quō dē rē mīlitārī cōnsulitur
quanta : quam difficilis

quās urbēs : eās urbēs quās

perfuga -ae *m* = mīles quī ad hostēs perfūgit/trānsfūgit
servōs fugitīvōs
(nāvis) tri-rēmis = quae ternōs rēmōs habet
talent*um* = *-ōrum*
pēnsiō -ōnis *f* = pecūnia solvenda
obses -idis *m/f* = homō nōbilis quī victōrī hostī pignus trāditur nē pāx violētur
dis-serere = variās sententiās dīcere
indūtiae -ārum *f* = tempus quō bellō abstinētur
aliō *adv* = in alium locum
quibus condiciōnibus = iīs condiciōnibus quibus
lēgēs = condiciōnēs
Scīpiō iussit
quīdam : quīdam scrīptōrēs
lūgubris -e (< lūgēre) = fūnestus

quōsque agrōs ante bellum tenuissent, tenērent; perfugās fugitīvōsque et captīvōs omnēs redderent Rōmānīs, et nāvēs rōstrātās praeter decem trirēmēs trāderent elephantōsque quōs habērent domitōs neque domārent aliōs; bellum nēve in Āfricā nēve extrā Āfricam iniussū populī Rōmānī gererent; Masinissae rēs redderent foedusque cum eō facerent; decem mīlia talentum argentī discrīpta pēnsiōnibus aequīs in annōs quīnquāgintā solverent; obsidēs centum darent.'

Hās condiciōnēs lēgātī cum domum referre iussī in cōntiōne ēderent, Hannibal dē pāce multīs verbīs disseruit, 'quam nec inīqua et necessāria esset.'

Postquam rediērunt ad Scīpiōnem lēgātī, indūtiae Car- *38*
thāginiēnsibus datae in trēs mēnsēs. Additum 'nē per indūtiārum tempus aliō usquam quam Rōmam mitterent lēgātōs.'

Lēgātī ex Āfricā Rōmānī simul Carthāginiēnsēsque *40*
cum vēnissent Rōmam, senātus dēcrēvit 'ut P. Scīpiō *43*
pācem cum populō Carthāginiēnsī quibus condiciōnibus eī vidērētur faceret.'

Dīmissī ab Romā Carthāginiēnsēs, cum in Āfricam vēnissent ad Scīpiōnem, quibus ante dictum est lēgibus pācem fēcērunt. Nāvēs longās, elephantōs, perfugās, fugitīvōs, captīvōrum quattuor mīlia trādidērunt. Nāvēs prōvectās in altum incendī iussit; quīngentās fuisse omnis generis quae rēmīs agerentur, quīdam trādunt, quārum cōnspectum repente incendium 'tam lūgubre

fuisse Poenīs quam sī ipsa Carthāgō ārdēret.'

44 Annīs ante quadrāgintā pāx cum Carthāginiēnsibus postrēmō facta est, Q. Lutātiō A. Mānliō cōnsulibus. Bellum initum annīs post tribus et vīgintī, P. Cornēliō Ti. Semprōniō cōnsulibus, fīnītum est septimō decimō annō, Cn. Cornēliō P. Aeliō cōnsulibus.

[annō 241 a. C.]
P. Cornēliō *Scīpiōne*
[annō 201 a. C.]
Cn. Cornēliō *Lentulō*
P. Aeliō *Paetō*

Scīpiō, pāce terrā marīque partā, exercitū in nāvēs impositō, in Siciliam Lilybaeum trāiēcit. Inde per laetam pāce nōn minus quam victōriā Italiam Rōmam pervēnit, triumphōque omnium clārissimō urbem est invectus. Argentī tulit in aerārium pondō centum vīgintī tria mīlia. Prīmus hic imperātor nōmine victae ab sē gentis est nōbilitātus.

per Italiam laetam pāce
urbem : *in* urbem
pondō *lībrārum* CXXIII mīlia
Scīpiōnī 'Āfricānī' cognōmen datum est



GRAMMATICA LATINA

Verbī themata

Thema dīcitur ea vocābulī pars, ut *oppid-*, *scrīb-*, cui in dēclīnandō adiciuntur variae litterae.

thema -atis *n*

Verbī themata sunt tria:

(1) thema praesentis, ut *amā-*, *monē-*, *leg-*, *audī-*;
(2) thema perfectī, ut *amāv-*, *monu-*, *lēg-*, *audīv-*;
(3) thema supīnī, ut *amāt-*, *monit-*, *lēct-*, *audīt-*.

Vocābula nova:
praetōrium
assēnsus
vitium
hīberna
oppidānī
angulus
ariēs
missile
trāgula
oppugnātiō
apparātus
dēspērātiō
exspectātiō
praetor
statiō
mōmentum
excidium
maeror
summa
quīnquerēmis
trānsitus
vigiliae
armātūra
faucēs
angustiae
adhortātor
victima
calcar
lancea
prōpraetor
sarmentum
impatientia
aditus
aquātor
cuneus
funda
mūnīmentum
quaestor
cōnsulāris
praetōrius
viāticum
aedīlis
reliquiae
grātēs
acervus
dīmidium
supplēmentum
satelles

PENSVM A

Supplenda sunt themata quae dēsunt:

tegere –isse –um	colligere –isse –um
cingere –isse –um	ex-igere –isse –um
cōnflīgere –isse	cōgere –isse –um
ex-stinguere –isse –um	fundere –isse –um
stringere –isse –um	re-linquere –isse –um
pingere –isse –um	con-tingere –isse –um
ē-rigere –isse –um	incendere –isse –um
augēre –isse –um	tribuere –isse –um
dē-struere –isse –um	con-currere –isse –um
laedere –isse –um	pandere –isse –um
in-vādere –isse –um	comperīre –isse –um
ē-lūdere –isse –um	ex-pellere –isse –um
sentīre –isse –um	re-sistere –isse
suādēre –isse	parere –isse –um
ex-cēdere –isse	fallere –isse –um
haerēre –isse	ē-dere –isse –um
haurīre –isse –um	dēlēre –isse –um
manēre –isse	com-plēre –isse –um
op-primere –isse –um	dē-cernere –isse –um
dē-tergēre –isse –um	crēscere –isse
re-ficere –isse –um	colere –isse –um
ad-icere –isse –um	cōnsulere –isse –um
re-cipere –isse –um	cor-ripere –isse –um
ad-imere –isse –um	torrēre –isse –um
gignere –isse –um	fungī –um
ac-cumbere –isse –um	patī –um
pallēscere –isse	ē-gredī –um
sonāre –isse	complectī –um
domāre –isse –um	orīrī –um
in-crepāre –isse	experīrī –um
cōn-scīscere –isse –um	ulcīscī –um
in-quīrere –isse –um	adipīscī –um
sepelīre –isse –um	rērī –um

PENSVM B

Hannibal puer, cum patrī — ut sē dūceret in Hispāniam, iūre iūrandō — est 'sē semper hostem fore Rōmānīs'. Patre mortuō Hannibal — [= vix adhūc] pūbēs in Hispāniam missus est, ut mīlitiae — et in locum patris —. Omnium — [< assentīre] dux dēclārātus prīmum aliās gentēs domuit, tum Saguntum — [=obsidēre] et oppugnāre coepit. Iam mūrī — feriēbantur, sed — [= cīvēs oppidī] fortiter — [= resistēbant] hostēsque — [= remōvērunt]. Per paucōs diēs obsidiō magis quam — fuit, nec vērō ab — [< apparāre] mūnītiōnum cessāvērunt. Pugnā renovātā, mūrī et turrēs — sunt et cum fragōre ingentī —; utrimque prōcursum est, Poenōs spēs, Saguntīnōs — incitābat; oppidānīs minuēbātur — [< exspectāre] opis, cum tam procul Rōma, — spēs, esset. Audītīs pācis condiciōnibus, prīmōrēs in ignem — [= sē] ipsī praecipitāvērunt; inde cum pavor tōtam urbem — ac mūrī sine — cūstōdiīsque — [< solēre] essent, Poenī per ruīnam mūrī impetū factō urbem — temporis cēpērunt.

Post — Saguntī tantus — [< maerēre] et metus dē — rērum Rōmānōs cēpit ut trepidārent magis quam — [= cōnsulerent]. Māximīs cōpiīs —, bellum Poenīs indictum est. Vēre Hannibal exercitum ex — ēdūxit atque Alpēs — [= trānsiit]. Post — [< trānsīre] — [= magnī labōris] Rōmānōs — [< equus] proeliō vīcit. Ad Trasumennum Hannibal, equitibus ad — [= angustiās] locātīs et levī — post montēs circumductā, Rōmānōs — [= circumdedit] antequam aciem īnstruere et arma — possent. Rōmae cum turba — [= quaereret] 'quae — [= repentīna] clādēs allāta esset?' M. Pompōnius — "Pugnā magnā" inquit "victī sumus." Duae mātrēs, cum praeter spem fīliōs — [= salvōs] vīdissent, gaudiō — sunt [= exspīrāvērunt]. Fabiō Māximō dictātōrī mandātum est ut praesidia certīs locīs — et pontēs —. Fabius novīs cōnsulibus suāsit ut proelium —, quia sciēbat Hannibalem, ducem — , aliter vincī — [= nōn posse]. Sed ob — Varrōnis cōnsulis proeliō commissō, Rōmānī — [= temere] in medium

commeātus
cōnsultum
pālus
reditus
obtrectātiō
dēfōrmitās
possessiō
perfuga
trirēmis
pēnsiō
obses
indūtiae
memorābilis
habilis
impedītus
tumultuārius
incautus
ūnicus
solitus
labōriōsus
equestris
perangustus
imprōvīsus
cōnfertus
vagus
repēns
sōspes
callidus
recēns
fūnestus
libēns
tolerābilis
lūgubris
omittere
blandīrī
trāicere
adigere
differre
nītī
adsuēscere
exsuscitāre
dīripere
prōmovēre
dispōnere
exscindere
intrōdūcere
dēnūntiāre
cōnsultāre
pervāstāre
vergere
ēmūnīre
obsistere
submovēre

quassāre
prōcidere
irrītāre
grātificārī
succingere
circumsedēre
dēposcere
perōrāre
assignāre
permiscēre
pervādere
sortīrī
comparāre
obligāre
parturīre
succlāmāre
circumvenīre
patēscere
assurgere
circumfundere
expedīre
prōsternere
nōscitāre
dēpopulārī
subdere
āvellere
inquīrere
exanimāre
rescindere
nequīre
crīminārī
alligāre
īnsidēre
contrādīcere
commūnīre
affluere
aquārī
ēvehere
interpōnere
dētrahere
prōminēre
irruere
praetervehere
opplēre
obruere
perfungī
epulārī
praecēdere
pēnsāre
exclūdere
pālārī
absterrēre
mētīrī

irruentēs inclūsī et victī sunt. Alter cōnsul, quī prīmō proeliō — ictus erat, postrēmō tēlīs — est. — [< reliquus] exercitūs Canusium perfūgērunt.

Māgō in senātū Carthāginiēnsī dīxit 'prō victōriīs dīs — [= grātiās] agendās esse et — [< supplēre], pecūniam, — Hannibalī mittendum'; sed Hannō eī — et Hannibalem — est [= incūsāvit].

Hannibal revocātus dīxit 'sē — atque invidiā senātūs Carthāginiēnsis victum esse' et sīc Hannōnem — [= reprehendit]: "Nec hāc — [= foeditāte] — [< redīre] meī tam P. Scīpiō — [= ovābit] quam Hannō..."

Carthāginiēnsibus dēvictīs — in trēs mēnsēs datae sunt. Pāx facta est hīs lēgibus: ut — fugitīvōsque et captīvōs redderent; nāvēs longās praeter decem — trāderent; X mīlia talentum argentī et C — darent.

Quod senātus dēcrēvit senātūs — dīcitur. — est quī cōnsul fuit, quī praetor fuit —. — est magistrātus quī viās, aedēs, lūdōs cūrat. Novī cōnsulēs dē prōvinciīs — [< sors]. Eques properāns equō — —. Difficile est longitūdinem flūminis —.

Synōnyma: hostia et —; virga et —; mūnītiō et —; stīpes et —; memorandus et —; dēnsus et —; errāns et —; lūgubris et —; tolerandus et —; operam dare et —; indūcere et —; ēminēre et —; dēfungī et —; cēnāre et —; dēterrēre et —; explōrāre et —; nēquāquam et —; sine perīculō et —; nec adhūc et —; scīlicet et —; num quis et —; aliō locō et —.

Contrāria: virtūs et —; somnus et —; invītus et —; removēre et —; sequī et —.

PENSVM C

Quid Hannibal puer iūrāvit?
Cūr Rōmānī Poenīs bellum indīxērunt?
Quōs montēs Hannibal trānscendit ut in Italiam pervenīret?
Quid factum est ad lacum Trasumennum?
Quōmodo Rōmānī nūntium clādis accēpērunt?
Quōmodo Q. Fabius Māximus Hannibalī resistēbat?

Ubi Paulus et Varrō cum Hannibale cōnflīxērunt?
Cūr peditēs Rōmānī, quī Gallōs Hispānōsque impulerant, Āfrīs resistere nōn potuērunt?
Uter cōnsul eō proeliō occīsus est?
Quot equitēs cōnsulem fugientem secūtī sunt?
Num Hannibal inde exercitum dūxit Rōmam?
Quis nūntium victōriae Carthāginem tulit?
Quid Māgō ā senātū Carthāginiēnsī petīvit?
Num omnis senātus Māgōnī assentiēbat?
Quis prīmum Hannibalem vīcit in Italiā?
Cūr Masinissa Sophonisbae uxōrī venēnum mīsit?
Quandō Hannibal ex Italiā revocātus est?
Ā quō Hannibal victus est in Āfricā?
Quid Hannibal in senātū Carthāginiēnsī fassus est?
Quibus condiciōnibus pāx composita est?
Quō cognōmine nōbilitātus est Scīpiō?

explēre
exuere
luxuriārī
ēnervāre
dēscrībere
profitērī
speculārī
trānscendere
trānsvehere
adamāre
castīgāre
frendere
exsultāre
disserere
vixdum
haudquāquam
necdum
tūtō
sēmet
inexplōrātō
macte
vidēlicet
ecquis
alibī



Hannibal

HANNIBAL

[*Ex Cornēliī Nepōtis librō 'Dē excellentibus ducibus exterārum gentium'*]

excellēns -entis = ēgregius
exter -a -um = externus, peregrīnus

Hannibal, Hamilcaris fīlius, Karthāginiēnsis.

ut populus R. superā*ve*rit: populum Rōmānum superāvisse (: superiōrem esse)
īnfitiārī = negāre (↔ fatērī)
ante-cēdere = praestāre, melior esse (quam)
nātiō -ōnis *f* = gēns
quotiēs-cumque
con-gredī -gressum = cōnflīgere
quod nisi = nisi autem
dēbilitāre = dēbilem facere; ↔ fīrmāre

Sī vērum est — quod nēmō dubitat — ut populus Rōmānus omnēs gentēs virtūte superārit, nōn est īnfitiandum Hannibalem tantō praestitisse cēterōs imperātōrēs prūdentiā quantō populus Rōmānus antecēdat fortitūdine cūnctās nātiōnēs. Nam quotiēscumque cum eō congressus est in Italiā, semper discessit superior. Quod nisi domī cīvium suōrum invidiā dēbilitātus esset, Rōmānōs vidētur superāre potuisse. Sed multōrum obtrectātiō dēvīcit ūnīus virtūtem.

hērēditās -ātis *f* = quod hērēdī lēgātur
animam/vītam dēpōnere = morī

Hic autem, velut hērēditāte relictum, odium paternum ergā Rōmānōs sīc cōnservāvit ut prius animam quam id dēposuerit — quī quidem, cum patriā pulsus

esset et aliēnārum opum indigēret, numquam dēstiterit
2 animō bellāre cum Rōmānīs. Nam — ut omittam Philippum, quem absēns hostem reddidit Rōmānīs — omnium iīs temporibus potentissimus rēx Antiochus fuit. Hunc tantā cupiditāte incendit bellandī ut ūsque ā Rubrō marī arma cōnātus sit īnferre Italiae. Ad quem cum lēgātī vēnissent Rōmānī, quī dē eius voluntāte explōrārent darentque operam cōnsiliīs clandestīnīs ut Hannibalem in suspīciōnem rēgī addūcerent, neque id frūstrā fēcissent, idque Hannibal comperisset, tempore datō adiit ad rēgem, eīque cum multa dē fidē suā et odiō in Rōmānōs commemorāsset, hoc adiūnxit: “Pater meus” inquit “Hamilcar, puerulō mē, utpote nōn amplius novem annōs nātō, in Hispāniam imperātor proficīscēns Karthāgine Iovī Optimō Māximō hostiās immolāvit. Quae dīvīna rēs dum cōnficiēbātur, quaesīvit ā mē ‘vellemne sēcum in castra proficīscī?’ Id cum libenter accēpissem atque ab eō petere coepissem nē dubitāret dūcere, tum ille “Faciam” inquit, “sī mihi fidem quam postulō dederis.” Simul mē ad āram addūxit apud quam sacrificāre īnstituerat, eamque — cēterīs remōtīs — tenentem iūrāre iussit ‘numquam mē in amīcitiā cum Rōmānīs fore!’ Id ego iūs iūrandum patrī datum ūsque ad hanc aetātem ita cōnservāvī ut nēminī dubium esse dēbeat quīn reliquō tempore eādem mente sim futūrus. Quārē, sī quid amīcē dē Rōmānīs cōgitābis, nōn imprūdenter fēceris sī mē cēlāris; cum quidem bellum parā-

indigēre (+ *gen/abl*) = egēre

reddere = facere

Antiochus *III*: rēx Syriae (annīs 223–187 a. C.)

mare Rubrum: mare circum Arabiam

operam dare = labōrāre, cūrāre

suspīciō -ōnis *f* ↔ fidēs; in s.em addūcere = suspectum facere

puerulus -ī *m* = parvus puer

utpote = scīlicet

nōn dubitāre (+ *īnf*) = nōn cūnctārī

fidēs = prōmissum

mē iūrāre iussit

dubium est *num*...

dubium nōn est/nēminī dubium est *quīn*...

im-prūdēns -entis: *adv* -enter

sī *id* mē cēlā*ve*ris

rem cēlāre aliquem = rem nōn patefacere alicui

bis, tē ipsum frūstrāberis sī nōn mē in eō prīncipem posueris."

3 Hāc igitur quā dīximus aetāte cum patre in Hispāniam profectus est, cuius post obitum, Hasdrubale imperātōre suffectō, equitātuī omnī praefuit. Hōc quoque interfectō, exercitus summam imperiī ad eum dētulit. Id Karthāginem dēlātum pūblicē comprobātum est.

Sīc Hannibal, minor quīnque et vīgintī annīs nātus imperātor factus, proximō trienniō omnēs gentēs Hispāniae bellō subēgit, Saguntum, foederātam cīvitātem, vī expugnāvit, trēs exercitūs māximōs comparāvit. Ex hīs ūnum in Āfricam mīsit, alterum cum Hasdrubale frātre in Hispāniā relīquit, tertium in Italiam sēcum dūxit.

Saltum Pȳrēnaeum trānsiit. Quācumque iter fēcit, cum omnibus incolīs cōnflīxit, nēminem nisi victum dīmīsit. Ad Alpēs posteāquam vēnit, quae Italiam ab Galliā sēiungunt, quās nēmō umquam cum exercitū ante eum — praeter Herculem Grāium — trānsierat (quō factō is hodiē saltus 'Grāius' appellātur), Alpicōs cōnantēs prohibēre trānsitū concīdit, loca patefēcit, itinera mūnīvit, effēcit ut eā elephantus ōrnātus īre posset quā anteā ūnus homō inermis vix poterat rēpere. Hāc cōpiās trādūxit in Italiamque pervēnit.

4 Cōnflīxerat apud Rhodanum cum P. Cornēliō Scīpiōne cōnsule eumque pepulerat. Cum hōc eōdem Clastidiī apud Padum dēcernit sauciumque inde ac fugātum

obitus -ūs *m* (< obīre) = mors
suf-ficere -fēcisse -fectum = locō alicuius facere/creāre
ad eum dētulit : eī mandāvit
dēlātum : nūntiātum
com-probāre = probāre
minor XXV annīs nātus = minor quam XXV annōs nātus

foederātus -a -um = foedere iūnctus



īnfāns rēpit

posteā-quam = postquam
sē-iungere = disiungere, dīvidere

Alpicī -ōrum *m*: incolae Alpium
prohibēre trānsitū = p. eum trānsīre
con-cīdere -disse -sum = caedere
eā = eā viā, ibi
rēpere -psisse = manibus et genibus īre
hāc = hāc viā, hīc

Rhodanus -ī *m*: flūmen Galliae
Clastidium -ī *n*: oppidum Ligurum
(armīs) dēcernere = pugnāre

dīmittit. Tertiō īdem Scīpiō cum collēgā Ti. Longō apud Trebiam adversus eum vēnit. Cum hīs manum cōnseruit, utrōsque prōflīgāvit.

Inde per Ligurēs Appennīnum trānsiit petēns Etrūriam. Hōc itinere adeō gravī morbō afficitur oculōrum ut posteā numquam dextrō aequē bene ūsus sit. Quā valētūdine cum etiamnunc premerētur lectīcāque ferrētur, C. Flāminium cōnsulem apud Trasumennum cum exercitū īnsidiīs circumventum occīdit, neque multō post C. Centēnium praetōrem cum dēlēctā manū saltūs occupantem.

Hinc in Āpūliam pervēnit. Ibi obviam eī vēnērunt duo cōnsulēs, C. Terentius et L. Aemilius. Utrīusque exercitūs ūnō proeliō fugāvit, Paulum cōnsulem occīdit et aliquot praetereā cōnsulārēs, in hīs Cn. Servīlium Geminum quī superiōre annō fuerat cōnsul.

5 Hāc pugnā pugnātā Rōmam profectus est nūllō resistente. In propinquīs urbī montibus morātus est. Cum aliquot ibi diēs castra habuisset et Capuam reverterētur, Q. Fabius Māximus, dictātor Rōmānus, in agrō Falernō eī sē obiēcit. Hic, clausus locōrum angustiīs, noctū sine ūllō dētrīmentō exercitūs sē expedīvit, Fabiōque, callidissimō imperātōrī, dedit verba. Namque obductā nocte sarmenta in cornibus iuvencōrum dēligāta incendit eiusque generis multitūdinem magnam dispālātam immīsit. Quō repentīnō obiectō vīsū tantum terrōrem iniēcit exercituī Rōmānōrum ut ēgredī extrā vāllum

cōn-serere -uisse -rtum: manum c. = proelium committere
prō-flīgāre = dēvincere
Appennīnus = Āpennīnus

aequē bene *ac sinistrō* (oculō)
valētūdine : malā v.

*prō*praetōrem

occupāre = occupātum tenēre

rēs quae nārrantur versibus 87–97 ante proelium Cannēnse gesta sunt

dētrīmentum -ī *n* = damnum
expedīre = līberāre
verba dare = illūdere
ob-dūcere: obductā nocte = obscūrā n.
dē-ligāre = alligāre
dis-pālārī = passim pālārī

visus -ūs *m* = vīsum

nōn ita multī = satis paucī, aliquot
parī ac dictātōrem imperiō : quī pār imperium habēbat ac dictātor
prō-dūcere
sustulit : occīdit
longum est : nimis longum est
ē-numerāre = ōrdine memorāre
quam-diū = tam-diū quam
patriam dēfēnsum (*supīnum*) = ut patriam dēfenderet
-ārat = -āverat
facultās -ātis *f* (< facilis) = potestās; *pl* opēs
impraesentiārum = in praesēns tempus
(bellum) compōnere = ex compositō fīnīre
quō valentior = ut eō (: tantō) valentior
bīduum -ī *n* = duo diēs
īnsidiārī = īnsidiās parāre
dīlēctus -ūs *m* < dī-/dē-ligere (mīlitēs) = cōn-scrībere
contrahere = colligere

nēmō sit ausus. Hanc post rem gestam nōn ita multīs diēbus M. Minucium Rūfum, magistrum equitum parī ac dictātōrem imperiō, dolō prōductum in proelium fugāvit. Tiberium Semprōnium Gracchum, iterum cōnsulem, in Lūcānīs absēns in īnsidiās inductum sustulit. M. Claudium Mārcellum, quīnquiēs cōnsulem, apud Venusiam parī modō interfēcit.

Longum est omnia ēnumerāre proelia. Quārē hoc ūnum satis erit dictum, ex quō intellegī possit quantus ille fuerit: quamdiū in Italiā fuit, nēmō eī in aciē restitit, nēmō adversus eum post Cannēnsem pugnam in campō castra posuit.

6 Hinc invictus patriam dēfēnsum revocātus bellum gessit adversus P. Scīpiōnem, fīlium eius quem ipse prīmō apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertiō apud Trebiam fugārat. Cum hōc — exhaustīs iam patriae facultātibus — cupīvit impraesentiārum bellum compōnere, quō valentior posteā congrederētur. In colloquium convēnit, condiciōnēs nōn convēnērunt.

Post id factum paucīs diēbus apud Zamam cum eōdem cōnflīxit. Pulsus (incrēdibile dictū!) bīduō et duābus noctibus Hadrūmētum pervēnit, quod abest ab Zamā circiter mīlia passuum trecenta. In hāc fugā Numidae, quī simul cum eō ex aciē excesserant, īnsidiātī sunt eī; quōs nōn sōlum effūgit, sed etiam ipsōs oppressit. Hadrūmētī reliquōs ē fugā collēgit, novīs dīlēctibus paucīs diēbus multōs contrāxit.

7 Cum in apparandō ācerrimē esset occupātus, Karthāginiēnsēs bellum cum Rōmānīs composuērunt. Ille nihilō sētius exercituī posteā praefuit rēsque in Āfricā gessit ūsque ad P. Sulpicium C. Aurēlium cōnsulēs. Hīs enim magistrātibus lēgātī Karthāginiēnsēs Rōmam vēnērunt, quī senātuī populōque Rōmānō grātiās agerent quod cum iīs pācem fēcissent, ob eamque rem corōnā aureā eōs dōnārent simulque peterent ut obsidēs eōrum Fregellīs essent captīvīque redderentur. Hīs ex senātūs cōnsultō respōnsum est: 'mūnus eōrum grātum acceptumque esse; obsidēs quō locō rogārent futūrōs; captīvōs nōn remissūrōs, quod Hannibalem, cuius operā susceptum bellum foret, inimīcissimum nōminī Rōmānō, etiamnunc cum imperiō apud exercitum habērent.'

sētius = minus: nihilō minus/sētius = tamen
[annum 200 a. C.]



corōna -ae *f*

aliquem rē dōnāre = alicui rem dōnāre
Fregellae -ārum *f*: cīvitās Latiī
"mūnus *vestrum* grātum ... *est*; obsidēs quō locō rog*ātis erunt*"
: *sē* (Rōmānōs) nōn remissūrōs *esse*
"captīvōs nōn remitt*ē*-*mus*, quod Hannibalem, cuius operā susceptum bellum *est*, ... apud exercitum hab*ētis*"

Hōc respōnsō Karthāginiēnsēs cognitō, Hannibalem domum revocārunt. Hūc ut rediit, 'rēx' factus est, postquam imperātor fuerat annō secundō et vīcēsimō. (Ut enim Rōmae cōnsulēs, sīc Karthāgine quotannīs annuī bīnī 'rēgēs' creābantur.) In eō magistrātū parī dīligentiā sē Hannibal praebuit ac fuerat in bellō. Namque effēcit ex novīs vectīgālibus nōn sōlum ut esset pecūnia quae Rōmānīs ex foedere penderētur, sed etiam superesset quae in aerāriō repōnerētur.

-ārunt = -āv*ē*runt
annō XXII postquam imperātor fuerat (: factus est)
('rēgēs' Pūnicē dīcuntur *sūfētēs*)
sē praebēre = sē ostendere, agere
vectīgal -ālis *n* = pecūnia reī pūblicae solvenda
(pecūniam) pendere = solvere

Deinde annō post, M. Claudiō L. Fūriō cōnsulibus, Rōmā lēgātī Karthāginem vēnērunt. Hōs Hannibal ratus suī exposcendī grātiā missōs, priusquam iīs senātus

[annō 196 a. C.]
M. Claudiō *Mārcellō* fīliō
suī exposcendī grātiā (=causā): ut sē (Hannibalem) exposcerent

darētur, nāvem ascendit clam atque in Syriam ad Antiochum profūgit. Hāc rē palam factā, Poenī nāvēs duās, quae eum comprehenderent sī possent cōnsequī, mīsērunt, bona eius pūblicārunt, domum ā fundāmentīs disiēcērunt, ipsum exsulem iūdicārunt.

8 Antiochus autem, sī tam in agendō bellō cōnsiliīs eius pārēre voluisset quam in suscipiendō īnstituerat, propius Tiberī quam Thermopylīs dē summā imperiī dīmicāsset. Quem etsī multa stultē cōnārī vidēbat, tamen nūllā dēseruit in rē. Praefuit paucīs nāvibus quās ex Syriā iussus erat in Asiam dūcere, iīsque adversus Rhodiōrum classem in Pamphȳliō marī cōnflīxit. Quō proeliō cum multitūdine adversāriōrum suī superārentur, ipse quō cornū rem gessit fuit superior.

9 Antiochō fugātō, verēns nē dēderētur (quod sine dubiō accidisset sī suī fēcisset potestātem), Crētam ad Gortȳniōs vēnit, ut ibi quō sē cōnferret cōnsīderāret. Vīdit autem vir omnium callidissimus in magnō sē fore perīculō, nisi quid prōvīdisset, propter avāritiam Crētēnsium: magnam enim sēcum pecūniam portābat, dē quā sciēbat exīsse fāmam. Itaque capit tāle cōnsilium: Amphorās complūrēs complet plumbō, summās operit aurō et argentō. Hās, praesentibus prīncipibus, dēpōnit in templō Diānae, simulāns sē suās fortūnās illōrum fideī crēdere. Hīs in errōrem inductīs, statuās aēneās, quās sēcum portābat, omnēs suā pecūniā complet, eāsque in prōpatulō domī abicit. Gortȳniī templum

palam facere = patefacere

pūblicāre = pūblicum facere

dis-icere = dīruere

Thermopylae -ārum *f*: angustiae in mediā Graeciā ubi Antiochus ā Rōmānīs victus est annō 191 a. C.

Rhodiī -ōrum *m*: Rhodī incolae

adversārius -ī *m* = quī adversus est, hostis

suī (ipsīus) mīlitēs

quō cornū : eō cornū quō

potestātem facere = occāsiōnem dare

suī *gen* : sē capiendī

cōnsīderāre = reputāre

Gortȳniī -ōrum *m* < Gortȳna

prō-vidēre = praeparāre

avāritia -ae *f* < avārus

amphora -ae *f*



plumbum -ī *n* = metallum grave ac vīle quod facile mollītur

fortūnae : bona

aēneus -a -um = aereus

prōpatulum -ī *n* = locus patēns ante domum



magnā cūrā cūstōdiunt, nōn tam ā cēterīs quam ab Hannibale, nē ille īnscientibus iīs tolleret sēcumque dūceret.

10 Sīc cōnservātīs rēbus suīs, Poenus, illūsīs Crētēnsibus omnibus, ad Prūsiam in Pontum pervēnit. Apud quem eōdem animō fuit ergā Italiam neque aliud quicquam ēgit quam rēgem armāvit et exercuit adversus Rōmānōs. Quem cum vidēret domesticīs opibus minus esse rōbustum, conciliābat cēterōs rēgēs, adiungēbat bellicōsās nātiōnēs. Dissidēbat ab eō Pergamēnus rēx Eumenēs, Rōmānīs amīcissimus, bellumque inter eōs gerēbātur et marī et terrā; sed utrobīque Eumenēs plūs valēbat propter Rōmānōrum societātem. Quō magis cupiēbat eum Hannibal opprimī: quem sī remōvisset, faci-

īn-sciēns -entis = īnscius

aliquem illūdere = alicui illūdere
Prūsiās -ae *m*: rēx Bithȳniae
Pontus -ī *m*: (1) mare quō Dānuvius īnfluit; (2) terra in ōrā Pontī sita, Bithȳnia

rōbustus -a -um (< rōbur) = fīrmus, validus
dis-sidēre = dissentīre
Pergamēnus -a -um < *Pergamum* -ī *n*: cīvitās Asiae
Eumenēs -is *m*
utrobīque = utrōque locō, utrāque parte

(Hannibal:) "sī eum re-mōv*erō*, faciliōra *mihi* cētera *erunt*"

liōra sibi cētera fore arbitrābātur. Ad hunc interficiundum tālem iniit ratiōnem:

Classe paucīs diēbus erant dēcrētūrī. Superābātur nāvium multitūdine: dolō erat pugnandum, cum pār nōn esset armīs. Imperāvit quam plūrimās venēnātās serpentēs vīvās colligī eāsque in vāsa fictilia conicī. Hārum cum effēcisset magnam multitūdinem, diē ipsō quō factūrus erat nāvāle proelium, classiāriōs convocat iīsque praecipit ‘omnēs ut in ūnam Eumenis rēgis concurrant nāvem; quem sī aut cēpissent aut interfēcissent, magnō iīs’ pollicētur ‘praemiō fore.’ Tālī cohortātiōne mīlitum *11* factā, classis ab utrīsque in proelium dēdūcitur. Hōrum in concursū Bithȳniī Hannibalis praeceptō ūniversī nāvem Eumenis adoriuntur. Quōrum vim rēx cum sustinēre nōn posset, fugā salūtem petit. Reliquae Pergamēnae nāvēs cum adversāriōs premerent ācrius, repente in eās vāsa fictilia, dē quibus suprā mentiōnem fēcimus, conicī coepta sunt. Quae iacta initiō rīsum pugnantibus concitārunt, neque quārē id fieret poterat intellegī. Postquam autem nāvēs suās opplētās cōnspexērunt serpentibus, novā rē perterritī, cum quid potissimum vītārent nōn vidērent, puppēs vertērunt sēque ad sua castra nautica rettulērunt. Sīc Hannibal cōnsiliō arma Pergamēnōrum superāvit, neque tum sōlum, sed saepe aliās pedestribus cōpiīs parī prūdentiā pepulit adversāriōs.

Quae dum in Asiā geruntur, accidit cāsū ut lēgātī *12* Prūsiae Rōmae apud T. Quīnctium Flāminīnum cōnsu-

-*u*ndum = -*e*ndum


vāsa fictilia

venēnātus -a -um = venēnum gerēns
serpēns -entis *f* = anguis
fictilis -e = ē terrā tōstā /coctā factus

classiāriī -ōrum *m* = mīlitēs nāvālēs
ut omnēs concurrant
“sī eum aut cēp*eritis* aut interfēc*eritis*, magnō praemiō *vōbīs erit* (= magnum praemium accipiētis)”
cohortātiō -ōnis *f* < *cohortārī* = hortārī (multōs)
praeceptum -ī *n* = quod praeceptum est, imperium

rīsum concitāre = r. excitāre

potius *comp*
potissimum *sup*

nauticus -a -um = nāvālis
cōnsilium = prūdentia
aliās *adv* = aliō tempore

T. Quīnctius Flāminīnus: cōs. annō 198 a. C.

lārem cēnārent, atque ibi dē Hannibale mentiōne factā ex iīs ūnus dīceret 'eum in Prūsiae rēgnō esse.' Id posterō diē Flāminīnus senātuī dētulit. Patrēs cōnscrīptī, quī Hannibale vīvō numquam sē sine īnsidiīs futūrōs exīstimārent, lēgātōs in Bithȳniam mīsērunt, in hīs Flāminīnum, quī ab rēge peterent 'nē inimīcissimum suum sēcum habēret, sibique dēderet.' Hīs Prūsiās negāre ausus nōn est; illud recūsāvit nē id ā sē fierī postulārent quod adversus iūs hospitiī esset: 'ipsī, sī possent, comprehenderent; locum ubi esset facile inventūrōs.'

Hannibal enim ūnō locō sē tenēbat, in castellō quod eī ā rēge datum erat mūnerī, idque sīc aedificārat ut in omnibus partibus aedificiī exitūs habēret, scīlicet verēns nē ūsū venīret quod accidit. Hūc cum lēgātī Rōmānōrum vēnissent ac multitūdine domum eius circumdedissent, puer ab iānuā prōspiciēns Hannibalī dīxit 'plūrēs praeter cōnsuētūdinem armātōs appārēre.' Quī imperāvit eī 'ut omnēs forēs aedificiī circumīret ac properē sibi nūntiāret num eōdem modō undique obsidērētur.' Puer cum celeriter quid esset renūntiāsset 'omnēsque exitūs occupātōs' ostendisset, sēnsit id nōn fortuītō factum, sed sē petī, neque sibi diūtius vītam esse retinendam. Quam nē aliēnō arbitriō dīmitteret, memor prīstinārum virtūtum, venēnum quod semper sēcum habēre cōnsuērat sūmpsit.

13 Sīc vir fortissimus, multīs variīsque perfūnctus labōribus, annō acquiēvit septuāgēsimō. Quibus cōnsulibus

'patrēs cōnscrīptī' appellantur senātōrēs Rōmānī

suum : Rōmānōrum
sibi : Rōmānīs
ut eum dēderet
"nōlī inimīcissimum *nostrum tē*cum *habēre! nōbīs* dēd*e* (eum)!"
"ipsī, sī pot*estis*, comprehend*ite eum!* locum ubi *est* facile inveni*ētis*"

mūnerī dare = dōnō dare, dōnāre
-ārat = -*āv*erat

ūsū venīre = ēvenīre
id quod accidit

puer : servus

cōnsuētūdō -inis *f* = quod fierī solet, mōs; plūrēs praeter c.em : plūrēs quam solērent

fortuītō *adv* = forte, sine cōnsiliō

quam nē : nē vītam
arbitrium -ī *n* = iūdicium, imperium
dī-mittere = āmittere
prīstinus -a -um = antīquus
cōn-suēscere -ēvisse = adsuēscere; -suēvisse = solēre; -suē*ve*rat = solēbat
ac-quiēscere -ēvisse = quiētus fierī

T. Pompōnius Atticus: amīcus Cicerōnis [annō 183 a. C.]
eum mortuum *esse*
Polybius: historicus Graecus, Rōmae vīxit [annō 182 a. C.]

interierit, nōn convenit. Namque Atticus M. Claudiō Mārcello Q. Fabiō Labeōne cōnsulibus mortuum in *Annālī* suō scrīptum relīquit, at Polybius L. Aemiliō Paulō Cn. Baebiō Tamphilō.

districtus -a -um = occupātus (negōtiīs); ↔ ōtiōsus
nōn-nihil = haud paulum, aliquid
sermōne : linguā
bellī (*loc*) = in bellō
gesta = rēs gestae
memoriae prōdere = memoriae trādere

doctor -ōris *m* = quī docet, magister
tempus est nōs (: mē) fīnem facere

Atque hic tantus vir tantīsque bellīs districtus nōnnihil temporis tribuit litterīs. Namque aliquot eius librī sunt, Graecō sermōne cōnfectī. Huius bellī gesta multī memoriae prōdidērunt, sed ex hīs duo quī cum eō in castrīs fuērunt simulque vīxērunt quamdiū fortūna passa est, Silēnus et Sōsilus Lacedaemonius. Atque hōc Sōsilō Hannibal litterārum Graecārum ūsus est doctōre.

Sed nōs tempus est huius librī facere fīnem.

SCIPIO ET HANNIBAL

[*Ex T. Līviī librī XXXV Periochā*]

con-cipere = accipere (in sē, in animum)
ex-imere -ēmisse -ēmptum = adimere

P. Scīpiō Āfricānus, lēgātus ad Antiochum missus, Ephesī cum Hannibale, quī sē Antiochō adiūnxerat, collocūtus est, ut (sī fierī posset) metum eī, quem ex populō Rōmānō concēperat, eximeret.

in-numerābilis -e = quī numerārī nōn potest

Inter alia cum quaereret ab Hannibale 'quem fuisse māximum imperātōrem crēderet?' Hannibal respondit 'Alexandrum Macedonum rēgem, quod parvā manū innumerābilēs exercitūs fūdisset, quodque ultimās ōrās, quās vīsere suprā spem hūmānam esset, peragrāsset.'

per-agrāre = pererrāre
Scīpiōnī quaerentī
castra mētārī = fīnēs castrīs dēsignāre, castra locāre
ad hoc = praetereā

Quaerentī deinde 'quem secundum pōneret?' 'Pyrrhum' inquit, 'castra mētārī prīmum docuisse, ad hoc

nēminem loca ēlegantius cēpisse, praesidia disposuisse.' Exsequentī 'quem tertium dūceret?' 'sēmet ipsum' dīxit.

Rīdēns Scīpiō "Quidnam tū dīcerēs" inquit "sī mē vīcissēs?"

"Tunc vērō mē" inquit "et ante Alexandrum et ante Pyrrhum et ante aliōs posuissem!"

ēlegāns -antis = quī arte urbānā placet, decēns
ex-sequī = pergere
dūcere = exīstimāre

GRAMMATICA LATINA

Dē verbīs contractīs

Ex themate perfectī nōnnumquam excidit *-v|-* ante *-is-* et *-er-/-ēr-*.

ex-cidere < ex + cadere

(1) *-āv|is-* contrahitur in *-ās-*; *-īv|is-* in *-iis-* et *-īs-*; *-ōv|is-* in *-ōs-*; *-ēv|is-* in *-ēs-*:

am*ā*sse = am*āvi*sse	aud*ii*sse/*-ī*sse = aud*īvi*sse
am*ā*stī = am*āvi*stī	aud*ii*stī/*-ī*stī = aud*īvi*stī
am*ā*sset = am*āvi*sset	aud*ii*sset/*-ī*sset = aud*īvi*sset
n*ō*sse = n*ōvi*sse	cōnsu*ē*sse = cōnsu*ēvi*sse
n*ō*stī = n*ōvi*stī	cōnsu*ē*stī = cōnsu*ēvi*stī
n*ō*sset = n*ōvi*sset	cōnsu*ē*sset = cōnsu*ēvi*sset

-āvis- > -ās-
-īvis- > -iis-/-īs-
-ōvis- > -ōs-
-ēvis- > -ēs-

(2) *-āv|er-/-āv|ēr-* contrahitur in *-ār-*; *-īv|er-* in *-ier-*; *-īv|ēr-* in *-iēr-*; *-ōv|er-/-ōv|ēr-* in *-ōr-*; *-ēv|er-/-ēv|ēr-* in *-ēr-*:

am*ā*rat = am*āve*rat	aud*ie*rat = aud*īve*rat
am*ā*rit = am*āve*rit	aud*ie*rit = aud*īve*rit
am*ā*runt = am*āvē*runt	aud*iē*runt = aud*īvē*runt
n*ō*rat = n*ōve*rat	cōnsu*ē*rat = cōnsu*ēve*rat
n*ō*rit = n*ōve*rit	cōnsu*ē*rit = cōnsu*ēve*rit
n*ō*runt = n*ōvē*runt	cōnsu*ē*runt = cōnsu*ēvē*runt

-āvē̆r- > -ār-
-īver- > -ier-
-īvēr- > -iēr-
-ōvē̆r- > -ōr-
-ēvē̆r- > -ēr-

PENSVM A

Dē praepositiōnibus

Annō ab urb– condit– CCLXI, post rēg– exāct– XVII, Coriolī oppidum Volscōrum captum est ā Cn. Mārci–, quī cum mī-

lit– dēlēct– per patent– port– in oppid– irrūpit et propter h– fact– Coriolānus vocātus est. Ille vērō, etsī bene prō patri– pugnāverat, ā cīv– in exsili– pulsus ad ips– Volsc– cōnfūgit eōsque contrā Rōmān– concitāvit. Exercitum adversus patri– dūxit et castra posuit prope Rōm– iūxtā vi– Appi–. Lēgātī ad e– Rōm– (ex urb– Rōm–) dē pāc– missī sine respōns– revertērunt. Postrēmō māter et uxor eius, quae Rōm– relictae erant, cum duōbus parv– fīli– ad castr– vēnērunt. Coriolānus, cum mātrem suam inter uxōr– et fīli– stantem cōnspexisset, intrā vāll– eōs recēpit. Ob amōr– ergā mātr– et coniug– et līber– su– Coriolānus īram in patri– oblītus est; nēmō praeter mulier– animum virī frangere potuit.

Contrāria: ex urb– et — urb–; ā vīll– et — vīll–; cum equ– et — equ–; ante templ– et — templ–; contrā patri– et — patri–; extrā moen– et — moen–; procul — oppid– et — oppid–; suprā cael– et — cael–; citrā fluvi– et — fluvi–; super terr– et — terr–.

Vocābula nova:
nātiō
hērēditās
suspīciō
puerulus
obitus
dētrīmentum
vīsus
facultās
bīduum
dīlēctus
corōna
vectīgal
adversārius
avāritia
amphora
plumbum
prōpatulum
serpēns
classiārius
cohortātiō
praeceptum
patrēs cōnscrīptī
cōnsuētūdō
arbitrium
doctor
excellēns
exter
imprūdēns
foederātus
aēneus
īnsciēns
rōbustus
venēnātus
fictilis
nauticus
prīstinus

PENSVM B

In librō suō dē — ducibus — gentium Cornēlius Nepōs dīcit 'populum Rōmānum cēterās — [= gentēs] fortitūdine —.'

Hannibal, — [= postquam] expugnāvit Saguntum, cīvitātem — [< foedus], Alpēs, quae Galliam ab Italiā —, trānsiit et identidem cum Rōmānīs manum — eōsque — [= dēvīcit]. Nihilō — ā Scīpiōne victus est, cum patriae — [= opēs] exhaustae essent. Domī Hannibal novīs — pecūniam comparāvit, quae Rōmānīs — [= solvenda] erat. Cum dēposcerētur, in Syriam profūgit, atque bona eius — sunt. Inde in Crētam vēnit, ut — [= reputāret] quid ageret. Crētēnsibus avārīs sīc — dedit: — fictilēs — complēvit, summīs aurō opertīs, et aurum suum in statuās — [= aereās] abdidit. Tum ad Prūsiam vēnit, quī — [= dissentiēbat] ā rēge Eumene et saepe cum eō — erat et marī et terrā; sed — Eumenēs — [= validior] erat. Hannibal eum dolō vīcit, cum venēnātās — in vāsa — abditās in nāvēs eius coniēcisset. Nec tum sōlum, sed

saepe — Hannibal — [= hostēs] pepulit. Dēnique ā Rōmānīs circumventus venēnum, quod semper sēcum ferre — [= solēbat], sūmpsit, nē — Rōmānōrum perīret.

Senātōrēs 'patrēs —' vocantur. — est quod hērēdī lēgātur. Īnfāns quī nōndum ambulāre didicit manibus et genibus —. Stēllae — sunt [= numerārī nōn possunt]. Ovidius est poēta — et urbānus.

Synōnyma: mors et —; damnum et —; duo diēs et —; imperium et —; mōs et —; magister et —; antīquus et —; negāre et —; egēre et —; īnsidiās parāre et —; ēvenīre et — venīre; adimere et —; pererrāre et —; forte et —; haud paulum et —.

Contrāria: fidēs et —; sciēns et —; ōtiōsus et —; fīrmāre et —.

PENSVM C

Quam ob rem Hannibal victus est?
Quō Hannibal ex patriā profūgit?
Quā poenā Poenī eum profugum affēcērunt?
Quid Hannibal rēgī Antiochō suādēbat?
Num Antiochus cōnsiliīs eius pāruit?
Quārē Hannibal ē Syriā in Crētam vēnit?
Quōmodo pecūniam suam ā Crētēnsibus cōnservāvit?
Quō Hannibal ē Crētā sē contulit?
Quōcum rēx Prūsiās bellum gerēbat?
Quōmodo Hannibal classem Eumenis pepulit?
Quōmodo Rōmānī Hannibalem in Bīthȳniā repperērunt?
Num Prūsiās Hannibalem Rōmānīs dēdidit?
Quāle erat castellum Hannibalis?
Quōmodo Hannibal comperit sē ā Rōmānīs petī?
Num Hannibal vīvus captus est ā Flāminīnō?
Quem Hannibal māximum imperātōrem dūcēbat?

districtus
innumerābilis
ēlegāns
īnfitiārī
antecēdere
congredī
dēbilitāre
indigēre
sufficere
comprobāre
sēiungere
concīdere
rēpere
cōnserere
prōflīgāre
verba dare
obdūcere
dēligāre
dispālārī
ēnumerāre
īnsidiārī
pendere
pūblicāre
cōnsīderāre
prōvidēre
dissidēre
ūsū venīre
cōnsuēscere
acquiēscere
concipere
eximere
peragrāre
mētārī
excidere
quotiēscumque
utpote
posteāquam
eā
hāc
impraesentiārum
setius
utrobīque
potissimum
aliās
fortuītō
nōnnihil



Dardani
Illyricum
Rhodopa
Thracia
Dyrrachium
Macedonia
Sirae
Philippi
Amphipolis
Pella
Apollonia
Thessalonica
Beroea
Samothraca
Oricum
Pydna
Petra
Lemnos
Perrhaebia
Olympus
Epirus
Thessalia
Magnesia
Aeginium
Larisa
Corcyra
Crannon
Cynoscephalae
Pharsalus
Achaia
Phthiotis
Actium
Lamia
Sinus
Saltus
Thermopylarum
Maliacus
Scyros
Acarnania
Heraclea
Leucadia
Oeta
Aetolia
Phocis
Locris
Euripus
Euboea
Elatea
Delphi
Anticyra
Chalcis
Boeotia
Aulis
Cephallenia
Thebae
Achaia
Attica
Isthmus
Sicyon
Athenae
Salamis
Piraeus
Corinthus
Zacynthos
Andros
Olympia
Argos
Epidaurus
Megalopolis
Peloponnesus
Naxos
Sparta
Melos



Philippus V, rēx Macedoniae

GRAECIA LIBERATA

[*Ex T. Līviī 'Ab urbe conditā' librīs XXXI–XLV*]

Philippus

[*Ex librō XXXI*:]

Annō quīngentēsimō quīnquāgēsimō prīmō ab urbe conditā, P. Sulpiciō Galbā C. Aurēliō cōnsulibus, bellum cum rēge Philippō initum est, paucīs mēnsibus post pācem Carthāginiēnsibus datam.

quīnquāgēsimus -a -um = L (50.)
[annō 200 a. C.]

[*Ex Periochā librī XXXI*:]

Id bellum P. Sulpiciō cōs. mandātum est, quī exercitū in Macedoniam ductō equestribus proeliīs prosperē cum Philippō pugnāvit.

[*Ex Periochā librī XXXII*:]

T. Quīnctius Flāminīnus cōs. adversus Philippum fēlīciter pugnāvit in faucibus Ēpīrī fugātumque coēgit in rēgnum revertī. Thessaliam, quae est vīcīna Macedoniae, sociīs Aetōlīs, vexāvit. Achaeī in amīcitiam receptī sunt.

[annō 198 a. C.]

Aetōlī -ōrum *m*: incolae Aetōliae
vexāre = identidem aggredī, vāstāre
Achaeī -ōrum *m*: incolae Achāiae

[*Ex Periochā librī XXXIII*:]

[annō 197 a. C.]

Cynoscephalae -ārum *f*: collēs in Thessaliā

T. Quīnctius Flāminīnus prōcōs. cum Philippō ad Cynoscephalās in Thessaliā aciē victō dēbellāvit.

[*Ex librō XXXIII*:]

signa cōn-ferre = proelium committere

Exitū fermē annī litterae ā T. Quīnctiō vēnērunt 'sē *24*
signīs collātīs cum rēge Philippō in Thessaliā pugnāsse, hostium exercitum fūsum fugātumque.' Hae litterae prius in senātū ā M. Sergiō praetōre, deinde ex auctōritāte patrum in cōntiōne sunt recitātae, et ob rēs prosperē gestās in diēs quīnque supplicātiōnēs dēcrētae.

in diēs v : v diērum
supplicātiō -ōnis *f*: diēs fēstus quō populus ad omnia templa dīs grātiās agit

Bellōna -ae *f*: Mārtis soror, dea bellī, cuius aedēs in campō Mārtiō (: extrā pōmērium) sita est

mōre = ex mōre
māiōrēs -um *m* ↔ posterī

Brevī post lēgātī et ab T. Quīnctiō et ab rēge Philippō vēnērunt. Macedonēs dēductī extrā urbem in vīllam pūblicam ibique iīs ad aedem Bellōnae senātus datus. Ibi haud multa verba facta, cum Macedonēs 'quodcumque senātus cēnsuisset id rēgem factūrum esse' dīcerent. Decem lēgātī mōre māiōrum, quōrum ex cōnsiliō T. Quīnctius imperātor lēgēs pācis Philippō daret, dēcrētī.

hībernāre = in hībernīs esse
Elatēa: cīvitās in mediā Graeciā sita
in hās lēgēs = hīs lēgibus (: condiciōnibus)

Isthmia -ōrum *n*: lūdī quī alterō quōque annō in Isthmō celebrantur
trāns-fuga -ae *m* = perfuga

Hībernābat eō tempore Elatēae T. Quīnctius. Eō de- *27*
cem lēgātī ab Rōmā vēnērunt, quōrum ex cōnsiliō pāx *30*
data Philippō in hās lēgēs est: 'ut omnēs Graecōrum cīvitātēs, quae in Eurōpā quaeque in Asiā essent, lībertātem ac suās habērent lēgēs; quae eārum sub diciōne Philippī fuissent, praesidia ex iīs Philippus dēdūceret vacuāsque trāderet Rōmānīs ante Isthmiōrum tempus; captīvōs trānsfugāsque redderet Rōmānīs, et nāvēs omnēs tēctās trāderet praeter quīnque; nē plūs quīnque

mīlia armātōrum habēret nēve elephantum ūllum; bellum extrā Macedoniae fīnēs nē iniussū senātūs gereret; mīlle talenta daret populō Rōmānō.' In haec obsidēs acceptī, inter quōs Dēmētrius, Philippī fīlius.

31 Ab Elatēā profectus Quīnctius Anticyram cum decem
32 lēgātīs, inde Corinthum trāiēcit. Isthmiōrum lūdicrum aderat, semper frequēns cum propter spectāculī studium, tum quia Graeciae is mercātus erat; tum vērō nōn ad solitōs modo ūsūs undique convēnerant, sed exspectātiōne ērēctī, quī deinde status futūrus Graeciae, quae sua fortūna esset?

Ad spectāculum cōnsēderant, et praecō cum tubicine, ut mōs est, in mediam āream prōcessit et tubā silentiō factō ita prōnūntiat: "Senātus Rōmānus et T. Quīnctius imperātor, Philippō rēge Macedonibusque dēvictīs, līberōs, immūnēs, suīs lēgibus esse iubet Corinthiōs, Phōcēnsēs, Locrēnsēsque omnēs et īnsulam Euboeam et Magnētas, Thessalōs, Perrhaebōs, Achaeōs Phthīōtās." Percēnsuerat omnēs gentēs quae sub diciōne Philippī rēgis fuerant.

Audītā vōce praecōnis māius gaudium fuit quam quod ūniversum hominēs acciperent. Vix satis crēdere sē quisque audīsse, et aliī aliōs intuērī mīrābundī velut ad somnī vānam speciem. Revocātus praecō, cum ūnusquisque nōn audīre modo, sed vidēre lībertātis suae nūntium avēret, iterum prōnūntiāvit eadem. Tum ab certō iam gaudiō tantus cum clāmōre plausus est ortus

in haec : ut haec (hae condiciōnēs) servārentur

[annō 196 a. C.]

mercātus -ūs *m* = locus quō mercātōrēs conveniunt

exspectātiōne ērēctī: cupidē exspectantēs

quī status Graeciae futūrus *esset*, quae sua fortūna *futūra* esset

ārea -ae *f* = spatium apertum

prō-nūntiāre = pūblicē nūntiāre

immūnis = vectīgālibus immūnis

Phōcēnsēs, Locrēnsēs, Magnētēs (*acc* -as), Phthiōtae < Phōcis, Locris, Magnēsia, Phthīōtis

per-cēnsēre = ēnumerāre

acciperent : animīs capere possent

vix crēd*it* quisque sē satis (bene) aud*iisse*

intu*ērī* : intu*entur*

mīrābundus -a -um = mīrāns

ūnus-quisque (: singulī)

avēre = valdē cupere

re-petere = iterāre

raptim = celeriter

prae-occupāre
sēnsus -ūs *m* < sentīre
voluptās -ātis *f* = quod dēlectat, rēs iūcunda (↔ dolor)
tend*ere* : tend*unt*
ita ut… haud procul *ā* perīculō fuerit
turbā *hominum*… cupientium
tantum-modo = tantum

laetitiam effundere : valdē laetārī

impēnsa -ae *f* = pecūnia quae penditur

vīcīnitās -ātis *f* < vīcīnus; propinquae v.is : vīcīnus
nē quod = nē ūllum

ut ubīque

[annō 195 a. C.]

pācāre = ad pācem cōgere, subigere

Nabis -idis *m*

-*iit* = -*īvit*

totiēsque repetītus, ut facile appārēret nihil omnium bonōrum multitūdinī grātius quam lībertātem esse. Lūdicrum deinde ita raptim perāctum est ut nūllīus nec animī nec oculī spectāculō intentī essent — adeō ūnum gaudium praeoccupāverat omnium aliārum sēnsum voluptātum.

33 Lūdīs vērō dīmissīs cursū prope omnēs tendere ad imperātōrem Rōmānum, ut, ruente turbā in ūnum adīre contingere dextram cupientium, corōnās iacientium, haud procul perīculō fuerit! Nec praesēns tantummodo effūsa est laetitia, sed per multōs diēs grātīs et cōgitātiōnibus et sermōnibus renovāta: 'esse aliquam in terrīs gentem quae suā impēnsā, suō labōre ac perīculō bella gerat prō lībertāte aliōrum! nec hoc fīnitimīs aut propinquae vīcīnitātis hominibus aut terrīs continentibus iūnctīs praestet, sed maria trāiciat, nē quod tōtō orbe terrārum iniūstum imperium sit, ubīque iūs, fās, lēx potentissima sint! Ūnā vōce praecōnis līberātās omnēs Graeciae atque Asiae urbēs!'

35 Hunc fīnem bellum cum Philippō habuit.

[*Ex Periochā librī XXXIV*:]

M. Porcius Catō, in Hispāniam profectus, bellō citeriōrem Hispāniam pācāvit.

T. Quīnctius Flāminīnus bellum adversus Lacedaemoniōs et tyrannum eōrum Nabidem prosperē gestum, datā hīs pāce līberātīsque Argīs, quī sub diciōne tyrannī erant, fīniit.

Triumphus Flāminīnī

[*Ex librō XXXIV*:]

48 Vēris initiō Corinthum, conventū ēdictō, vēnit. Ibi omnium cīvitātum lēgātiōnēs in cōntiōnis modum circumfūsās est allocūtus, ōrsus ab initā prīmum Rōmānīs amīcitiā cum Graecōrum gente et imperātōrum quī ante sē in Macedoniā fuissent suīsque rēbus gestīs. Subiēcit 'proficīscī sibi in Italiam atque omnem exercitum dēportāre in animō esse.'

50 Nōndum conventus dīmissus erat, cum respiciunt
praesidium ab Acrocorinthō dēscendēns prōtinus dūcī
ad portam atque abīre. Quōrum agmen imperātor secū-
tus — prōsequentibus cūnctīs 'servātōrem' 'līberātō-
rem'que acclāmantibus — eādem quā vēnerat viā Elatē-
52 am rediit. Per Ēpīrum Ōricum, unde erat trāiectūrus,
vēnit. Ab Ōricō cōpiae omnēs Brundisium trānsportā-
tae. Inde per tōtam Italiam ad urbem prope triumphan-
tēs vēnērunt. Postquam Rōmam ventum est, senātus
extrā urbem Quīnctiō ad rēs gestās ēdisserendās datus
est, triumphusque meritus ab libentibus dēcrētus.

Trīduum triumphāvit. Diē prīmō arma, tēla signaque aerea et marmorea trānstulit; secundō aurum argentumque factum īnfectumque et signātum (aurī pondō fuit tria mīlia septingenta quattuordecim). Tertiō diē corōnae aureae, dōna cīvitātum, trālātae centum quattuordecim; et hostiae ductae et ante currum multī nōbilēs captīvī obsidēsque, inter quōs Dēmētrius, rēgis Philippī

[annō 194 a. C.]
conventus -ūs *m* (< convenīre) = concilium
et *ab* rēbus gestīs imperātōrum...
sub-icere = adicere
sibi in animō esse...
dē-portāre = abdūcere (Rōmam)
Acrocorinthus -ī *f*: arx Corinthī
prō-sequī = sequī (proficīscentem)
servātor -ōris *m* = quī servat
ac-clāmāre < ad-
Ōricum -ī *n*: cīvitās Ēpīrī maritima
trāns-portāre = trāicere
extrā urbem: imperātōrī nōn licet urbem intrāre ante triumphum
ē-disserere = expōnere, nārrāre
trīduum -ī *n* = trēs diēs
trāns-ferre = in triumphō ferre
īn-fectum ↔ factum
signāre = signō imprimere; s.ātum : ex quō nummī factī sunt
trāns-ferre -tulisse trāns-/trā-lātum

Armenēs -is *m*

fīlius, fuit et Armenēs, Nabidis tyrannī fīlius, Lacedaemonius. Ipse deinde Quīnctius in urbem est invectus.

ut exercitū dēportātō : quia exercitus dēportātus erat

Secūtī currum mīlitēs frequentēs, ut exercitū omnī ex prōvinciā dēportātō.

Antiochus

[*Ex Periochā librī XXXV*:]

[annō 192 a. C.]

Aetōlī ab amīcitiā populī Rōmānī dēfēcērunt. Cum quibus societāte iūnctā, Antiochus, Syriae rēx, cum bellum Graeciae intulisset, complūrēs urbēs occupāvit, inter quās Chalcidem et tōtam Euboeam.

Chalcis -idis *f*: caput Euboeae

[*Ex librō XXXVI*:]

Chalcidēnsis -e < Chalcis

(tempus) trādūcere = cōnsūmere, terere

Rēx Chalcidem profectus, amōre captus virginis Chalcidēnsis, tamquam in mediā pāce nūptiās celebrābat, et reliquum hiemis, omissā omnium rērum cūrā, in convīviīs et vīnum sequentibus voluptātibus trādūxit. *11*

[annō 191 a. C.]

Lārīsa -ae *f*, Crannōn -ōnis *f*: cīvitātēs Thessaliae

porrō ↔ retrō

Prīncipiō vēris M'. Acīlius cōnsul, cum vīgintī mīlibus peditum, duōbus mīlibus equitum, quīndecim elephantīs marī trāiectō, Lārīsam est profectus. Paucōs Lārīsae morātus diēs, Crannōnem est prōgressus. Dūcere tum porrō in sinum Māliacum coepit. *14*

Aetōlī convēnissent

Cum haec agēbantur, Chalcide erat Antiochus. Tum nūntiōs in Aetōliam mīsit 'ut omnī contractā iuventūte convenīrent Lamiam', et ipse eō decem mīlia ferē peditum et equitēs quīngentōs dūxit. Quō cum aliquantō pauciōrēs quam umquam anteā convēnissent, intrā saltum Thermopylārum sēsē recēpit. *15*

Id iugum, sīcut Appennīnī dorsō Italia dīviditur, ita mediam Graeciam dirimit. Ante saltum Thermopylārum in septentriōnem versa Ēpīrus et Perrhaebia et Magnēsia et Thessalia est et Phthīōtae Achaeī et sinus Māliacus. Intrā faucēs ad merīdiem vergunt Aetōliae pars māior et Acarnānia et cum Locride Phōcis et Boeōtia adiūnctaque īnsula Euboea et, excurrente in altum velut prōmunturiō, Attica terra et sita ab tergō Peloponnēsus. Extrēmōs ad orientem montēs Oetam vocant, quōrum quod altissimum est Callidromon appellātur, in cuius valle ad Māliacum sinum vergente iter est nōn lātius quam sexāgintā passūs. Haec ūna mīlitāris via est quā trādūcī exercitūs, sī nōn prohibeantur, possint. Ideō 'Pylae', et ab aliīs, quia calidae aquae in ipsīs faucibus sunt, 'Thermopylae' locus appellātur, nōbilis Lacedaemoniōrum adversus Persās morte magis memorābilī quam pugnā.

(montis) iugum/dorsum = mōns longus
dir-imere -ēmisse -ēmptum = dīvidere
septentriō -ōnis *m* = septentriōnēs
Locris -idis *f*
Phōcis -idis *f*
excurrente : ēminente
Callidromon -ī *n*
iter : via
pýlai *Graecē* = porta
thermós *Graecē* = calidus
CCC Lacedaemoniī ad Thermopylās relictī, dum Persīs fortiter resistunt, dolō circumventī caesī sunt annō 480 a. C.

16 Haudquāquam parī tum animō Antiochus, intrā 'portās' locī eius castrīs positīs, cum duplicī vāllō fossāque et mūrō etiam permūniisset omnia, satis fīdēns numquam eā viam Rōmānum exercitum factūrum, Aetōlōs ad Hēraclēam praesidiō obtinendam (quae ante ipsās faucēs posita est) mittit. Cōnsul in ipsīs faucibus prope fontēs calidārum aquārum adversus rēgem posuit castra.

parī (: similī) animō (ac Lacedaemoniī)
per-mūnīre = bene mūnīre
viam facere : iter facere
Hēraclēa -ae *f*: oppidum
posita = sita
fōns fontis *m* = aqua ē terrā ērumpēns

Antiochum timor incessit nē quās per imminentia iuga callēs invenīret ad trānsitum Rōmānus; nam Lace-

nē quās (: aliquās) callēs
callis -is *f* = via angusta difficilis

circu-īre = circumīre

vertex -icis *m* = pars summa, culmen

nē quā = nē quā (aliquā) viā

īn-sīdere -sēdisse -sessum: (locum) ī. = occupāre

(cōss. annō 195 a. C.)

paucīs *verbīs*

arma tēla*que*

artus -a -um = cōnfertus, angustus

Macedonēs: mīlitēs Macedonum modō īnstrūctī

aditum temptāre = adīre temptāre

vīs = multitūdō

locō = *ē* locō

nī = nisi

M. Porcius *Catō*

crēd*ere* : crēd*unt*

subsidium -ī *n*=mīlitēs quī auxiliō veniunt, auxilium; subsidiō (*dat*) = ad subsidium

daemoniōs quondam ita ā Persīs circuitōs fāma erat. Itaque nūntium Hēraclēam ad Aetōlōs mittit 'ut verticēs circā montium occupārent obsidērentque, nē quā trānsīre Rōmānī possent.'

Cōnsul, postquam īnsessa superiōra loca ab Aetōlīs *17* vīdit, M. Porcium Catōnem et L. Valerium Flaccum, cōnsulārēs lēgātōs, ad castella Aetōlōrum mittit. Ipse, priusquam ad hostēs cōpiās admovēret, vocātōs in cōntiōnem mīlitēs paucīs est allocūtus. Ab hāc cōntiōne *18* dīmissī mīlitēs, priusquam corpora cūrārent, arma tēla parant. Lūce prīmā īnstruit aciem cōnsul, artā fronte, ad nātūram et angustiās locī. Rēx, postquam signa hostium cōnspexit, et ipse cōpiās ēdūcit.

Macedonēs prō vāllō locātī prīmō facile sustinēbant Rōmānōs temptantēs ab omnī parte aditūs; deinde, ut māior nec iam toleranda vīs hostium īnferēbat sē, pulsī locō intrā mūnīmenta concessērunt. Inde ex vāllō prope alterum vāllum, hastīs prae sē obiectīs, fēcērunt. Multī temere subeuntēs vāllum trānsfīxī sunt, et aut recessissent aut plūrēs cecidissent, nī M. Porcius ab iugō Callidromī, dēiectīs inde Aetōlīs et magnā ex parte caesīs (incautōs enim et plērōsque sōpītōs oppresserat), super imminentem castrīs collem appāruisset. Macedonēs *19* quīque aliī in castrīs rēgiīs erant prīmō, dum procul nihil aliud quam turba et agmen appārēbat, Aetōlōs crēdere subsidiō venīre; cēterum, ut prīmum signa et arma ex propinquō cognita errōrem aperuērunt, tantus

repente pavor omnēs cēpit ut abiectīs armīs fugerent!

Rēx cum perexiguā manū sēmiermium mīlitum Chalcidem sē recēpit; sub adventum cōnsulis ā Chalcide profectus Ephesum trānsmīsit. Cōnsulī Chalcidem venientī portae patuērunt. Et cēterae urbēs in Euboeā sine certāmine trāditae, paucōsque post diēs exercitus Thermopylās reductus. Inde cōnsul M. Catōnem, per quem quae gesta essent senātus populusque Rōmānus haud dubiō auctōre scīret, Rōmam mīsit.

22 Acīlius cōnsul castra ab Thermopylīs ad Hēraclēam mōvit, eōque ipsō diē, ut situm nōsceret urbis, ab omnī parte equō moenia est circumvectus. Hēraclēa sita est in rādīcibus Oetae montis, ipsa in campō, arcem imminentem locō altō et undique praecipitī habet. Contemplātus omnia quae nōscenda erant, quattuor simul locīs aggredī urbem cōnstituit.

23 Et Rōmānī quidem operibus magis quam armīs urbem oppugnābant. Aetōlī contrā armīs sē tuēbantur; nam armātī frequentēs ērumpēbant. Hoc prīmīs diēbus, dum integrae vīrēs erant, et frequentēs et impigrē fēcērunt, in diēs deinde pauciōrēs et sēgnius. Per quattuor et vīgintī diēs, ita ut nūllum tempus vacuum dīmicātiōne esset, adversus quattuor ē partibus simul oppugnantem hostem nocturnus diurnō continuātus labor est.

Cum fatīgātōs iam Aetōlōs scīret cōnsul, tāle cōnsi-
24 lium init: cum nocte mediā intermīsisset oppugnātiōnem, quārtā vigiliā rūrsus ab tribus partibus summā vī

per-exiguus -a -um
sēmi-ermis -e = nec armātus nec inermis

trāns-mittere = trāicere

ad Thermopylās

per quem...scīret = ut per eum...scīret

rādīx -īcis *f*




rādīx montis: īnfimus mōns
(locus) praeceps = arduus
contemplārī = intuērī, īnspicere

diurnus -a -um ↔ nocturnus
continuāre = continuum facere; nocturnus labor diurnō *labōrī* c.ātus est = diēs noctēsque labor c.ātus est
inter-mittere ↔ continuāre
IV vigilia : IX hōra noctis

ūnā : quārtā parte
Ti. Semprōnium *Longum* lēgātum (cōs. annō 194 a. C.)

aggressus, ab ūnā Ti. Semprōnium tenēre intentōs mīlitēs signumque exspectāre iussit. Aetōlī ad strepitum pugnantium in tenebrīs currunt. Pars ūna neque dēfenditur neque oppugnātur — sed quī oppugnārent intentī signum exspectābant; dēfēnsor nēmō aderat. Iam dīlūcēscēbat, cum signum cōnsul dedit — et sine ūllō certāmine scālīs integrōs mūrōs trānscendēre! Undique Aetōlī, dēsertīs statiōnibus, in arcem fugiunt.

quī oppugnārent : quī oppugnātūrī erant
dī-lūcēscere = illūcēscere



scālae -ārum *f pl*

Nōn tulēre quī in arce erant Aetōlī impetum ab urbe Rōmānōrum, frāctīs iam animīs et nūllā ibi praeparātā rē ad obsidiōnem diūtius tolerandam. Itaque ad prīmum impetum abiectīs armīs dēdidērunt sēsē.

pācis petendae ōrātōrēs = ōrātōrēs quī pācem peterent

Hēraclēa capta frēgit tandem animōs Aetōlōrum, et *27*
paucōs post diēs pācis petendae ōrātōrēs ad cōnsulem mīsērunt.

Bellum quod cum Antiochō rēge in Graeciā gestum *35*
est ā M'. Acīliō cōnsule hunc fīnem habuit.

Exitū annī comitia Rōmae habita, quibus creātī sunt *45*
cōnsulēs L. Cornēlius Scīpiō et C. Laelius.

[*Ex Periochā librī XXXVII*:]

[annō 190 a. C.]

L. Cornēlius Scīpiō cōs. — lēgātō P. Scīpiōne Āfricānō frātre — profectus ad bellum adversus Antiochum rēgem gerendum, prīmus omnium Rōmānōrum ducum in Asiam trāiēcit.

L. Aemilius Rēgillus
Myonnēsus -ī *m*: prōmunturium Asiae

Rēgillus adversus rēgiam classem Antiochī fēlīciter pugnāvit ad Myonnēsum, Rhodiīs iuvantibus.

Victō deinde Antiochō ab L. Cornēliō Scīpiōne —

adiuvante Eumene, rēge Pergamī — pāx data est eā condiciōne 'ut omnibus prōvinciīs citrā Taurum montem cēderet.' L. Cornēlius Scīpiō, quī cum Antiochō dēbellāverat, cognōmine frātrī exaequātus 'Asiāticus' appellātus. Eumenis, quō iuvante Antiochus victus erat, rēgnum ampliātum. Rhodiīs quoque, quī et ipsī iūverant, quaedam cīvitātēs concessae.

ex omnibus prōvinciīs
ex-aequāre = aequāre
ampliāre = amplificāre
(rem alicui) con-cēdere = (sponte) dare, tribuere (id quod poscitur)

L. Aemilius Rēgillus, quī praefectōs classis Antiochī nāvālī proeliō dēvīcerat, nāvālem triumphum dēdūxit. M'. Acīlius Glabriō dē Antiochō, quem Graeciā expulerat, et dē Aetōlīs triumphāvit.

[*Ex Periochā librī XXXVIII*]

L. Scīpiō Asiāticus, frāter Āfricānī, peculātūs accūsātus damnātusque cum in vincula et carcerem dūcerētur, Tib. Semprōnius Gracchus tr. pl., quī anteā Scīpiōnibus inimīcus fuerat, intercessit, et ob id beneficium Āfricānī fīliam dūxit.

peculātus -ūs *m* = fūrtum pecūniae pūblicae
tr. pl. = tribūnus plēbis (quī lēgī/iūdiciō *intercēdere* potest)
inter-cēdere = vetāre (lēgem/iūdicium)
uxōrem dūxit
fīliam: *Cornēliam*

Perseus victus

[*Ex Periochā librī XL*:]

Rēgnum Macedoniae, mortuō Philippō, ad Perseum vēnit.



Perseus -ī *m*, Philippī fīlius, rēx Macedoniae annīs 179–168 a. C.

[*Ex Periochā librī XLII*:]

Eumenēs, Asiae rēx, in senātū dē Perseō, Macedoniae rēge, questus est, cuius iniūriae in populum Rōmānum referuntur. Ob quās bellō eī indictō, P. Licinius Crassus cōs., cui mandātum erat, in Macedoniam

querī questum
referuntur (: nārrantur) *in Līviī librō XLII* [annō 171 a. C.]

expedītiō -ōnis *f* = bellum in hostium fīnēs illātum
Cotys -yis *m* (*acc* -ym)
ēventus -ūs *m* = exitus

līs lītis *f* = certāmen dē iūre

continet *Līviī liber XLIII*

[annō 169 a. C.]
in-vius -a -um = sine viā, difficilis trānsitū

[annō 168 a. C.]

vīcit : ad *Pydnam* oppidum

quam : postquam
Amphipolis -is *f* (*acc* -im)
Q. Fabiō *Māximō Aemiliānō* (cōs. annō 145 a. C.)
Q. *Caeciliō* Metellō (cōs. annō 143 a. C.)

deinceps = deinde

Perseus -ī *m*, *acc* -a

trānsiit, levibusque expedītiōnibus, equestribus proeliīs, in Thessaliā cum Perseō, quem Cotys, rēx Thrāciae, adiuvābat, parum prosperō ēventū pugnāvit.

Inter Masinissam et Carthāginiēnsēs dē agrō fuit līs.

[*Ex Periochā librī XLIII*:]

Rēs ā Perseō rēge in Thrāciā prosperē gestās continet, victīs Dardanīs et Illyricō, cuius rēx erat Gentius.

[*Ex Periochā librī XLIV*:]

Q. Mārcius Philippus per inviōs saltūs penetrāvit Macedoniam et complūrēs urbēs occupāvit.

Cum id bellum L. Aemiliō Paulō, sequentis annī cōs., mandātum esset, Paulus in Macedoniam profectus Perseum vīcit tōtamque Macedoniam in potestātem Rōmānōrum redēgit. Gentius quoque, rēx Illyriōrum, cum rebellāsset, ā L. Aniciō praetōre victus vēnit in dēditiōnem.

[*Ex librō XLIV*:]

Tertiō diē Perseus quam pugnātum erat Amphipolim *45*
vēnit. Cōnsul — nūntiīs victōriae Q. Fabiō fīliō et L. Lentulō et Q. Metellō cum litterīs Rōmam missīs — propius mare ad Pydnam castra mōvit. Beroea primum, deinde Thessalonīca et Pella et deinceps omnis fermē Macedonia intrā bīduum dēdita.

Cōnsul ā Pydnā profectus cum tōtō exercitū diē alterō Pellam pervēnit et, cum castra mīlle passūs inde posuisset, per aliquot diēs ibi statīva habuit situm urbis undique aspiciēns. Nūntiō deinde acceptō 'Persea Samo-

thrācam trāiēcisse', profectus ā Pellā cōnsul quārtīs castrīs Amphipolim pervēnit.

[*Ex librō XLV*:]

1 Victōriae nūntiī Q. Fabius et L. Lentulus et Q. Metellus celeriter Rōmam cum vēnissent, praeceptam tamen eius reī laetitiam invēnērunt: Quārtō post diē quam cum rēge est pugnātum, cum in circō lūdī fierent, murmur repente populī tōta spectācula pervāsit 'pugnātum in Macedoniā et dēvictum rēgem esse'; dein fremitus increvit; postrēmō clāmor, plausus, velut certō nūntiō victōriae allātō, est exortus. Mīrārī magistrātūs et quaerere auctōrem repentīnae laetitiae. Quī postquam nūllus erat, ēvānuit quidem tamquam certae reī gaudium, ōmen tamen laetum īnsidēbat animīs. Quod postquam vērīs nūntiīs, Fabiī Lentulīque et Metellī adventū, fīrmātum est, cum victōriā ipsā, tum auguriō animōrum suōrum laetābantur.

Et altera trāditur circēnsis turbae nōn minus similis vērī laetitia. Ante diem quīntum decimum kalendās Octōbrēs, lūdōrum Rōmānōrum secundō diē, C. Liciniō cōnsulī ad quadrīgās mittendās ēscendentī tabellārius, quī 'sē ex Macedoniā venīre' dīceret, laureātās litterās trādidisse dīcitur. Quadrīgīs missīs cōnsul currum cōnscendit et, cum per circum reveherētur ad forōs pūblicōs, laureātās tabellās populō ostendit. Quibus cōnspectīs repente immemor spectāculī populus in medium dēcurrit. Eō senātum cōnsul vocāvit, recitātīsque

quārtīs castrīs = quārtō diē (exercitus in itinere cotīdiē castra pōnit)

prae-cipere = ante capere

: quārtō diē postquam

murmur -is *n* = vōx quae vix audītur (↔ clāmor)

fremitus -ūs *m* (< fremere) = sonus gravis continuus

in-crēscere = crēscere

mīr*ārī* : mīr*antur*

quaer*ere* : quaer*unt*

ēvānuit : cessāvit

ōmen -inis *n* = signum quod rem futūram portendit

animō (*dat*) īn-sidēre = in animō sedēre (remanēre)

augurium = sēnsus reī futūrae, ōmen

vērī similis = quī vērus esse vidētur

lūdī Rōmānī mēnse Septembrī celebrantur

C. Liciniō *Crassō*

quadrīgās mittere : cursum aperīre

laureātus -a -um = laurō ōrnātus

im-memor = oblītus

dē-nūntiāre = prō-nūntiāre
L. Aemilium *Paulum*

tabellīs ex auctōritāte patrum prō forīs pūblicīs dēnūntiāvit populō 'L. Aemilium collēgam signīs collātīs cum rēge Perseō pugnāsse; Macedonum exercitum caesum fūsumque; rēgem cum paucīs fūgisse; cīvitātēs omnēs Macedoniae in diciōnem populī Rōmānī vēnisse.' Hīs audītīs clāmor cum ingentī plausū ortus. Lūdīs relictīs domōs magna pars hominum ad coniugēs līberōs laetum nūntium portābant. Tertius decimus diēs erat ab eō quō in Macedoniā pugnātum est.

coniugēs *et* līberōs

Posterō diē senātus in Cūriā habitus supplicātiōnēs- *2*
que dēcrētae et senātūs cōnsultum factum est 'ut cōnsul quōs praeter mīlitēs sociōsque nāvālēs coniūrātōs habēret dīmitteret; dē mīlitibus sociīsque nāvālibus dīmittendīs referrētur cum lēgātī ab L. Aemiliō cōnsule, ā quibus praemissus tabellārius esset, vēnissent.'

sociī nāvālēs = nautae classis Rōmānae
con-iūrātī = mīlitēs voluntāriī quī ducī iūs iūrandum dedērunt
ad senātum referrētur

Ante diem sextum kalendās Octōbrēs hōrā ferē secundā lēgātī urbem ingressī sunt. Ingentem sēcum occurrentium, quācumque ībant, prōsequentiumque trahentēs turbam in forum perrēxērunt. Senātus forte in Cūriā erat; eō lēgātōs cōnsul intrōdūxit. Ibi tantum temporis retentī dum expōnerent quantae rēgiae cōpiae peditum equitumque fuissent, quot mīlia ex iīs caesa, quot capta forent, quam paucōrum mīlitum iactūrā tanta hostium strāgēs facta, quam pavidē rēx fūgisset. 'Exīstimārī Samothrācam petītūrum; parātam classem ad persequendum esse; neque terrā neque marī ēlābī posse.' Eadem haec paulō post in cōntiōnem trāductī exposu-

ingentem turbam occurrentium prōsequentiumque sēcum trahentēs
pergere perrēxisse
tantum temporis = tam diū
forent = essent
paucōrum mīlitum iactūrā : paucīs mīlitibus āmissīs
"(rēx) exīstimātur Samothrācam petītūrus esse"
eum ēlābī posse

ērunt. Renovātaque laetitia, cum cōnsul ēdīxisset 'ut omnēs aedēs sacrae aperīrentur': prō sē quisque ex cōntiōne ad grātiās agendās īre dīs, ingentīque turbā nōn virōrum modo sed etiam fēminārum complērī tōtā urbe deōrum immortālium templa.

īre : it
: compl*entur*

Senātus revocātus in Cūriam supplicātiōnēs ob rem ēgregiē gestam ab L. Aemiliō cōnsule in quīnque diēs circā omnia pulvīnāria dēcrēvit hostiīsque māiōribus sacrificārī iussit; nāvēs quae in Tiberī parātae īnstrūctaeque stābant, ut, sī rēs posceret, in Macedoniam mitterentur, subdūcī et in nāvālibus collocārī, sociōs nāvālēs datō annuō stipendiō dīmittī et cum iīs omnēs quī in cōnsulis verba iūrāverant.

pulvīnar -āris *n* = torus in quō pōnuntur signa deōrum supplicātiōnibus
hostiae māiōrēs : taurī, ovēs, suēs (nōn pullī)
nāvēs subdūcī *iussit senātus*
nāvālia -ium *n* = locus ubi nāvēs aedificantur et reficiuntur
quī in cōnsulis verba iūrāverant (: cōnsulī iūs iūrandum dederant) : coniūrātī

3 Ex Illyricō duo lēgātī nūntiārunt 'exercitum Illyriōrum caesum, Gentium rēgem captum, in diciōne populī Rōmānī Illyricum esse.' Ob eās rēs gestās ductū auspiciōque L. Aniciī praetōris senātus in trīduum supplicātiōnēs dēcrēvit.

auspicium -ī *n* = iūs auspiciī : imperium ducis (nam dux sōlus bellī auspicium habet)

Perseus captus

4 Paulus Aemilius cōnsul cum castra ad Sirās habēret, litterae ab rēge Perseō per ignōbilēs trēs lēgātōs eī allātae sunt. Quōs cum flentēs cerneret, et ipse illacrimāsse dīcitur sortī hūmānae, quod quī paulō ante nōn contentus rēgnō Macedoniae Dardanōs Illyriōsque oppugnāsset, is tum āmissō exercitū, extorris rēgnō, in parvam īnsulam compulsus, supplex, fānī religiōne, nōn vīribus

Sirae -ārum *f*: cīvitās Macedoniae
ignōbilis -e ↔ nōbilis
il-lacrimāre reī = lacrimāre ob rem
sors = fortūna
contentus -a -um: c. esse aliquā rē = aliquid satis esse putāre
ex-torris -e = exsul
fānum = locus sacer (Samothrāca īnsula sacra habētur)

suīs tūtus esset. Sed postquam '*rēgem* Persea cōnsulī Paulō salūtem' lēgit, miserātiōnem omnem stultitia ignōrantis fortūnam suam exēmit. Itaque, quamquam in reliquā parte litterārum minimē rēgiae precēs erant, tamen sine respōnsō ac sine litterīs ea lēgātiō dīmissa est.

Sēnsit Perseus, cuius nōminis oblīvīscendum victō esset. Itaque alterae litterae cum prīvātī nōminis titulō missae et petiēre et impetrāvēre ut aliquī ad eum mitterentur cum quibus loquī dē statū et condiciōne suae fortūnae posset. Missī sunt trēs lēgātī, P. Lentulus, A. Postumius Albīnus, A. Antōnius. Nihil eā lēgātiōne perfectum est, Perseō rēgium nōmen omnī vī amplectente, Paulō 'ut sē suaque omnia in fidem et clēmentiam populī Rōmānī permitteret' tendente.

Dum haec aguntur, classis Cn. Octāviī Samothrācam 5
est appulsa. ...

Cēterum Perseus omnium ab sē abaliēnāvit animōs: 6
prō sē quisque trānsīre ad Rōmānōs, fugaeque cōnsilium capere rēgem sōlum prope relictum coēgērunt. Oroandem dēnique Crētēnsem, cui nōta Thrēciae ōra erat quia mercātūrās in eā regiōne fēcerat, appellat, 'ut sē sublātum in lembum ad Cotym dēveheret.'

Dēmētrium est portus in prōmunturiō quōdam Samothrācae; ibi lembus stābat. Sub occāsum sōlis dēferuntur quae ad ūsum necessāria erant; dēfertur et pecūnia quanta clam dēferrī poterat. Rēx ipse nocte mediā cum tribus cōnsciīs fugae per postīcum aedium in pro-

miserātiō -ōnis *f* < miserārī
stultitia (rēgis) fortūnam suam ignōrantis omnem miserātiōnem *eī* exēmit

: P. sēnsit nōminis '*rēgis*' sibi victō oblīvīscendum esse
litterae petiēre : P. litterīs petiit
titulus = quod suprā scrībitur

P. *Cornēlius* Lentulus: cōs. suf. annō 162 a.C.

Perseō... amplectente : cum Perseus... amplecterētur (: retinēret)
clēmentia -ae *f* < clēmēns
tendere ut = operam dare /postulāre ut
Cn. Octāviī *praetōris*, quī praefectus classis erat

ab-aliēnāre (< aliēnus) ↔ conciliāre
: trānsi*t*

Oroandēs -is *m*
Thrēcia = Thrācia
mercātūra -ae *f* = negōtium mercātōris
lembus -ī *m* = nāvicula vēlōx
dē-vehere

cōn-scius -a -um: c. reī = quī rem scit
postīcum -ī *n* = ōstium posterius

pinquum cubiculō hortum atque inde, māceriam aegrē trānsgressus, ad mare pervēnit.

māceria -ae *f* = mūrus quī hortum cingit

Oroandēs tantum morātus dum pecūnia dēferrētur, prīmīs tenebrīs solverat nāvem ac per altum Crētam petēbat! Postquam in portū nāvis nōn inventa est, vagātus Perseus aliquamdiū in lītore, postrēmō timēns lūcem iam appropinquantem, in hospitium redīre nōn ausus, in latere templī prope angulum obscūrum dēlituit.

tantum (temporis) = tam diū

dē-litēscere -tuisse = sē occultāre

'Puerī rēgiī' apud Macedonas vocābantur prīncipum līberī ad ministerium ēlēctī rēgis; ea cohors persecūta rēgem fugientem nē tum quidem abscēdēbat — dōnec iussū Cn. Octāviī prōnūntiātum est per praecōnem 'rēgiōs puerōs Macedonasque aliōs quī Samothrācae essent, sī trānsīrent ad Rōmānōs, incolumitātem lībertātemque et sua omnia servātūrōs quae aut sēcum habērent aut in Macedoniā relīquissent.' Ad hanc vōcem trānsitiō omnium facta est, nōminaque dabant ad C. Postumium tribūnum mīlitum. Līberōs quoque parvōs rēgiōs Iōn Thessalonīcēnsis Octāviō trādidit, nec quisquam praeter Philippum, māximum nātū ex fīliīs, cum rēge relictus.

Macedonēs, *acc* -ēs/-as
ministerium -ī *n* = officium ministrī
persequī = sequī, comitārī
abs-cēdere = abīre (↔ accēdere)

incolumitās -ātis *f* < incolumis

trānsitiō -ōnis *f* < trānsīre

Iōn -ōnis *m*
Thessalonīcēnsis -e < Thessalonīca; *m* cīvis

Tum sēsē fīliumque Octāviō trādidit, fortūnam deōsque quōrum in templō erat 'nūllā ope supplicem iuvantēs' accūsāns. In praetōriam nāvem impōnī iussus, eōdem et pecūnia quae superfuit dēlāta est extemplōque classis Amphipolim repetit. Inde Octāvius rēgem in

nāvis praetōria = nāvis praefectī (: Cn. Octāviī)

in *suā* potestāte

Paulus, eam secundam victōriam *esse* ratus (sīcut erat), ...

Q. Aelius Tūberō -ōnis: gener Paulī

accessiō -ōnis *f* = quod accēdit (: additur)

quōs... contingēbat: quibus cognātus erat


cōnspectus -a -um = cōnspicuus

ef-fulgēre < ex-

Philippus *II*: Alexandrī Magnī pater

pullus -a -um = colōre mediō inter album et ātrum

tabernāculum -ī *n*



submōtō = hominibus submōtīs

cōn-surgere = surgere

intro-īre = intrāre

por-rigere -ēxisse -ēctum = extendere

sub-mittere = dēmittere

advocātōs: eōs quī advocātī erant

castra ad cōnsulem mīsit, praemissīs litterīs, ut in potestāte eum esse et addūcī scīret.

Secundam eam Paulus (sīcut erat) victōriam ratus 7
victimās cecīdit eō nūntiō, et cōnsiliō advocātō litterās praetōris cum recitāsset, Q. Aelium Tūberōnem obviam rēgī mīsit, cēterōs manēre in praetōriō frequentēs iussit.

Nōn aliās ad ūllum spectāculum tanta multitūdō occurrit. Patrum aetāte Syphāx rēx captus in castra Rōmāna adductus erat; praeterquam quod nec suā nec gentis fāmā comparandus, tantum accessiō Pūnicī bellī fuerat, sīcut Gentius Macedonicī — Perseus caput bellī erat, nec ipsīus tantum patris avīque cēterōrumque quōs sanguine et genere contingēbat fāma cōnspectum eum efficiēbat, sed effulgēbant Philippus ac Magnus Alexander, quī summum imperium in orbe terrārum Macedonum fēcerant.

Pullō amictū cum fīliō Perseus ingressus est castra, nūllō suōrum aliō comite quī socius calamitātis miserābiliōrem eum faceret. Prōgredī prae turbā occurrentium ad spectāculum nōn poterat, dōnec ā cōnsule līctōrēs missī sunt quī submōtō iter ad praetōrium facerent. Cōnsurrēxit cōnsul, iussīs sedēre aliīs, prōgressusque paulum introeuntī rēgī dextram porrēxit submittentemque sē ad pedēs sustulit nec attingere genua passus intrōductum in tabernāculum adversus advocātōs in cōnsilium cōnsīdere iussit.

8 Prīma percontātiō fuit 'quā subāctus iniūriā contrā populum Rōmānum bellum tam īnfēstō animō suscēpisset, quō sē rēgnumque suum ad ultimum discrīmen addūceret?' Cum, respōnsum exspectantibus cūnctīs, terram intuēns diū tacitus flēret, rūrsus cōnsul: "Sī iuvenis rēgnum accēpissēs, minus equidem mīrārer ignōrāsse tē quam gravis aut amīcus aut inimīcus esset populus Rōmānus; nunc vērō, cum et bellō patris tuī, quod nōbīscum gessit, interfuissēs, et pācis posteā, quam cum summā fidē adversus eum coluimus, meminissēs, quod fuit cōnsilium, quōrum et vim in bellō et fidem in pāce expertus essēs, cum iīs tibi bellum esse quam pācem mālle?"

percontātiō -ōnis *f* < percontārī
sub-igere -ēgisse -āctum = cōgere

pācem colere = pācem servāre
quod fuit cōnsilium mālle : cūr māluistī cum iīs quōrum...

Nec interrogātus nec accūsātus cum respondēret, "Utcumque tamen haec, sīve errōre hūmānō seu cāsū seu necessitāte incidērunt, bonum animum habē! Multōrum rēgum populōrumque cāsibus cognita populī Rōmānī clēmentia nōn modo spem tibi, sed prope certam fīdūciam salūtis praebet."

ut-cumque = quōcumque modō
populī R. clēmentia ... cognita
fīdūcia -ae *f* = cōnfīdentia

Haec Graecō sermōne Perseō; Latīnē deinde suīs "Exemplum īnsigne cernitis" inquit "mūtātiōnis rērum hūmānārum. Vōbīs hoc praecipuē dīcō, iuvenēs! Ideō in secundīs rēbus nihil in quemquam superbē ac violenter cōnsulere decet nec praesentī crēdere fortūnae, cum quid vesper ferat incertum sit. Is dēmum vir erit cuius animum nec prosperae rēs flātū suō efferent nec adversae īnfringent."

mūtātiō -ōnis *f* < mūtāre
violentus -a -um = quī vī ūtitur, ferōx; *adv* -enter
nihil cōnsulere: nūllum cōnsilium inīre
flātus -ūs *m* (< flāre) = ventus (secundus)
efferre = superbum facere

cūra rēgis tuendī

Cōnsiliō dīmissō, tuendī cūra rēgis Q. Aeliō mandātur. Eō diē et invītātus ad cōnsulem Perseus et alius omnis eī honōs habitus est quī habērī in tālī fortūnā poterat.

Exercitus deinde in hīberna dīmissus est. Māximam 9
partem cōpiārum Amphipolis, reliquās propinquae urbēs accēpērunt.



rēgnum Alexandrī

Macedonia prōvincia

plērumque Eurōpae = māior Eurōpae pars
Caranus -ī *m*: prīmus rēx Macedonum
[annō 179 a. C.]
Q. Fulviō *Flaccō*
obscūrā fāmā esse = ignōtus esse
super-fundere sē = effundī super rīpās
suae diciōnis facere = in suam diciōnem redigere
Arabēs -um *m* (*acc* -as): incolae Arabiae
[annō 323 a. C.]
(quisque) rapiunt : rapit

Hic fīnis bellī, cum quadriennium continuum bellātum esset, inter Rōmānōs ac Persea fuit, īdemque fīnis inclutī per Eurōpae plērumque atque Asiam omnem rēgnī. Vīcēsimum ab Caranō, quī prīmus rēgnābat, Persea numerābant. Perseus Q. Fulviō L. Mānliō cōnsulibus rēgnum accēpit; rēgnāvit ūndecim annōs. Macedonum gēns obscūrā admodum fāmā ūsque ad Philippum, Amyntae fīlium, fuit. Inde ac per eum crēscere cum coepisset, Eurōpae sē tamen fīnibus continuit, Graeciam omnem et partem Thrēciae atque Illyricī amplexa. Superfūdit deinde sē in Asiam et trēdecim annīs quibus Alexander rēgnāvit prīmum omnia quā Persārum prope immēnsō spatiō imperium fuerat suae diciōnis fēcit; Arabas hinc Indiamque, quā terrārum ultimōs fīnēs Rubrum mare amplectitur, peragrāvit. Tum māximum in terrīs Macedonum rēgnum nōmenque. Inde morte Alexandrī distractum in multa rēgna, dum ad sē quisque opēs rapiunt, lacerātīs vīribus ā summō culmine

fortūnae ad ultimum fīnem centum quīnquāgintā annōs
stetit.

16 Q. Aeliō M. Iūniō cōnsulibus dē prōvinciīs referenti-
bus, cēnsuēre patrēs 'Macedoniam Illyricumque eōs-
dem L. Paulum et L. Anicium obtinēre, dōnec dē sen-
17 tentiā lēgātōrum rēs bellō turbātās composuissent.' Lē-
gātōs deinde, quōrum dē sententiā imperātōrēs L. Pau-
lus L. Anicius compōnerent rēs, dēcrēvērunt: decem in
18 Macedoniam, quīnque in Illyricum. Omnium prīmum
līberōs esse placēbat Macedonas atque Illyriōs 'ut om-
nibus gentibus appārēret arma populī Rōmānī nōn
līberīs servitūtem, sed contrā servientibus lībertātem
afferre.'

[annō 167 a. C.]
referentibus *ad senātum*

L. Paulus *et* L. Anicius

27 Paulus ante adventum decem lēgātōrum Q. Māxi-
mum fīlium ad Aeginium et Agassās dīripiendās mittit.

Q. *Fabium* Māximum

Aeginium -ī *n*, Agassae -ārum *f*: cīvitātēs Thessaliae quae Rōmānīs restiterant

Autumnī ferē tempus erat; cuius temporis initiō ad circumeundam Graeciam ūtī statuit. Praepositō castrīs C. Sulpiciō Gallō, profectus cum haud magnō comitātū per Thessaliam Delphōs petit, inclutum ōrāculum. Ubi sacrificiō Apollinī factō, Chalcidem ad spectāculum Eurīpī Euboeaeque, tantae īnsulae ponte continentī iūnctae, dēscendit. Ā Chalcide Aulidem trāicit, trium mīlium spatiō distantem, portum inclutum statiōne quondam mīlle nāvium Agamemnoniae classis, Diānaeque templum vīsit, ubi nāvibus cursum ad Trōiam, fīliā victimā ārīs admōtā, rēx ille rēgum petiit. Athēnās inde, multa vīsenda habentēs: arcem, portūs, mūrōs Pīraeum

C. Sulpicius Gallus (cōs. annō 166 a.C.)

Eurīpus -ī *m*

(terra) continēns↔īnsula
Aulis -idis *f*
trium milium *passuum*
di-stāre = ab-esse
statiō -ōnis *f* < stāre
Agamemnonius -a -um < Agamemnōn (is ā Diānā iussus est *Iphigeniam* fīliam immolāre, ut ventum habēret)
vīsere -sisse = adīre spectandī causā
Pīraeus -ī *m*: portus Athēnārum māximus

urbī iungentēs, nāvālia, monumenta magnōrum imperātōrum, simulācra deōrum hominumque.

praeses -idis *m/f* = cūstōs

excidium: Corinthus XXI annīs post ā Rōmānīs dīruta est
Sicyōn -ōnis *f*
Epidaurus -ī *f*

Aesculāpius -ī *m*: deus medicōrum

remedium -ī *n* = rēs quae aegrōs sānat
salūtāris -e = quī salūtem affert
remediōrum mercēs = m. prō remediīs
disciplīna -ae *f* = quod discendum est
Megalopolis -is *f*, *acc* -im
Olympia: ibi est Iovis templum cum ingentī simulācrō
secus *adv* = aliter
(amplius) solitō = quam fierī solet

28 Sacrificiō Minervae, praesidī arcis, in urbe factō, profectus Corinthum alterō diē pervēnit. Urbs erat tunc praeclāra ante excidium; arx quoque et Isthmus praebuēre spectāculum. Sicyōnem inde et Argōs, nōbilēs urbēs, adit, inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclutam Aesculāpiī nōbilī templō, quod, quīnque mīlibus passuum ab urbe distāns, tum dōnīs dīves erat quae remediōrum salūtārium aegrī mercēdem sacrāverant deō. Inde Lacedaemonem adit, nōn operum magnificentiā, sed disciplīnā īnstitūtīsque memorābilem. Unde per Megalopolim Olympiam ēscendit; ubi et alia quidem spectanda eī vīsa — Iovem velut praesentem intuēns mōtus animō est. Itaque haud secus quam sī in Capitōliō immolātūrus esset, sacrificium amplius solitō apparārī iussit.

(fāma) accidit = affertur, audītur

tribūnal -ālis *n* = locus superior cum sēde magistrātūs


facienda vīsa essent

Paulum iubēre (referēbat Octāvius)

Ita, peragrātā Graeciā, postquam fāma accidit trāiēcisse iam mare decem lēgātōs, omnibus aliīs omissīs ad eōs pergit. Ubi diēs vēnit quō adesse Amphipolī dēnōs *29* prīncipēs cīvitātum iusserat et pecūniam rēgiam cōnferrī, cum decem lēgātīs, circumfūsā omnī multitūdine Macedonum, in tribūnālī cōnsēdit. Silentiō per praecōnem factō, Paulus Latīnē, quae senātuī, quae sibi ex cōnsiliī sententiā vīsa essent, prōnūntiāvit. Ea Cn. Octāvius praetor — nam et ipse aderat — sermōne Graecō referēbat: ‘Omnium prīmum līberōs esse iubēre Mace-

donas, habentēs urbēs eāsdem agrōsque, ūtentēs lēgibus suīs, annuōs creantēs magistrātūs. Tribūtum dīmidium eius quod pependissent rēgibus pendere populō Rōmānō. Deinde in quattuor regiōnēs dīvidī Macedoniam...'
32 Nōmina deinde sunt recitāta prīncipum Macedonum, quōs cum līberīs māiōribus quam quīndecim annōs nātīs praecēdere in Italiam placēret; quī nōn pāruisset imperiō mors dēnūntiāta. Lēgēs Macedoniae dedit cum tantā cūrā ut nōn hostibus victīs, sed sociīs bene meritīs dare vidērētur.

Ab sēriīs rēbus lūdicrum magnō apparātū Amphipolī fēcit. Nam et artificum omnis generis quī lūdicram artem faciēbant ex tōtō orbe terrārum multitūdō et āthlētārum et nōbilium equōrum convēnit et lēgātiōnēs cum victimīs, et quidquid aliud deōrum hominumque causā fierī magnīs lūdīs in Graeciā solet ita factum est ut nōn magnificentiam tantum sed prūdentiam in dandīs spectāculīs, ad quae rudēs tum Rōmānī erant, admīrārentur. Epulae quoque lēgātiōnibus parātae et opulentiā et cūrā eādem. Vulgō dictum ipsīus ferēbant 'et convīvium īnstruere et lūdōs parāre eiusdem esse quī vincere bellō scīret'.



tribūtum -ī *n* = pecūnia quae reī pūblicae tribuitur, vectīgal
pendere pependisse pēnsum


āthlēta -ae *m*

artifex -icis *m* = vir artis perītus
ars lūdicra = ars scaenae

opulentia -ae *f* < opulentus
vulgō *adv* = inter vulgus, passim
īnstruere = apparāre
eiusdem esse : eiusdem negōtium esse

ad-optāre = locō fīliī in familiam suam suscipere

Fortūna pūblica et prīvāta

[*Ex Periochā librī XLV*:]

L. Aemilius Paulus *Macedonicus*

Macedoniā in prōvinciae fōrmam redāctā, Aemilius Paulus triumphāvit et Perseum cum tribus fīliīs dūxit ante currum.

[*Ex librō XLV*:]

fīliī: Q. *Fabius* Māximus *Aemiliānus* et P. *Cornēlius* Scīpiō *Aemiliānus*
turmātim = in turmīs

Secūtī currum inter aliōs illūstrēs virōs fīliī duo Q. *40*
Māximus et P. Scīpiō; deinde equitēs turmātim et cohortēs peditum.

documentum -ī *n* = exemplum quō docētur aliquid

adoptiō -ōnis *f* < adoptāre; in a.em dare = adoptandum dare
(Paulus II fīliōs māiōrēs in adoptiōnem dedit)

praetextātus -a -um = (togā) praetextā indūtus (ut puer līber ad annum XVII)
dēstināre = statuere, dēcernere

Sed nōn Perseus tantum per illōs diēs documentum hūmānōrum cāsuum fuit in catēnīs ante currum victōris ducis per urbem hostium ductus, sed etiam victor Paulus, aurō purpurāque fulgēns. Nam duōbus ē fīliīs (quōs, duōbus datīs in adoptiōnem, sōlōs nōminis, sacrōrum familiaeque hērēdēs retinuerat domī) minor, duodecim fermē annōs nātus, quīnque diēbus ante triumphum, māior, quattuordecim annōrum, trīduō post triumphum dēcessit. Quōs praetextātōs currū vehī cum patre, sibi ipsōs similēs dēstinantēs triumphōs, oportuerat.

cōntiōnem dare = cōntiōnem permittere

Paucīs post diēbus, datā ā M. Antōniō tribūnō plēbis cōntiōne, cum dē suīs rēbus gestīs mōre cēterōrum imperātōrum ēdissereret, memorābilis eius ōrātiō et digna Rōmānō prīncipe fuit:

quamquam arbitror vōs nōn ignōrāre et quā... et...
fulmina : calamitātēs

"Quamquam, et quā fēlīcitāte rem pūblicam admi- *41*
nistrāverim et quae duo fulmina domum meam per hōs diēs perculerint, nōn ignōrāre vōs, Quirītēs, arbitror,

cum spectāculō vōbīs nunc triumphus meus, nunc fūnera līberōrum meōrum fuerint, tamen paucīs quaesō sinātis mē cum pūblicā fēlīcitāte comparāre eō quō dēbeō animō prīvātam meam fortūnam.

quaesō = ōrō (tē/vōs) *ut* sinātis
eō animō quō dēbeō

"Profectus ex Italiā classem ā Brundisiō sōle ortō solvī; nōnā diēī hōrā cum omnibus meīs nāvibus Corcȳram tenuī. Inde quīntō diē Delphīs Apollinī prō mē exercitibusque et classibus vestrīs sacrificāvī. Ā Delphīs quīntō diē in castra pervēnī; ubi exercitū acceptō, mūtātīs quibusdam quae magna impedīmenta victōriae erant, prōgressus, quia inexpugnābilia castra hostium erant neque cōgī pugnāre poterat rēx, inter praesidia eius saltum ad Petram ēvāsī et ad Pydnam rēgem aciē vīcī. Macedoniam in potestātem populī Rōmānī redēgī, et quod bellum per quadriennium quattuor ante mē cōnsulēs ita gessērunt ut semper successōrī trāderent gravius, id ego quīndecim diēbus perfēcī!

(locum) tenēre = pervenīre ad, attingere
inde quīntō diē = quīntō diē post
impedīmentum -ī *n* = quod impedit
in-expugnābilis -e = quī expugnārī nōn potest
Petra -ae *f*: oppidum Macedoniae
(locum) ēvādere = trānsgredī
et id bellum quod...
successor -ōris *m* = quī succēdit

"Aliārum deinde secundārum rērum velut prōventus secūtus: cīvitātēs omnēs Macedoniae sē dēdidērunt, gaza rēgia in potestātem vēnit, rēx ipse — trādentibus prope ipsīs dīs — in templō Samothrācum cum līberīs est captus.

prōventus -ūs *m* = magnae frūgēs
gaza -ae *f* = aerārium rēgis, thēsaurus
Samothrācēs -um *m*: incolae Samothrācae

"Mihi quoque ipsī nimia iam fortūna vidērī eōque suspecta esse. Maris perīcula timēre coepī in tantā pecūniā rēgiā in Italiam trāiciendā et victōre exercitū trānsportandō. Postquam omnia secundō nāvium cursū in Italiam pervēnērunt neque erat quod ultrā precārer,

vidērī : vidēbātur
esse : erat
in tantā pecūniā trāiciendā : cum tanta pecūnia trāicerētur
: neque *quidquam* erat quod ultrā precārer (: precārī possem)

volvī = vertī
cōnsuē*vi*sset = solēret
dēfūnctam esse : satis habēre, contentam esse
ad lūdibrium reī : ad ēlūdendam rem
māximē nōbilia = nōbilissima
rediēns ex Capitōliō alterum... invēnī
līber*um* = līber*ōrum*
prōgeniēs -ēī *f* = stirps
Aemiliī fīlius in adoptiōnem datus 'Aemili*ānus*' nōminātur
'Paulus': quī Paulus nōminātur
cōn-fundere = turbāre, permovēre
dē-flēre: sortem d. = sortī illacrimāre

illud optāvī: ut, cum ex summō retrō volvī fortūna cōnsuēsset, mūtātiōnem eius domus mea potius quam rēs pūblica sentīret!

"Itaque dēfūnctam esse fortūnam pūblicam meā tam īnsignī calamitāte spērō, quod triumphus meus, velut ad lūdibrium cāsuum hūmānōrum, duōbus fūneribus līberōrum meōrum est interpositus. Et cum ego et Perseus nunc nōbilia māximē sortis mortālium exempla spectēmur, ille, quī ante sē captīvōs, captīvus ipse, dūcī līberōs vīdit, incolumēs tamen eōs habet — ego, quī dē illō triumphāvī, ab alterīus fūnere fīliī currum cōnscendī, alterum rediēns ex Capitōliō prope iam exspīrantem invēnī. Neque ex tantā stirpe līberum superest quī 'Aemiliī Paulī' nōmen ferat. Duōs enim tamquam ex magnā prōgeniē līberōrum in adoptiōnem datōs Cornēlia et Fabia gēns habent — 'Paulus' in domō praeter senem nēmō superest. Sed hanc clādem domūs meae vestra fēlīcitās et secunda fortūna pūblica cōnsōlātur."

Haec tantō dicta animō magis cōnfūdēre audientium *42*
animōs quam sī miserābiliter orbitātem suam dēflendō locūtus esset.

Graecia *capta*, nōn *līberāta* (ut āiunt Rōmānī!)
artēs : litterās, philosophiam, cēt.
Latiō (*dat*) : in Latium
Q. Horātius Flaccus: poēta illūstris quī aetāte Augustī vīxit

GRAECIA CAPTA

Graecia capta ferum victōrem cēpit, et artēs
intulit agrestī Latiō.

[Q. Horātius Flaccus: *Epistulae,* II.1.156–157]

GRAMMATICA LATINA

Ōrātiō rēcta et oblīqua

(I) *Ōrātiō rēcta ("....")*

Anna: "Cūr flēs?" Dīdō: "Fleō, quia vir quem amō *mē* ēlūs*it*, etsī *mihi* fidem ded*it*; mori*ar*, sī abi*erit*!"

(II) *Ōrātiō oblīqua ('....')*

Anna sorōrem interrogāvit 'cūr flē*ret*?' Respondit Dīdō '*sē* flē*re*, quia vir quem amā*ret sē* ēlūs*isset*, etsī *sibi* fidem ded*isset*; *sē* morit*ūram esse*, sī abi*isset*!'

Accūsātīvus cum īnfīnītīvō: sē flēre, sē moritūram esse.

Coniūnctīvus (flēret, amāret, ēlūsisset, dedisset, abiisset) post *cūr* (item *quis, quid, ubi, num, -ne*, cēt.), *quī* (*quae, quod*, cēt.), *quia* (*quod, quoniam, dum, postquam*, cēt.), *etsī* (*quamquam*), *sī* (*nisi*). Pers. III prō I et II: flēret, amāret, sē, sibi.

oblīquus -a -um: līnea oblīqua [/] līnea rēcta [|]
ōrātiō *rēcta*: ipsa verba loquentis ("...") ↔ ōrātiō *oblīqua* ('...') : lēgibus grammaticīs mūtāta (*acc + īnf* prō *nōm + ind*, *coni* prō *ind*, *pers 3* prō *1/2*)

PENSVM A

Verte ōrātiōnem rēctam in oblīquam:

Augustus: "Marmoream relinquō urbem quam latericiam accēpī." Augustus glōriātus est '— — — — — — — —.'

Nerō: "Postquam domum *mihi* aedificāvī, quasi homō tandem habitāre coepī!" Nerō dīxit '—, — — — —, — — — — —.'

Horātius pater: "*Ego* fīliam *meam* iūre caesam iūdicō, quod hostium mortem lūg*ēbat*." Horātius pater prōclāmāvit '— — — — — —, — — — —.'

Tarquinius: "*Ego nōn* rem novam petō, quia duo iam rēgēs peregrīnī Rōmae rēgnāv*ērunt*." Tarquinius negāvit '— — — —, — — — — — — — —.'

Tullia: "Nōn *mihi* dēfu*it* vir cum quō tacita serv*iēbam*." Tullia dīcēbat '— — — — — — — — —.'

Tarpēia: "Mercēdem postulō id quod in sinistrīs manibus hab*ētis*." Tarpēia mercēdem ā Sabīnīs postulāverat '— — — — — —.'

Hamilcar: "*Tē* in castra *mē*cum dūc*am*, Hannibal, sī *mihi* fidem quam postul*ō* ded*eris*." Hamilcar fīliō prōmīsit 'sē eum

Vocābula nova:
supplicātiō
māiōrēs
trānsfuga
mercātus
ārea
sēnsus
voluptās
impēnsa
vīcīnitās
conventus
servātor
trīduum
fōns
callis
vertex
subsidium
rādīx
scāla
peculātus
expedītiō
līs
ēventus
murmur
fremitus
ōmen
coniūrātī
pulvīnar

nāvālia
miserātiō
clēmentia
mercātūra
lembus
postīcum
māceria
ministerium
incolumitās
trānsitiō
accessiō
tabernāculum
percontātiō
fīdūcia
mūtātiō
flātus
continēns
praeses
disciplīna
tribūnal
tribūtum
artifex
ars lūdicra
āthlēta
opulentia
documentum
adoptiō
impedīmentum
successor
prōventus
gaza
prōgeniēs
mīrābundus
īnfectus
signātus
artus
perexiguus
sēmiermis
diurnus
invius
laureātus
immemor
ignōbilis
contentus
extorris
cōnscius
praetōrius
cōnspectus
pullus
violentus
praetextātus
inexpugnābilis
quīnquāgēsimus

— — — — —, — — — — — — —.'

Macedonēs: "Quodcumque senātus cēnsu*erit*, id rēx fa*ciet*." Macedonēs prōmīsērunt '— — —, — — — —.'

PENSVM B

Philippō victō, in V diēs — dēcrētae sunt. X lēgātī mōre — in Graeciam missī sunt. Isthmiīs praecō in mediam — prōcessit atque 'līberōs esse Graecōs' —. Aliī aliōs — [= mīrantēs] intuēbantur, tum plausus ortus est. Flāminīnus in — [= conciliō] Graecōrum dīxit 'sē exercitum suum ē Graeciā — esse'; cūnctī eum '—' 'līberātōrem'que —. Exercitū in Italiam — imperātor — [= trēs diēs] triumphāvit. Antiochus, postquam hiemem in convīviīs et vīnum sequentibus — trādūxit, intrā saltum Thermopylārum, quī Graeciam — [= dīvidit], sē recēpit, et castra duplicī vāllō fossāque —. Aetōlīs imperāvit ut — montium — [= occupārent], nē quās — Rōmānī invenīrent ad trānsitum. Cōnsul Acīlius castra posuit prope — calidārum aquārum; propter angustiās aciem — fronte īnstrūxit. Eō proeliō Rōmānī recessissent, — [= nisi] Catō, dēiectīs Aetōlīs, — vēnisset. Antiochō victō Acīlius Hēraclēam, quae sita est in — Oetae montis, — est [= īnspexit]. Post oppugnātiōnem XXIV diērum Rōmānī integrōs mūrōs — trānscendērunt. L. Scīpiō, cum Antiochum in Asiā vīcisset, — accūsātus est, sed tribūnus plēbis prō eō —.

Perseus, quī nōn — rēgnō suō fīnitimōs oppugnāverat, victus Samothrācam cōnfūgit et omnium animōs ā sē —. Cum Cn. Octāvius Macedonibus — lībertātemque prōmīsisset, — [< trānsīre] omnium facta est. Rēx cum tribus — fugae ad portum pervēnit nec — quō ad Cotym veherētur invēnit. Postquam in templō —, sē Rōmānīs dēdidit et in nāvem — impositus est. Cōnsul rēgī praetōrium — [= intrantī] dextram — eumque in — intrōdūxit. Perseus est — [= exemplum] — [< mūtāre] sortis hūmānae.

— est locus quō mercātōrēs conveniunt ut — faciant. Victōria est prosperus bellī — [= exitus]. — est signum reī

futūrae. Iuppiter est — [= cūstōs] arcis Capitōlīnae. Tullus, Numae —, rēx fuit ācer et — [< vīs]. Paulus ex magnā — [= stirpe] duōs fīliōs in — dedit.

Synōnyma: perfuga et —; fidēs et —; vectīgal et —; thēsaurus et —; oblītus et —; valdē cupere et —; continuum facere et —; amplificāre et —; dēmittere et —; properē et —; tantum et —; aliter et —; inter vulgus et —.

Contrāria: clāmor et —; īnsula et —; nocturnus et —; nōbilis et —; accēdere et —; continuāre et —; retrō et —.

PENSVM C

Quis rēgem Philippum dēvīcit?
Post victōriam quid Isthmiīs prōnūntiātum est?
Quōmodo Graecī gaudium suum ostendērunt?
Quid Flāminīnus in triumphō trānstulit?
Quid rēx Antiochus Chalcide ēgit?
Ubi M'. Acīlius cum Antiochō congressus est?
Cūr Aetōlī rēgī subsidiō nōn vēnērunt?
Quōmodo Rōmānī mūrōs Hēraclēae trānscendērunt?
Cūr L. Cornēlius Scīpiō 'Asiāticus' nōminātus est?
Quis successor rēgis Philippī fuit?
Ubi et ā quō duce victus est Perseus?
Quō Perseus victus cōnfūgit?
Quōmodo victōria Aemiliī Paulī Rōmam nūntiāta est?
Quōmodo populus Rōmānus dīs grātiās ēgit?
Cūr Paulus lēgātōs Perseī sine respōnsō dīmīsit?
Cūr Perseus Rōmānīs sē dēdidit?
Quōmodo Paulus Perseum victum recēpit?
Quid fēcit Paulus ante adventum decem lēgātōrum?
Quae mala fortūna fēlīcitātem Paulī turbāvit?
Quandō rēgnum Macedoniae māximum fuit?

hībernāre
prōnūntiāre
percēnsēre
praeoccupāre
avēre
pācāre
dēportāre
prōsequī
acclāmāre
trānsportāre
ēdisserere
dirimere
permūnīre
circuīre
īnsīdere
trānsmittere
contemplārī
continuāre
intermittere
dīlūcēscere
exaequāre
ampliāre
intercēdere
incrēscere
illacrimāre
abaliēnāre
dēvehere
dēlitēscere
abscēdere
effulgēre
cōnsurgere
introīre
porrigere
submittere
superfundere
distāre
dēstināre
dēflēre
raptim
tantummodo
porrō
nī
submōtō
utcumque
plērumque
secus
vulgō
quaesō

Cn. f. = Gnaeī fīlius
L. Cornēlius Scīpiō Barbātus: cōs. annō 298 a. C.



CORNELIVS·LVCIVS·SCIPIO·BARBATVS·CNAIVOD·PATRE
PROGNATVS·FORTIS·VIR·SAPIENSQVE– QVOIVS·FORMA·VIRTVTEI·PARISVMA
FVIT–CONSOL·CENSOR·AIDILIS·QVEI·FVIT·APVD·VOS–TAVRASIA·CISAVNA
SAMNIO·CEPIT – SVBIGIT·OMNE·LOVCANA – OPSIDESQVE·ABDOVCIT

Cnaivōd = Gnaeō
prō-gnātus = nātus
quoius = cuius
virtūtī pari*ss*ima
cōns*ul* a*e*dīlis
qu*ei* = quī
vōs : Rōmānōs
Taurasi*am* Cisaun*am*
in Samniō
omne*m* L*ū*cān*iam*
o*b*sidēsque abd*ū*cit

SCIPIO AEMILIANVS

[*Ex T. Līviī librōrum XLVIII–LXI Periochīs*]

Līviī librī integrī XLVI–CXLII periērunt (item XI–XX)

Bellum Pūnicum tertium

[annō 151 a. C.]
dīlēctūs agere = mīlitēs cōnscrībere
struere = parāre
P. Cornēlius *Scīpiō* Nāsīca: cōs. annō 162, 155 a. C.
senātuī placuit

Gulussa, Masinissae fīlius, nūntiāvit 'Carthāgine dīlēctūs agī, classem comparārī et haud dubiē bellum struī.' *48* Cum Catō suādēret ut hīs bellum indīcerētur, P. Cornēliō Nāsīcā dīcente 'nihil temere faciendum', placuit decem lēgātōs mittī explōrātum.

dēprehendere = (inexspectātum) invenīre
per-rogāre = ōrdine interrogāre (senātōrēs)

Cum lēgātī ex Āfricā cum ōrātōribus Carthāginiēnsium et Gulussā redīssent dīcerentque 'et exercitum sē et classem Carthāgine dēprehendisse', perrogārī sententiās placuit. Catōne et aliīs prīncipibus senātūs suādentibus ut in Āfricam cōnfestim trānsportārētur exercitus, quoniam Cornēlius Nāsīca dīcēbat 'nōndum sibi iūstam causam bellī vidērī', placuit ut bellō abstinērent 'sī Carthāginiēnsēs classem exussissent et exercitum dīmī-

sissent; sī minus, proximī cōnsulēs dē bellō Pūnicō referrent.'

sī minus = sī nōn (nisi id fēcissent)
proximī cōnsulēs : c. īnsequentis annī

Carthāginiēnsēs cum adversus foedus bellum Masinissae intulissent, victī ab eō annōs habente nōnāgintā duōs īnsuper Rōmānum bellum meruērunt.

49 Inter M. Porcium Catōnem et Scīpiōnem Nāsīcam, quōrum alter sapientissimus vir in cīvitāte habēbātur, alter optimus vir etiam iūdicātus ā senātū erat, dīversīs certātum sententiīs est, Catōne suādente bellum et ut tollerētur dēlērēturque Carthāgō, Nāsīcā dissuādente. Placuit tamen, 'quod contrā foedus nāvēs habērent, quod exercitum extrā fīnēs dūxissent, quod sociō populī Rōmānī et amīcō Masinissae arma intulissent, quod fīlium eius Gulussam (quī cum lēgātīs Rōmānīs erat) in oppidum nōn recēpissent', bellum hīs indīcī.


dis-suādēre ↔ suādēre
in oppidum : Carthāginem

Priusquam ūllae cōpiae in nāvēs impōnerentur, Uticēnsēs lēgātī Rōmam vēnērunt sē suaque omnia dēdentēs. Ea lēgātiō, velut ōmen, grāta patribus, acerba Carthāginiēnsibus fuit.

Uticēnsis -e < Utica; *pl* cīvēs

Lēgātī trīgintā Rōmam vēnērunt, per quōs sē Carthāginiēnsēs dēdēbant. Catōnis sententia ēvīcit ut in dēcrētō perstārētur et ut cōnsulēs quam prīmum ad bellum proficīscerentur. Quī ubi in Āfricam trānsiērunt, acceptīs quōs imperāverant trecentīs obsidibus et armīs omnibus īnstrūmentīsque bellī (sī qua Carthāgine erant), cum ex auctōritāte patrum iubērent 'ut in alium locum, dum ā marī decem mīlia passuum nec minus

ē-vincere = persuādēre
dēcrētum -ī *n* = quod dēcrētum est
per-stāre = fīrmē stāre, persevērāre
obsidēs imperāre = imperāre ut obsidēs dentur
sī qua = sī aliqua
dum = dummodo



remōtus -a -um = quī abest, distāns
compellere = cōgere

remōtum, oppidum facerent', indignitāte reī ad bellandum Carthāginiēnsēs compulērunt.

[annō 149 a. C.]
Carthāgō obsidērī coepta est ā cōnsulibus = cōnsulēs Carthāginem obsidēre coepērunt

mūrōs irrumpere = in mūrōs irrumpere
explicāre -uisse -itum = expedīre, līberāre (perīculō)


is ipse praecipuam glōriam castrōrum līberātōrum (: ob castra līberāta) tulit
irritus -a -um = frūstrā factus, vānus

Obsidērī oppugnārīque coepta est Carthāgō ā L. Mārciō M'. Mānīliō cōnsulibus. In quā oppugnātiōne cum neglēctōs ab ūnā parte mūrōs duo tribūnī temere cum cohortibus suīs irrūpissent et ab oppidānīs graviter caederentur, ā Scīpiōne Aemiliānō explicitī sunt. Per quem et castellum Rōmānum, quod nocte expugnābant, paucīs equitibus iuvantibus līberātum est, castrōrumque, quae Cathāginiēnsēs omnibus cōpiīs ab urbe pariter ēgressī oppugnābant, līberātōrum is ipse praecipuam glōriam tulit. Praetereā, cum ab irritā oppugnātiōne Carthāginis cōnsul (alter enim Rōmam ad comitia ierat) exercitum dūceret adversus Hasdrubalem (cum

amplā manū saltum inīquum īnsēderat), suāsit prīmō cōnsulī nē tam inīquō locō cōnflīgeret; victus deinde complūrium, quī et prūdentiae et virtūtī eius invidēbant, sententiīs et ipse saltum ingressus est. Cum, sīcut praedīxerat, fūsus fugātusque esset Rōmānus exercitus et duae cohortēs ab hoste obsidērentur, cum paucīs equitum turmīs in saltum reversus līberāvit eās et incolumēs redūxit. Quam virtūtem eius et Catō, vir prōmptiōris ad vituperandum linguae, in senātū sīc prōsecūtus est ut dīceret 'reliquōs quī in Āfricā mīlitārent umbrās volitāre, Scīpiōnem vigēre.'

Scīpiō suāsit

complūrium sententiīs



vituperāre ↔ laudāre
(laudibus) prōsequī
= laudāre
ut umbrās volitāre
vigēre = valēre, vīvus ac validus esse

Andriscus quīdam, Perseī sē rēgis fīlium ferēns et mūtātō nōmine Philippus vocātus, multīs ad falsam eius fābulam velut ad vēram coeuntibus, contractō exercitū tōtam Macedoniam aut voluntāte incolentium aut armīs occupāvit. Fābulam autem tālem fīnxerat: 'Ex paelice sē et Perseō rēge ortum, traditum ēducandum Crētēnsī cuidam esse. Adramyttiī sē ēducātum ūsque ad duodecimum aetātis annum, patrem eum esse crēdentem ā quō ēducārētur, ignārum generis fuisse suī. Affectō deinde eō, cum prope ad ultimum fīnem vītae esset, dētēctam tandem sibi orīginem suam.'

ferēns : nārrāns ('sē esse fīlium...')

co-īre = convenīre

incolentēs = incolae
fingere fīnxisse fictum = arte efficere, excōgitāre (rem falsam)
paelex -icis *f* = altera uxor

Adramyttium -ī *n*: cīvitās Asiae

morbō affectō

dē-tegere = patefacere (↔ cēlāre)

50 Masinissa, Numidiae rēx, māior nōnāgintā annīs dēcessit, vir īnsignis. Inter cētera iuvenālia opera quae ad ultimum ēdidit, adeō etiam nervīs in senectā viguit ut post sextum et octōgēsimum annum fīlium genuerit. Inter trēs līberōs eius (māximus nātū Micipsa; Gulussa;

: māior quam XC annōs nātus
[annō 148 a. C.]

senecta -ae *f* = senectūs

octōgēsimus -a -um = LXXX (80.)

ē-rudītus -a -um = doctus (↔ rudis)
rēgnum dīvidere
arbiter -trī *m* = is quī dēcernit, iūdex aequus; arbitrō Scīpiōne : ex arbitriō Scīpiōnis
Hamilcō -ōnis *m*

M. Claudius Mārcellus: cōs. annō 166, 155, 152 a. C.
flūctibus obruī : submergī
aedīlitās -ātis *f* = dignitās aedīlis
per annōs: ante annum XLII cōnsulī fierī nōn licēbat
suffrāgārī (alicui) = suffrāgiō favēre

Pseudo- = falsus

Q. Caecilius *Metellus:* cōs. annō 143 a. C.
re-vincere
circu-itus -ūs *m* (< circu-īre) = iter circum locum, orbis
patēre = longus/lātus esse
L. Hostīlius Mancīnus: cōs. annō 145 a. C.
extrā sortem = nōn sortītō
ob-struere -ūxisse -ūctum = claudere (rē obstante)

Nepheris -is *f* (*acc* -im)

[annō 146 a. C.]

Mastanabal, quī etiam Graecīs litterīs ērudītus erat) P. Scīpiō Aemiliānus, cum commūne hīs rēgnum pater relīquisset et dīvidere eōs arbitrō Scīpiōne iussisset, partēs administrandī rēgnī dīvīsit. Item Phameae Hamilcōnī, praefectō equitum Carthāginiēnsium, virō fortī et cuius praecipuā operā Poenī ūtēbantur, persuāsit ut ad Rōmānōs cum equitātū suō trānsīret. Ex tribus lēgātīs quī ad Masinissam missī erant, M. Claudius Mārcellus coortā tempestāte flūctibus obrutus est.

P. Scīpiō Aemiliānus, cum aedīlitātem peteret, cōnsul ā populō dictus. Quoniam per annōs cōnsulī fierī nōn licēbat, cum magnō certāmine suffrāgantis plēbis et repugnantibus eī aliquamdiū patribus, lēgibus solūtus et cōnsul creātus.

Pseudo-Philippus in Macedoniā, caesō cum exercitū P. Iuventiō praetōre, ab Q. Caeciliō victus captusque est, et revicta Macedonia.

Carthāgō, in circuitū vīgintī tria mīlia passuum pa- *51*
tēns, magnō labōre obsessa et per partēs capta est, prīmum ā Mancīnō lēgātō, deinde ā Scīpiōne cōnsule, cui extrā sortem Āfrica prōvincia data erat. Carthāginiēnsēs, portū novō (quia vetus obstrūctus ā Scīpiōne erat) factō et contractā clam exiguō tempore amplā classe, īnfēlīciter nāvālī proeliō pugnāvērunt. Hasdrubalis quoque, ducis eōrum, castra ad Nepherim oppidum locō difficilī sita cum exercitū dēlēta sunt ā Scīpiōne, quī tandem Carthāginem expugnāvit septingentēsimō annō

quam erat condita. Spoliōrum māior pars Siculīs, quibus ablāta erant, reddita. Ultimō urbis excidiō, cum sē Hasdrubal Scīpiōnī dedisset, uxor eius, quae paucīs ante diēbus dē marītō impetrāre nōn potuerat ut ad victōrem trānsfugerent, in medium sē flagrantis urbis incendium cum duōbus līberīs ex arce praecipitāvit.

spolia = praeda
ultimō excidiō : ultimō excidiī tempore
sē dare = sē dēdere
dē marītō = ā marītō

Scīpiō exemplō patris suī, Aemiliī Paulī, quī Macedoniam vīcerat, lūdōs fēcit trānsfugāsque ac fugitīvōs bēstiīs obiēcit.

Bellum Achāicum

Achāicus -a -um < Achāia

Lēgātī Rōmānī ab Achaeīs pulsātī sunt Corinthī, missī ut eās cīvitātēs quae sub diciōne Philippī fuerant ab Achāicō conciliō sēcernerent.

concilium = societās; c. Achāicum: Achaeī et eōrum sociī
sē-cernere = sē-iungere

52 Cum Achaeīs, quī in auxiliō Boeōtōs et Chalcidēnsēs habēbant, Q. Caecilius Metellus ad Thermopylās bellō cōnflīxit. Quibus victīs dux eōrum Critolāus mortem sibi venēnō cōnscīvit. In cuius locum Diaeus, Achāicī mōtūs prīmus auctor, ab Achaeīs dux creātus ad Isthmon ā L. Mummiō cōnsule victus est. Quī, omnī Achāiā in dēditiōnem acceptā, Corinthon ex senātūs cōnsultō dīruit, quia ibi lēgātī Rōmānī violātī erant. Thēbae quoque et Chalcis, quae auxiliō fuerant, dīrutae. Ipse L. Mummius abstinentissimum virum ēgit, nec quicquam ex iīs operibus ōrnāmentīsque quae praedīves Corinthos habuit in domum eius pervēnit.

Boeōtī -ōrum *m*: incolae Boeōtiae
Isthmos -ī *m* (*acc* -on) = Isthmus
Corinthos -ī *f* (*acc* -on) = Corinthus
Thēbae -ārum *f*: caput Boeōtiae
auxiliō (*dat*) esse = auxilium ferre
abstinēns -entis ↔ cupidus
agere = gerere, sē praebēre/ostendere
prae-dīves = prae aliōs dīves, dītissimus

Q. Caecilius Metellus dē Andriscō triumphāvit, P.

Q. Caecilius Metellus *Macedonicus*

P. Cornēlius Scīpiō Aemiliānus *Āfricānus*

Cornēlius Scīpiō Aemiliānus dē Carthāgine et Hasdrubale. L. Mummius dē Achaeīs triumphāvit; signa aerea marmoreaque et tabulās pictās in triumphō tulit.

tabula picta = imāgō in tabulā picta

Hispānia pācāta

vēnātor -ōris *m* = quī vēnātur
iūstus exercitus = e. rēctus/plēnus

Viriāthus in Hispāniā, prīmum ex pāstōre vēnātor, ex vēnātōre latrō, mox iūstī quoque exercitūs dux factus, tōtam Lūsītāniam occupāvit, M. Vetīlium praetōrem, fūsō eius exercitū, cēpit, post quem C. Plautius praetor nihilō fēlīcius rem gessit. Tantumque terrōris is hostis intulit ut adversus eum cōnsulārī opus esset et duce et exercitū.

Rōmānīs intulit
exercitus cōnsulāris = exercitus ā cōnsule ductus

Q. Caecilius Metellus prōcōnsul Celtibērōs cecīdit, et *53*
ā Q. Fabiō prōcōnsule magna pars Lūsītāniae, expugnātīs aliquot urbibus, recepta est.

Q. Fabius *Māximus Servīliānus*: cōs. annō 142 a. C.

[annō 141 a. C.]

Q. Pompēius cōnsul in Hispāniā Termestīnōs sub- *54*
ēgit. Cum iīsdem et Numantīnīs pācem — ā populō Rōmānō īnfīrmātam — fēcit. Q. Fabius prōcōnsul rēbus in Hispāniā prosperē gestīs lābem imposuit, pāce cum Viriāthō aequīs condiciōnibus factā.

Numantīnus -a -um < Numantia; *pl* cīvēs
īnfīrmāre = īnfīrmum (: irritum) facere
lābēs -is *f* = rēs turpis, indignitās

Viriāthus ā prōditōribus, cōnsiliō Servīliī Caepiōnis, interfectus est et ab exercitū suō multum complōrātus ac nōbiliter sepultus, vir duxque magnus et per quattuordecim annōs quibus cum Rōmānīs bellum gessit frequentius superior.

prōditor -ōris *m* = quī prōdit
Q. Servīlius Caepiō: cōs. annō 140 a. C.
com-plōrāre = dēflēre, lūgēre

Serāpiō -ōnis *m*

[annō 138 a. C.]

P. Cornēliō Nāsīcā, cui cognōmen Serāpiō fuit, et *55*
Decimō Iūniō Brūtō cōnsulibus dīlēctum habentibus,

in cōnspectū tīrōnum rēs salūberrimī exemplī facta est: nam C. Matiēnius accūsātus est apud tribūnōs plēbis 'quod exercitum ex Hispāniā dēseruisset' damnātusque sub furcā diū virgīs caesus est et sēstertiō nummō vēniit.

M. Popilius ā Numantīnīs, cum quibus pācem factam irritam fierī senātus cēnsuerat, cum exercitū fūsus fugātusque est.

C. Hostīliō Mancīnō cōnsule sacrificante pullī ex caveā ēvolāvērunt; cōnscendentī deinde nāvem, ut in Hispāniam proficīscerētur, accidit vōx: "Manē, Mancīne!" Quae auspicia trīstia fuisse ēventū probātum est: Victus enim ā Numantīnīs et castrīs exūtus, cum spēs nūlla servandī exercitūs esset, pācem cum hīs fēcit ignōminiōsam, quam ratam esse senātus vetuit. Quadrāgintā mīlia Rōmānōrum ab quattuor mīlibus Numantīnōrum victa erant!

56 D. Iūnius Brūtus in Hispāniā ulteriōre fēlīciter adversus Gallaecōs pugnāvit. Dissimilī ēventū M. Aemilius Lepidus prōcōnsul adversus Vaccaeōs rem gessit, clādemque similem Numantīnae passus est. Ad exsolvendum foederis Numantīnī religiōne populum Mancīnus, cum huius reī auctor fuisset, dēditus Numantīnīs nōn est receptus.

Cum bellum Numantīnum vitiō ducum nōn sine pudōre pūblicō dūrāret, dēlātus est ultrō Scīpiōnī Āfricānō ā senātū populōque Rōmānō cōnsulātus. Quem cum illī

salūber -bris -bre = salūtāris



furca: crux fōrmā Y quae servō verberandō impōnitur
servus vēn-iit
M. Popilius: cōs. annō 139 a. C.



accidere = ad aurēs pervenīre, audīrī
probāre = plānum facere

[annō 137 a. C.]


ignōminiōsus -a um = turpis, indignus
ratus -a -um = servandus (↔ irritus)

D. = Decimus (praenōmen)

[annō 136 a. C.]

ad exsolvendum... populum : ut populus religiōne (: culpā) foederis N. *violātī* exsolverētur
huius reī : foederis cum Numantīnīs factī

dūrāre = integer manēre, trahī
ultrō : nōn petentī



luxuria -ae *f* = luxus

disciplīna ↔ licentia
re-cīdere = adimere (caedendō)
scortum -ī *n* = fēmina impudīca quae amōrem suum vēndit
septēnī -ae -a = VII...
vāllus -ī *m* = pālus ad castra mūnienda
incēdentī *mīlitī*
vāllāre = prōtegere
vītis = virga centuriōnis vīte facta
extrāneus -a -um = peregrīnus
ex-onerāre = onere līberāre
ēruptiō -ōnis *f* < ērumpere
Antiochus *VII*: rēx Syriae annīs 138–129 a. C.

prō tribūnālī = in t. (prōspiciēns ē t.)
quaestor = magistrātus quī aerāriō praeest
(in tabulās) referre = īnscrībere; in tabulās pūblicās r.: in aerāriō dēpōnere

pābulārī = pābulum petere

id quod habērent frūmentī
per vicem = in-vicem
trā-icere = trānsfīgere

[annō 133 a. C.]

capere ob lēgem, quae vetābat quemquam iterum cōnsulem fierī, nōn licēret, sīcut priōre cōnsulātū lēgibus solūtus est.

Scīpiō Āfricānus Numantiam obsēdit, et corruptum *57*
licentiā luxuriāque exercitum ad sevērissimam mīlitiae disciplīnam revocāvit: omnia dēliciārum īnstrūmenta recīdit, duo mīlia scortōrum ē castrīs ēiēcit, mīlitem cotīdiē in opere habuit et trīgintā diērum frūmentum ac septēnōs vāllōs ferre cōgēbat. Aegrē propter onus incēdentī dīcēbat: "Cum gladiō tē vāllāre scieris, vāllum ferre dēsinitō!" Quem mīlitem extrā ōrdinem dēprehendit, sī Rōmānus esset, vītibus, sī extrāneus, virgīs cecīdit. Iūmenta omnia, nē exonerārent mīlitem, vēndidit. Saepe adversus ēruptiōnēs hostium fēlīciter pugnāvit.

Scīpiō amplissima mūnera missa sibi ab Antiochō, rēge Syriae, cum cēlāre aliīs imperātōribus rēgum mūnera mōs esset, prō tribūnālī 'acceptūrum sē esse' dīxit, omniaque ea quaestōrem referre in pūblicās tabulās iussit: 'ex hīs sē virīs fortibus dōna esse datūrum.'

Cum undique Numantiam obsidiōne clausisset et obsessōs fame vidēret urgērī, hostēs quī pābulātum exierant vetuit occīdī, quia dīceret 'vēlōcius eōs absūmptūrōs frūmentī quod habērent, sī plūrēs fuissent.'

Numantīnī fame coāctī ipsī sē per vicem trāicientēs *59*
trucīdāvērunt. Captam urbem Scīpiō Āfricānus dēlēvit et dē eā triumphāvit quārtō decimō annō post Carthāginem dēlētam.

Gracchī et lēgēs agrāriae

58 Tib. Semprōnius Gracchus tribūnus plēbis, cum lēgem agrāriam ferret adversus voluntātem senātūs et equestris ōrdinis: 'nē quis ex pūblicō agrō plūs quam mīlle iūgera possidēret', in eum furōrem exārsit ut M. Octāviō collēgae causam dīversae partis dēfendentī potestātem lēge lātā abrogāret, sēque et C. Gracchum frātrem et Appium Claudium socerum triumvirōs ad dīvidendum agrum creāret. Prōmulgāvit et aliam lēgem agrāriam, quā sibi lātius agrum patefaceret: 'ut iīdem triumvirī iūdicārent quā pūblicus ager, quā prīvātus esset.' Deinde, cum minus agrī esset quam quod dīvidī posset sine offēnsā etiam plēbis (quoniam eōs ad cupiditātem amplum modum spērandī incitāverat), lēgem sē prōmulgātūrum ostendit: 'ut iīs quī Semprōniā lēge agrum accipere dēbērent, pecūnia quae rēgis Attalī fuisset dīviderētur.' (Hērēdem autem populum Rōmānum relīquerat Attalus, rēx Pergamī, Eumenis fīlius.)

Tot indignitātibus commōtus graviter senātus, ante omnēs T. Annius cōnsulāris. Quī, cum in senātū in Gracchum perōrāsset, raptus ab eō ad populum dēlātusque plēbī, rūrsus in eum prō Rōstrīs cōntiōnātus est.

Cum iterum tribūnus plēbis creārī vellet Gracchus, auctōre P. Cornēliō Nāsīcā in Capitōliō ab optimātibus occīsus est, ictus prīmum fragmentīs subselliī, et inter aliōs quī in eādem sēditiōne occīsī erant īnsepultus in flūmen prōiectus.

agrārius -a -um = dē agrō (dīvidendō)
lēgem ferre = lēgem ad populum referre
ōrdō equester = equitēs Rōmānī
ager pūblicus: ager hostī victō adēmptus
ex-ārdēscere -sisse = ārdēre incipere
partis : factiōnis

trium-virī: III virī quibus negōtium pūblicum mandātur
(lēgem) prōmulgāre = populō nōtum facere, ferre

offēnsa -ae *f* = indignātiō (ob iniūriam)
(agrī) modus = certum agrī spatium (numerus iūgerum)
lēx Semprōnia: lēx ā Tib. *Semprōniō* Gracchō lāta



subsellium

T. Annius *Luscus*: cōs. annō 153 a. C.
dēlātus = accūsātus (apud plēbem)

optimātēs -ium *m* = optimī/prīncipēs cīvēs, factiō nōbilium
fragmentum -ī *n* = pars frācta (ab rē)
subsellium -ī *n* = sella humilis

Cum Carbō tribūnus plēbis rogātiōnem tulisset 'ut 59
eundem tribūnum plēbis quotiēs vellet creāre licēret', rogātiōnem eius P. Āfricānus gravissimā ōrātiōne dissuāsit, in quā dīxit 'Ti. Gracchum iūre caesum vidērī.' C. Gracchus contrā suāsit rogātiōnem, sed Scīpiō tenuit.

Sēditiōnēs ā triumvirīs Fulviō Flaccō et C. Gracchō et C. Papīriō Carbōne agrō dīvidendō creātīs excitātae. Cum P. Scīpiō Āfricānus adversārētur fortisque ac validus prīdiē domum sē recēpisset, mortuus in cubiculō inventus est. Suspecta fuit, tamquam eī venēnum dedisset, Semprōnia uxor — hinc māximē quod soror esset Gracchōrum, cum quibus simultās Āfricānō fuerat. Dē morte tamen eius nūlla quaestiō ācta. Dēfūnctō eō, ācrius sēditiōnēs triumvirālēs exārsērunt.

Lūstrum ā cēnsōribus conditum est: cēnsa sunt cī- *60*
vium capita trecenta nōnāgintā quattuor mīlia septingenta trīgintā sex.

C. Gracchus, Tiberiī frāter, tribūnus plēbis, ēloquentior quam frāter, perniciōsās aliquot lēgēs tulit, inter quās frūmentāriam: 'ut sēnīs et triente frūmentum plēbī darētur'; alteram lēgem agrāriam, quam et frāter eius tulerat; tertiam, quā equestrem ōrdinem tunc cum senātū cōnsentientem corrumperet: 'ut sescentī ex equitibus in Cūriam sublegerentur' et (quia illīs temporibus trecentī tantum senātōrēs erant) sescentī equitēs trecentīs senātōribus admiscērentur, id est ut equester ōrdō bis

C. Papīrius Carbō -ōnis: tr. pl. annō 130 a. C.
rogātiō -ōnis *f* = lēx lāta; r.em ferre = lēgem ferre

P. *Cornēlius Scīpiō Aemiliānus* Āfricānus

tenuit : vīcit

M. Fulviō Flaccō

agrō dīvidendō (*dat*) = ad agrum dīvidendum
adversārī = adversus loquī, resistere

[annō 129 a. C.]

hinc : ob hanc causam

quaestiōnem agere = quaerere in iūdiciō
dēfungī = morī
triumvirālis -e < triumvir

[annō 124 a. C.]

394 736

ē-loquēns -entis = quī bene loquitur
perniciōsus -a -um (↔ salūber) = nocēns
frūmentārius -a -um < frūmentum
sēnīs (VI) *assibus*
triēns -entis *m* = tertia pars assis
frūmentum (modius frūmentī) *vēnun*darētur

sub-legere = legere (locō alicuius, supplendī causā)

ad-miscēre

tantum vīrium in senātū habēret. Et continuātō in alterum annum tribūnātū, lēgibus agrāriīs lātīs effēcit ut complūrēs colōniae in Italiā dēdūcerentur et ūna in solō dīrutae Carthāginis, quō ipse triumvir creātus colōniam dēdūxit.

tribūnātus -ūs *m* = dignitās tribūnī
colōnia -ae *f* = cīvitās ā colōnīs condita
colōniam dēdūcere = c. condere

61 C. Gracchus, sēditiōsō tribūnātū āctō, cum Aventīnum quoque armātā multitūdine occupāsset, ā L. Opīmiō cōnsule — ex senātūs cōnsultō vocātō ad arma populō — pulsus et occīsus est et cum eō Fulvius Flaccus cōnsulāris, socius eiusdem furōris.

sēditiōsus -a -um < sēditiō
āctō : perāctō
[annō 121 a. C.]
M. Fulvius Flaccus: cōs. annō 125 a. C.

CIVITAS DILACERATA

[*Ex C. Sallustiī Crispī 'Bellō Iugurthīnō'*]

41 Mōs partium et factiōnum ac deinde omnium malārum artium Rōmae ortus est ōtiō atque abundantiā eārum rērum quae prīma mortālēs dūcunt. Nam ante Carthāginem dēlētam populus et senātus Rōmānus placidē modestēque inter sē rem pūblicam tractābant. Neque glōriae neque dominātiōnis certāmen inter cīvēs erat; metus hostīlis in bonīs artibus cīvitātem retinēbat.

Sed ubi illa formīdō mentibus dēcessit, scīlicet ea quae rēs secundae amant, lascīvia atque superbia, incessēre. Ita quod in adversīs rēbus optāverant ōtium postquam adeptī sunt, asperius acerbiusque fuit. Namque coepēre nōbilitās dignitātem, populus lībertātem in libīdinem vertere, sibi quisque dūcere, trahere, rapere. Ita

dī-lacerāre = distrahere lacerandō
C. Sallustius Crispus: historicus Rōmānus saeculī I a. C.
artēs = mōrēs
abundantia -ae *f* = nimia cōpia
prīmum dūcere = optimum esse putāre
modestus -a -um = abstinēns, paulō contentus
tractāre = gerere
dominātiō -ōnis *f* < dominārī
metus hostīlis : m. hostium
formīdō -inis *f* = terror
ea (*vitia*) quae...
lascīvia -ae *f* = licentia, libīdō
postquam ōtium quod... optāverant adeptī sunt
asper -a -um = dūrus, difficilis, molestus
nōbilitās = cīvēs nōbilēs, optimātēs
dūcere/trahere : rapere

abs-trahere

omnia in duās partēs abstracta sunt, rēs pūblica, quae media fuerat, dīlacerāta.

factiōne : quia factiōne iūncta erat
pollēre = valēre
di-spergere -sisse -sum = passim spargere
bellī ↔ domī (: in pāce)
agitāre = vītam agere, vīvere; agitābātur : vīta agitābātur

bellicus -a -um < bellum
dī-ripere = rapere

cōn-fīnis -e = fīnitimus

Cēterum nōbilitās factiōne magis pollēbat, plēbis vīs, solūta atque dispersa in multitūdine, minus poterat. Paucōrum arbitriō bellī domīque agitābātur; penes eōsdem aerārium, prōvinciae, magistrātūs, glōriae triumphīque erant. Populus mīlitiā atque inopiā urgēbātur. Praedās bellicās imperātōrēs cum paucīs dīripiēbant. Intereā parentēs aut parvī līberī mīlitum, uti quisque potentiōrī cōnfīnis erat, sēdibus pellēbantur.

modus = fīnis nōn excēdendus
modestia -ae *f* < modestus
polluere = sordidum facere (↔ pūrgāre)
sē praecipitāre : sē perdere
ante-pōnere = praeferre
dissēnsiō -ōnis *f* ↔ cōnsēnsus
permixtiō -ōnis *f* (< permiscēre) = perturbātiō

Ita cum potentiā avāritia sine modō modestiāque invādere, polluere et vāstāre omnia — quoad sēmet ipsa praecipitāvit. Nam ubi prīmum ex nōbilitāte repertī sunt quī vēram glōriam iniūstae potentiae antepōnerent, movērī cīvitās et dissēnsiō cīvīlis quasi permixtiō terrae orīrī coepit.

vindicāre in lībertātem = līberāre
paucōrum : nōbilium
noxius -a -um (< noxa) ↔ īnsōns
āctiō -ōnis *f* < agere
obviam īre = adversārī
ingredī : incipere

colōniīs dēdūcendīs (*dat*) = ad colōniās dēdūcendās

Nam postquam Ti. et C. Gracchus, quōrum māiōrēs *42*
Pūnicō atque aliīs bellīs multum reī pūblicae addiderant, vindicāre plēbem in lībertātem et paucōrum scelera patefacere coepēre, nōbilitās noxia atque eō perculsa Gracchōrum āctiōnibus obviam ierat, et prīmō Tiberium, dein paucōs post annōs eadem ingredientem Gāium, tribūnum alterum, alterum triumvirum colōniīs dēdūcendīs, cum M. Fulviō Flaccō ferrō necāverat.

moderātus -a -um = quī modum nōn excēdit
bonō *hominī* satius (= melius) est vincī
mōre : modō agendī

Et sānē Gracchīs cupīdine victōriae haud satis moderātus animus fuit; sed bonō vincī satius est quam malō mōre iniūriam vincere.

Igitur eā victōriā nōbilitās ex libīdine suā ūsa multōs mortālēs ferrō aut fugā exstīnxit, plūsque in reliquum sibi timōris quam potentiae addidit. Quae rēs plērumque magnās cīvitātēs pessum dedit, dum alterī alterōs vincere quōvīs modō et victōs acerbius ulcīscī volunt.

eā victōriā ūsa (: ūtēns)

fugā : exsiliō
in reliquum (tempus) = in tempus futūrum

pessum dare = perdere

quī- quae- quod-vīs = quīlibet, quīcumque; quō-vīs modō = quōlibet/quōquō modō

GRAMMATICA LATINA

Dē vocābulīs faciendīs

(I) *Praeverbia*

praeverbium -ī *n*

Simplex dīcitur verbum quod nōn factum est ex aliō verbō, ut *dare, facere, ferre, currere*. Ē verbīs simplicibus fīunt verba composita praepositīs syllabīs quae vocantur 'praeverbia'. Praeverbia Latīna sunt haec:

simplex -icis = quī ex ūnō cōnstat

compositus ↔ simplex

ab-/ā-	*con-*	*in-*	*per-*	*re-*
ad-	*dē-*	*inter-*	*prae-*	*sub-*
ante-	*dis-*	*intrō-*	*praeter-*	*super-*
circum-	*ex-/ē-*	*ob-*	*prō-*	*trāns-*

Quaedam praeverbia mūtantur propter litterās sequentēs:

ab- > *abs-*, *au-*: *abs-*terrēre, *au-f*ugere.

ad- > *ac-*, *af-*, *ag-*, *al-*, *ap-*, *ar-*, *as-*, *at-*, *a-*: *ac-c*ēdere, *af-f*erre, *ag-g*redī, *al-l*oquī, *ap-p*ōnere, *ar-r*ogāre, *as-s*equī, *at-t*ulisse, *a-sp*icere;

con- > *col-*, *com-*, *cor-*, *co-*: *col-l*ābī, *com-m*ovēre, *com-p*robāre, *cor-r*umpere, *co-*īre;

co- ante vōcālem

dis- > *dif-*, *dī-*, *di-*: *dif-f*īdere, *dī-g*redī, *dī-l*acerāre, *dī-m*ittere, *dī-r*ipere, *di-sc*rībere;

ex- > *ef-*: *ef-f*ugere;

in- > *il-*, *im-*, *ir-*: *il-l*ūdere, *im-m*ittere, *im-p*ellere, *ir-r*umpere;

ob- > *oc-*, *of-*, *op-*: *oc-c*urrere, *of-f*erre, *op-p*ugnāre;

prō- > *prōd-* ante vōcālem: *prōd-*esse;

re- > *red-* ante vōcālem: *red-*īre;

sub- > *suc-*, *suf-*, *sup-*, *sur-*, *su-*, *sus-*: *suc-c*ēdere, *suf-f*icere, *sup-p*lēre, *sur-r*ipere, *su-sp*icere, *sus-t*inēre, *sus-c*ipere;

trāns- > trā-: *trā-d*ūcere, *trā-i*cere.

Vōcālis verbī simplicis saepe mūtātur praepositō praeverbiō:

co-igere > cōgere
sed: circum-, per-*a*gere, ante-*ca*pere
dē-hibēre > dēbēre
prae-hibēre > praebēre

a > i:	*a*gere > -*i*gere	t*a*ngere > -t*i*ngere
	c*a*dere > -c*i*dere	fr*a*ngere > -fr*i*ngere
	c*a*pere > -c*i*pere	h*a*bēre > -h*i*bēre
	f*a*cere > -f*i*cere	t*a*cēre > -t*i*cēre
	i*a*cere > -(i)*i*cere	f*a*tērī > -f*i*tērī
	r*a*pere > -r*i*pere	s*a*līre > -s*i*līre
	st*a*tuere > -st*i*tuere	d*a*tum > -d*i*tum

sed: circum-d*a*tum

Exempla: ex-*i*gere, con-c*i*dere, ac-c*i*pere, ef-f*i*cere, ab-*i*cere, ē-r*i*pere, re-st*i*tuere, at-t*i*ngere, ef-fr*i*ngere, pro-h*i*bēre, re-t*i*cēre, cōn-f*i*tērī, dē-s*i*līre, ad-d*i*tum.

prō- su- dē-imere > prōmere sūmere dēmere
specere (verbum antīquum) = spectāre
sur-rigere > surgere
per-rigere > pergere
sed: circum-d*e*disse

e > i:	*e*mere > -*i*mere	sp*e*cere > -sp*i*cere
	l*e*gere > -l*i*gere	t*e*nēre > -t*i*nēre
	r*e*gere > -r*i*gere	s*e*dēre > -s*i*dēre
	pr*e*mere > -pr*i*mere	d*e*disse > -d*i*disse

Exempla: red-*i*mere, ē-l*i*gere, ē-r*i*gere, re-pr*i*mere, dē-sp*i*cere, re-t*i*nēre, ob-s*i*dēre, ad-d*i*disse.

sed: circum-d*a*re

a > e:	d*a*re > -d*e*re	sc*a*ndere > -sc*e*ndere
	gr*a*dī > -gr*e*dī	c*a*ptum > -c*e*ptum
	s*a*crāre > -s*e*crāre	f*a*ctum > -f*e*ctum
	d*a*mnāre > -d*e*mnāre	i*a*ctum > -i*e*ctum
	sp*a*rgere > -sp*e*rgere	r*a*ptum > -r*e*ptum

Exempla: ad-d*e*re, ē-gr*e*dī, cōn-s*e*crāre, con-d*e*mnāre, di-sp*e*rgere, a-sc*e*ndere, ac-c*e*ptum, ef-f*e*ctum, ab-i*e*ctum, ē-r*e*ptum.

ae > ī: c*ae*dere > -c*ī*dere, qu*ae*rere > -qu*ī*rere
au > ū: cl*au*dere > -cl*ū*dere

Exempla: oc-c*ī*dere, ex-qu*ī*rere, in-cl*ū*dere.

PENSVM A

Supplenda sunt verba composita:

ab- + agere > —; ab- + ferre > —; ab- + tulisse > —; ad- + currere > —; ad- + lātum > —; ad- + pellere > —; con- +

cadere > —; con- + loquī > —; con- + pōnere > —; con- + regere > —; con- + orīrī > —; dē- + scandere > —; dē- + salīre > —; dis- + fluere > —; dis- + regere > —; ex- + ferre > —; ē- + iacere > —; in- + ruere > —; in- + premere > —; in- + lātum > —; ob- + pōnere > —; ob- + caedere > —; re- + statuere > —; per- + facere > —; prō- + gradī > —; prō- + īre > —; re- + agere > —; re- + quaerere > —; sub- + tenēre > —; trāns- + dare > —.

Supplenda sunt verba simplicia:
accipere < ad- + —; contingere < con- + —; ēdere < ē- + —; prōicere < prō- + —; colligere < con- + —; inquīrere < in- + —; exclūdere < ex- + —.

PENSVM B

Catō, quamquam aliās prōmptus erat ad —, Scīpiōnem laudāvit. Multī ad Andriscum — [= conveniēbant], quī fābulam — 'sē esse Perseī fīlium ex — nātum.' Masinissa in summā — [= senectūte] mortuus est. Corinthus, urbs — [= dīvitissima], dīruta est ā L. Mummiō, virō — [↔ cupidō]. Mancīnus dignitātī populī Rōmānī — imposuit: pācem fēcit — [= turpem], quam senātus — esse vetuit. Viriāthus, ex — [< vēnārī] dux factus, ā — interfectus est et ā mīlitibus suīs multum —. Scīpiō exercitum — [= luxū] corruptum ad veterem disciplīnam restituit: multa — ē castrīs ēiēcit et mīlitēs — [VII] — portāre coēgit.

Ti. Gracchus, cum lēgem — [< ager] — [=tulisset], ab — occīsus est ictus — subselliī. Scīpiō, dum — agrō dīvidendō creātīs — [=resistit], dēcessit, sed dē morte eius nūlla — ācta est. C. Gracchus, quī ōrātor — fuit quam frāter, lēgem — [< frūmentum] tulit et complūrēs — dēdūxit. Post — [< tribūnus] suum — [< sēditiō] is quoque occīsus est. Ti. et C. Gracchus plēbem in lībertātem — cōnātī sunt, sed nōbilitās, quae factiōne magis — [= valēbat], — [< agere] eōrum obviam iit.

Fontēs calidārum aquārum corporī — sunt. Servus quī

Vocābula nova:
dēcrētum
paelex
nervus
senecta
aedīlitās
circuitus
vēnātor
lābēs
prōditor
furca
cavea
luxuria
scortum
vāllus
ēruptiō
triumvirī
offēnsa
optimātēs
fragmentum
subsellium
rogātiō
quaestiō
triēns
tribūnātus
colōnia
abundantia
dominātiō
formīdō
lascīvia
modestia
dissēnsiō
permixtiō
āctiō
praeverbium
prōgnātus
remōtus
irritus
ērudītus
abstinēns
praedīves
salūber
ignōminiōsus
ratus
extrāneus
agrārius
triumvirālis

ēloquēns
perniciōsus
frūmentārius
sēditiōsus
modestus
asper
bellicus
cōnfīnis
noxius
moderātus
octōgēsimus
septēnī
perrogāre
ēvincere
perstāre
vituperāre
vigēre
coīre
fingere
dētegere
suffrāgārī
revincere
obstruere
sēcernere
īnfīrmāre
complōrāre
recīdere
vāllāre
exonerāre
pābulārī
exārdēscere
prōmulgāre
adversārī
sublegere
admiscēre
dīlacerāre
abstrahere
pollēre
dispergere
agitāre
polluere
antepōnere
vindicāre
pessum dare
per vicem
satius
quīvīs

dēlīquit sub — verberātur. Quī modum non excēdit — est; quī paulō contentus est — esse dīcitur.

Synōnyma: indignātiō et —; nimia cōpia et —; terror et —; licentia et —; distāns et —; peregrīnus et —; patefacere et —; passim spargere et —; praeferre et —; quīlibet et —.

Contrāria: cōnsēnsus et —; rudis et —; salūber et —; ratus et —; īnsōns et —; pūrgāre et —.

PENSVM C

Quid Gulussa Rōmam nūntiāvit?
Quid Catō in senātū suādēbat?
Quid fierī placuit antequam bellum indīcerētur?
Cūr Carthāginiēnsēs dēditiōne factā rebellāvērunt?
Quam fābulam fīnxit Andriscus?
Quibus Masinissa rēgnum suum relīquit?
Quamobrem Catō Scīpiōnem laudāvit?
Quis imperātor Carthāginem expugnāvit?
Num uxor Hasdrubalis Rōmānīs sē dēdidit?
Cūr Corinthus ā Rōmānīs dīruta est?
Quid L. Mummius in triumphō tulit?
Quis fuit Viriāthus?
Cūr senātus pācem quam Mancīnus cum Numantīnīs fēcerat ratam esse vetuit?
Cūr bellum Numantīnum trahēbātur?
Quārē Scīpiō iūmenta vēnīre iussit?
Quid Scīpiō ēgit XIV annō post Carthāginem dēlētam?
Quās lēgēs Ti. Gracchus prōmulgāvit?
Num Ti. Gracchus iterum tribūnus creātus est?
Quandō Scīpiō mortuus inventus est?
Quamobrem suspecta fuit uxor eius?
Ā quō C. Gracchus occīsus est?



Iugurtha: “Ō, urbem vēnālem!”

IVGVRTHA

[*Ex C. Sallustiī Crispī ‘Bellō Iugurthīnō’*]

Iugurthīnus -a -um < Iugurtha -ae *m*

Bellum scrīptūrus sum quod populus Rōmānus cum Iugurthā, rēge Numidārum, gessit, prīmum quia magnum et atrōx variāque victōriā fuit, dehinc quia tunc prīmum superbiae nōbilitātis obviam itum est. Sed priusquam huiusce modī reī initium expediō, pauca suprā repetam.


de-hinc = deinde
huius-ce = huius
huius modī = huius generis, tālis
expedīre = explānāre
suprā : quae superiōra (priōra) sunt

Bellō Pūnicō secundō, quō dux Carthāginiēnsium Hannibal post magnitūdinem nōminis Rōmānī Italiae opēs māximē attrīverat, Masinissa, rēx Numidārum, in amīcitiam receptus ā P. Scīpiōne (cui posteā ‘Āfricānō’ cognōmen ex virtūte fuit), multa et praeclāra reī mīlitāris facinora fēcerat. Ob quae — victīs Carthāginiēnsibus et captō Syphāce, cuius in Āfricā magnum atque lātē imperium valuit — populus Rōmānus quāscumque urbēs et agrōs manū cēperat rēgī dōnō dedit. Igitur amīci-

post magnitūdinem...: postquam magnum factum est nōmen Rōmānum
at-terere -trīvisse -trītum = minuere, dēbilitāre
manū : armīs
dōnō (*dat*) dare = dōnāre

tia Masinissae bona atque honesta nōbīs permānsit. Sed imperiī vītaeque eius fīnis īdem fuit.

per-manēre



Dein Micipsa fīlius rēgnum sōlus obtinuit, Mastanabale et Gulussā frātribus morbō absūmptīs. Is Adherbalem et Hiempsalem ex sēsē genuit, Iugurthamque, fīlium Mastanabalis frātris (quem Masinissa, quod ortus ex concubīnā erat, prīvātum dērelīquerat) eōdem cultū quō līberōs suōs domī habuit.

concubīna -ae *f* = paelex
prīvātum : sine officiō pūblicō
dē-relinquere = relinquere (morte)

6 Quī ubi prīmum adolēvit, pollēns vīribus, decōrā faciē, sed multō māximē ingeniō validus, nōn sē luxuī neque inertiae corrumpendum dedit, sed, uti mōs gentis illīus est, equitāre, iaculārī, cursū cum aequālibus certāre; et, cum omnēs glōriā anteīret, omnibus tamen cārus esse. Ad hoc plēraque tempora in vēnandō agere, leōnem atque aliās ferās prīmus aut in prīmīs ferīre: plūrimum facere et minimum ipse dē sē loquī.

pollēns -entis = potēns
decōrus -a -um = decēns, pulcher
inertia -ae *f* (< iners) = vīta ōtiōsa
equitāre = equō vehī
iaculārī = iaculō ūtī
: equit*ābat*, iacul*ābātur*, cert*ābat*, *erat*...
ante-īre = antecēdere
ad hoc = praetereā
ferīre : caedere

Quibus rēbus Micipsa tametsī initiō laetus fuerat exīstimāns virtūtem Iugurthae rēgnō suō glōriae fore, tamen, postquam hominem adulēscentem — exāctā suā aetāte et parvīs līberīs — magis magisque crēscere intellegit, vehementer eō negōtiō permōtus multa cum animō suō volvēbat. Terrēbat eum nātūra mortālium avida imperiī et praeceps ad explendam animī cupīdinem; ad hoc studia Numidārum in Iugurtham accēnsa, ex quibus, sī tālem virum dolīs interfēcisset, nē qua sēditiō aut bellum orīrētur, ānxius erat.

tam-etsī = etsī
glōriae (*dat*) esse = glōriam afferre
ex-igere = peragere
aetāte : vītā
vehemēns -entis = violentus, ācer; *adv* vehementer = valdē
eō negōtiō : eā rē
(cum) animō volvere = reputāre
avidus -a -um (< avēre) = valdē cupidus
ānxius erat = metuēbat

7 Hīs difficultātibus circumventus, ubi videt neque per

difficultās -ātis *f* (< difficilis) = rēs difficilis

vim neque insidiīs opprimī posse hominem tam acceptum populāribus, quod erat Iugurtha manū prōmptus et appetēns glōriae mīlitāris, statuit eum obiectāre perīculīs et eō modō fortūnam temptāre.

Igitur bellō Numantīnō Micipsa, cum populō Rōmānō equitum atque peditum auxilia mitteret, spērāns vel ostentandō virtūtem vel hostium saevitiā facile eum occāsūrum, praefēcit Numidīs quōs in Hispāniam mittēbat.

Sed ea rēs longē aliter ac ratus erat ēvēnit. Nam Iugurtha — ut erat impigrō atque ācrī ingeniō — ubi nātūram P. Scīpiōnis (quī tum Rōmānīs imperātor erat) et mōrem hostium cognōvit, multō labōre multāque cūrā, praetereā modestissimē pārendō et saepe obviam eundō perīculīs, in tantam clāritūdinem brevī pervēnerat, ut nostrīs vehementer cārus, Numantīnīs māximō terrōrī esset.

8 Eā tempestāte in exercitū nostrō fuēre complūrēs novī atque nōbilēs, quibus dīvitiae bonō honestōque potiōrēs erant, factiōsī domī, potentēs apud sociōs, clārī magis quam honestī; quī Iugurthae nōn mediocrem animum pollicitandō accendēbant, 'sī Micipsa rēx occidisset, fore uti sōlus imperiī Numidiae potīrētur: in ipsō māximam virtūtem, Rōmae omnia vēnālia esse!'

Sed postquam, Numantiā dēlētā, P. Scīpiō dīmittere auxilia et ipse revertī domum dēcrēvit, dōnātum atque laudātum magnificē prō cōntiōne Iugurtham in praetō-

ap-petere = cupidē petere; appetēns = cupidus
ob-iectāre = obicere

occidere -cidisse -cāsūrum
praefēcit *eum*

ubi (+ *perf*) = ubi prīmum, postquam

eundō *ger* < īre
clāritūdō -inis *f* < clārus

terrōrī esse = terrōrem inicere
(homō) novus = quī prīmus ē gente suā magistrātum init
honestum -ī *n* = honestās, virtūs
potior = optātior
factiōsus -a -um (< factiō) = sēditiōsus
mediocris -e = modicus
pollicitārī = pollicērī

fore uti imperiī potīrētur = eum imperiō potītūrum esse
vēnālis -e = quī vēnit, quī emī potest

sēcrētō *adv* = in sēcrētō, clam
neu quibus = nēve ūllīs (cuiquam)
īn-suēscere = adsuēscere, mōrem sibi facere

rium abdūxit ibique sēcrētō monuit 'ut potius pūblicē quam prīvātim amīcitiam populī Rōmānī coleret neu quibus largīrī īnsuēsceret: perīculōsē ā paucīs emī quod multōrum esset; sī permanēre vellet in suīs artibus, ultrō illī et glōriam et rēgnum ventūrum.'

Sīc locūtus cum litterīs eum, quās Micipsae redderet, *9*
dīmīsit. Eārum sententia haec erat:

gaudiō (*dat*) esse = gaudium afferre
nōbīs : mihi

"Iugurthae tuī bellō Numantīnō longē māxima virtūs fuit, quam rem tibi certō sciō gaudiō esse. Nōbīs ob merita sua cārus est; ut idem senātuī et populō Rōmānō sit, summā ope nītēmur. Tibi quidem prō nostrā amīcitiā grātulor. Ēn habēs virum dignum tē atque avō suō Masinissā."

accipere = comperīre, audīre
ita esse : vēra esse
grātia (< grātus) = cāritās, favor
aggredī (+ *īnf*) = incipere, cōnārī

Igitur rēx, ubi ea quae fāmā accēperat ex litterīs imperātōris ita esse cognōvit, cum virtūte tum grātiā virī permōtus, flexit animum suum et Iugurtham beneficiīs vincere aggressus est, statimque eum adoptāvit et testāmentō pariter cum fīliīs hērēdem īnstituit.

verba habēre = verba facere, loquī

Sed ipse paucōs post annōs morbō atque aetāte cōnfectus, cum sibi fīnem vītae adesse intellegeret, cōram amīcīs et cognātīs itemque Adherbale et Hiempsale fīliīs dīcitur huiusce modī verba cum Iugurthā habuisse:

"Parvum ego tē, Iugurtha, āmissō patre, sine spē, *10*
sine opibus, in meum rēgnum accēpī, exīstimāns nōn minus mē tibi quam sī genuissem ob beneficia cārum fore. Neque ea rēs falsum mē habuit. Nam — ut alia magna et ēgregia tua omittam — novissimē rediēns Nu-

sī *tē* genuissem : sī pater tuus essem
mē falsum habuit = mē fefellit
novissimē = nūper

mantiā mēque rēgnumque meum glōriā honōrāvistī tuāque virtūte nōbīs Rōmānōs ex amīcīs amīcissimōs fēcistī. In Hispāniā nōmen familiae renovātum est. Postrēmō — quod difficillimum inter mortālēs est — glōriā invidiam vīcistī.

"Nunc, quoniam mihi nātūra fīnem vītae facit, per hanc dexteram moneō obtestorque tē uti hōs, quī tibi genere propinquī, beneficiō meō frātrēs sunt, cārōs habeās, neu mālīs aliēnōs adiungere quam sanguine coniūnctōs retinēre. Nōn exercitūs neque thēsaurī praesidia rēgnī sunt, vērum amīcī, quōs neque armīs cōgere neque aurō parāre queās: officiō et fidē pariuntur. Quis autem amīcior quam frāter frātrī? aut quem aliēnum fīdum inveniēs, sī tuīs hostis fueris? Equidem ego vōbīs rēgnum trādō fīrmum, sī bonī eritis, sīn malī, imbēcillum. Nam concordiā parvae rēs crēscunt, discordiā māximae dīlābuntur.

"Cēterum ante hōs tē, Iugurtha, quī aetāte et sapientiā prior es, nē aliter quid ēveniat prōvidēre decet. Nam in omnī certāmine, quī opulentior est, etiam sī accipit iniūriam, tamen, quia plūs potest, facere vidētur.

"Vōs autem, Adherbal et Hiempsal, colite, observāte tālem hunc virum, imitāminī virtūtem, et ēnītiminī nē ego meliōrēs līberōs sūmpsisse videar quam genuisse!"

11 Ad ea Iugurtha, tametsī rēgem ficta locūtum intellegēbat et ipse longē aliter animō agitābat, tamen prō tempore benignē respondit.

-que... -que = et... et (mē-que rēgnum-que = et mē et rēgnum)

nōmen familiae : glōria gentis Masinissae

ob-testārī = ōrāre (diīs testibus)

cārum habēre = dīligere

tibi adiungere

parāre : emere

quīre quīvisse = posse; queās (*coni praes*) = possīs

equidem ego = equidem

imbēcillus -a -um = īnfīrmus

dī-lābī = in variās partēs lābī, perīre

ante hōs : magis quam hōs

sapientia -ae *f* < sapiēns

decet tē prōvidēre (= cūrāre) nē...

iniūriam facere

ob-servāre = colere = honōrāre, cārum habēre

ē-nītī = valdē nītī

sūmpsisse : adoptāvisse

ficta -ōrum *n* : verba ficta, falsa

animō agitāre = cōgitāre

prō tempore = ut tempus postulābat

[annō 118 a. C.]
iūsta -ōrum *n* = fūnus
rēgulus -ī *m* = parvus rēx, rēgis fīlius
in ūnum *locum*
dis-ceptāre = disserere, colloquī

iacit = dīcit
quīnquennium -ī *n* = quīnque annī
re-scindere = irritum facere
animō valēre : sapere

adoptātiō -ōnis *f* = adoptiō

mōlīrī = labōrāre, nītī : mōl*ītur*, par*at*...
cum animō habēre = reputāre (ea quibus H. caperētur: quō modō H. capī posset)

dis-tribuere = dīvidere (inter eōs)
alius aliō = in suum quisque locum
domō eius quī...

aliquem prōmissīs onerāre = alicui multa prōmittere

adulterīnus -a -um = factus ad fallendum, falsus

Micipsa paucīs post diēbus moritur. Postquam illī mōre rēgiō iūsta magnificē fēcerant, rēgulī in ūnum convēnērunt, ut inter sē dē cūnctīs negōtiīs disceptārent. Ibi cum multa dē administrandō imperiō dissererent, Iugurtha inter aliās rēs iacit 'oportēre quīnquenniī cōnsulta et dēcrēta omnia rescindī, nam per ea tempora cōnfectum annīs Micipsam parum animō valuisse.' Tum 'idem' Hiempsal 'placēre sibi' respondit, 'nam ipsum illum tribus proximīs annīs adoptātiōne in rēgnum pervēnisse!' Quod verbum in pectus Iugurthae altius quam quisquam ratus erat dēscendit. Itaque ex eō tempore īrā et metū ānxius mōlīrī, parāre atque ea modo cum animō habēre quibus Hiempsal per dolum caperētur.

Prīmō conventū, quem ab rēgulīs factum suprā me- *12*
morāvī, propter dissēnsiōnem placuerat dīvidī thēsaurōs fīnēsque imperiī singulīs cōnstituī. Itaque tempus ad utramque rem dēcernitur, sed mātūrius ad pecūniam distribuendam. Rēgulī intereā in loca propinqua thēsaurīs alius aliō concessēre. Sed Hiempsal in oppidō Thirmidā forte eius domō ūtēbātur quī, proximus līctor Iugurthae, cārus acceptusque eī semper fuerat. Quem ille cāsū ministrum oblātum prōmissīs onerat impellitque uti tamquam suam vīsēns domum eat, portārum clāvēs adulterīnās paret (nam vērae ad Hiempsalem referēbantur); 'cēterum, ubi rēs postulāret, sē ipsum cum magnā manū ventūrum.'

Numida mandāta brevī cōnficit atque, uti doctus erat, noctū Iugurthae mīlitēs intrōdūcit. Quī postquam in aedēs irrūpēre, dīversī rēgem quaerere, dormientēs aliōs, aliōs occursantēs interficere, scrūtārī loca abdita, clausa effringere, strepitū et tumultū omnia miscēre — cum interim Hiempsal reperītur occultāns sē tuguriō mulieris ancillae, quō initiō pavidus et ignārus locī perfūgerat. Numidae caput eius, uti iussī erant, ad Iugurtham referunt.

13 Cēterum fāma tantī facinoris per omnem Āfricam brevī dīvulgātur. Adherbalem omnēsque quī sub imperiō Micipsae fuerant metus invādit. In duās partēs discēdunt Numidae: plūrēs Adherbalem sequuntur, sed illum alterum bellō meliōrēs. Igitur Iugurtha quam māximās potest cōpiās armat, urbēs partim vī, aliās voluntāte imperiō suō adiungit, omnī Numidiae imperāre parat. Adherbal, tametsī Rōmam lēgātōs mīserat, quī senātum docērent dē caede frātris et fortūnīs suīs, tamen frētus multitūdine mīlitum parābat armīs contendere. Sed ubi rēs ad certāmen vēnit, victus ex proeliō profūgit in prōvinciam ac deinde Rōmam contendit.

Tum Iugurtha, patrātīs cōnsiliīs, postquam omnis Numidiae potiēbātur, in ōtiō facinus suum cum animō reputāns, timēre populum Rōmānum neque adversus īram eius usquam, nisi in avāritiā nōbilitātis et pecūniā suā, spem habēre. Itaque paucīs diēbus cum aurō et argentō multō Rōmam lēgātōs mittit, quīs praecipit

docēre -uisse doctum; doctus : iussus

dīversī: in dīversās partēs : quaer*unt*...

occursāre = occurrere

scrūtārī = explōrāre

abditus = occultus

effringere = foribus effrāctīs penetrāre

tugurium -ī *n* = casa

dīvulgāre = vulgō patefacere

quam māximās potest = (tantās) quantās māximē potest

partim = in parte; partim ... aliās = aliās ... aliās

frētus -a -um (+*abl*) = fīdēns

contendere = certāre

prōvincia *Āfrica*: terra Carthāginiēnsium prōvincia Rōmāna facta

(Rōmam) contendere = properāre

patrāre = perficere

Numidiae potiēbātur = N.ae potēns erat (: in suā potestāte tenēbat)

paucīs diēbus = intrā paucōs diēs

quīs = quibus (*dat/abl pl*)

(mūneribus) explēre = dōnāre
ac-quīrere < ad- + quaerere
nē cūnctentur (: dubitent) parāre quaecumque possint

'prīmum uti veterēs amīcōs mūneribus expleant, deinde novōs acquīrant, postrēmō quaecumque possint largiundō parāre nē cūnctentur.'

com-mūtātiō -ōnis *f* = mūtātiō
incessit : facta est

Sed ubi Rōmam lēgātī vēnēre et ex praeceptō rēgis hospitibus aliīsque, quōrum eā tempestāte in senātū auctōritās pollēbat, magna mūnera mīsēre, tanta commūtātiō incessit, ut ex māximā invidiā in grātiam et favōrem nōbilitātis Iugurtha venīret!

utrīsque : Adherbalī et lēgātīs Iugurthae
accēpimus : nōbīs trāditum est

Diē cōnstitūtō senātus utrīsque datur. Tum Adherbalem hōc modō locūtum accēpimus:

stirps = gēns ex quā aliquis ortus est

"Patrēs cōnscrīptī! — Iugurtha, homō omnium quōs *14*
terra sustinet scelerātissimus, contēmptō imperiō vestrō, Masinissae mē nepōtem et iam ab stirpe socium atque amīcum populī Rōmānī, rēgnō fortūnīsque omnibus expulit. Iīs fīnibus ēiectus sum quōs māiōribus meīs populus Rōmānus dedit, unde pater et avus meus ūnā vōbīscum expulēre Syphācem et Carthāginiēnsēs. Vestra beneficia mihi ērepta sunt, patrēs cōnscrīptī, vōs in meā iniūriā dēspectī estis.

eōs quī
māximē tūtōs = tūtissimōs
quod in familiā fuit : quantum f. a potuit
praestāre (-stitisse) ut = cūrāre ut
per ōtium = in pāce
eōrum : frātrum meōrum

"Ego sīc exīstimābam, patrēs cōnscrīptī, quī vestram amīcitiam dīligenter colerent, eōs multum labōrem suscipere, cēterum ex omnibus māximē tūtōs esse. Quod in familiā nostrā fuit, praestitit uti in omnibus bellīs adesset vōbīs: nōs uti per ōtium tūtī sīmus, in vestrā manū est, patrēs cōnscrīptī. Pater nōs duōs frātrēs relīquit, tertium Iugurtham beneficiīs suīs ratus est coniūnctum nōbīs fore. Alter eōrum necātus est, alterīus ipse ego

manūs impiās vix effūgī. Quid agam? aut quō potissimum īnfēlīx accēdam?

"Patrēs cōnscrīptī! Subvenīte mihi miserō, īte obviam iniūriae, nōlīte patī rēgnum Numidiae, quod vestrum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae tābēscere!"

15 Postquam rēx fīnem loquendī fēcit, lēgātī Iugurthae, largītiōne magis quam causā frētī, paucīs respondent: 'Hiempsalem ob saevitiam suam ab Numidīs interfectum; Adherbalem ultrō bellum īnferentem, postquam superātus sit, querī quod iniūriam facere nequīvisset! Iugurtham ab senātū petere, nē sē alium putārent ac Numantiae cognitus esset, neu verba inimīcī ante facta sua pōnerent.'

Deinde utrīque Cūriā ēgrediuntur. Senātus statim cōnsulitur. Fautōrēs lēgātōrum, praetereā senātūs magna pars, grātiā dēprāvāta, Adherbalis dicta contemnere, Iugurthae virtūtem extollere laudibus; grātiā, vōce, dēnique omnibus modīs prō aliēnō scelere et flāgitiō suā quasi prō glōriā nītēbantur. At contrā paucī, quibus bonum et aequum dīvitiīs cārius erat, subveniundum Adherbalī et Hiempsalis mortem sevērē vindicandam cēnsēbant; sed ex omnibus māximē Aemilius Scaurus, homō nōbilis, impiger, factiōsus, avidus potentiae, honōris, dīvitiārum, cēterum vitia sua callidē occultāns.

16 Vīcit tamen in senātū pars illa quae vērō pretium aut grātiam anteferēbat. Dēcrētum fit 'uti decem lēgātī rēgnum quod Micipsa obtinuerat inter Iugurtham et Ad-

sub-venīre = auxiliō venīre, opem ferre

tābēscere (↔ convalēscere) = absūmī (morbō)

largītiō -ōnis *f* < largīrī

ne-quīre = nōn quīre, nōn posse

verba ante facta pōnere = verba factīs antepōnere

grātiā : g. Iugurthae
dē-prāvāre = prāvum facere, corrumpere
: contemn*unt*, extoll*unt*
ex-tollere (laudibus) = valdē laudāre
flāgitium -ī *n* = turpe factum, indignitās
prō suā glōriā

M. Aemilius Scaurus: cōs. annō 115 a. C.

vērum -ī *n* = bonum et aequum
ante-ferre = antepōnere, praeferre

herbalem dīviderent.' Cuius lēgātiōnis prīnceps fuit L. Opīmius, homō clārus et tum in senātū potēns, quia cōnsul, C. Gracchō et M. Fulviō Flaccō interfectīs, ācerrimē victōriam nōbilitātis in plēbem exercuerat. Eum Iugurtha, tametsī Rōmae in inimīcīs habuerat, tamen accūrātissimē recēpit, dandō et pollicendō multa perfēcit uti fāmae, fideī, postrēmō omnibus suīs rēbus commodum rēgis anteferret. Reliquōs lēgātōs eādem viā aggressus plērōsque capit; paucīs cārior fidēs quam pecūnia fuit.

In dīvīsiōne, quae pars Numidiae Maurētāniam attingit, agrō virīsque opulentior, Iugurthae trāditur; illam alteram, quae portuōsior et aedificiīs magis exōrnāta erat, Adherbal possēdit.

20 Postquam, dīvīsō rēgnō, lēgātī Āfricā dēcessēre et Iugurtha contrā timōrem animī praemia sceleris adeptum sēsē videt, certum esse ratus, quod ex amīcīs apud Numantiam accēperat, omnia Rōmae vēnālia esse, simul et illōrum pollicitātiōnibus accēnsus quōs paulō ante mūneribus explēverat, in rēgnum Adherbalis animum intendit. Ipse ācer, bellicōsus; at is quem petēbat quiētus, imbellis, placidō ingeniō, opportūnus iniūriae, metuēns magis quam metuendus. Igitur ex imprōvīsō fīnēs eius cum magnā manū invādit, multōs mortālēs cum pecore atque aliā praedā capit, aedificia incendit, plēraque loca hostīliter cum equitātū accēdit; deinde cum omnī multitūdine in rēgnum suum convertit, exīstimāns Adherba-

victōriam exercēre = victōriā ūtī
ac-cūrātus -a -um = cum cūrā factus; accūrātē = magnā cum cūrā
multa dandō et pollicendō

commodum rēgis = quod rēgī prōdest

dīvīsiō -ōnis *f* < dīvidere
quae pars Numidiae = ea pars N.ae quae
portuōsus -a -um = portūs habēns
rē (ex)ōrnātus = rem habēns
possidēre -sēdisse

adipīscī -eptum
sēsē adeptum *esse*

pollicitātiō -ōnis *f* (< pollicitārī) = prōmissum

in-tendere -disse -tum = advertere

opportūnus -a -um = idōneus; quī obicitur (reī)
ex im-prōvīsō = praeter exspectātiōnem, subitō

convertit = sē convertit, revertitur

lem dolōre permōtum iniūriās suās manū vindicātūrum eamque rem bellī causam fore.

At ille, quod neque sē parem armīs exīstimābat et amīcitiā populī Rōmānī magis quam Numidīs frētus erat, lēgātōs ad Iugurtham dē iniūriīs questum mīsit. Quī tametsī contumēliōsa dicta rettulerant, prius tamen omnia patī dēcrēvit quam bellum sūmere. Neque eō magis cupīdō Iugurthae minuēbātur, quippe quī tōtum eius rēgnum animō iam invāserat. Itaque nōn uti anteā cum praedātōriā manū, sed magnō exercitū comparātō bellum gerere coepit et apertē tōtīus Numidiae imperium petere. Cēterum, quā pergēbat, urbēs, agrōs vāstāre, praedās agere, suīs animum, hostibus terrōrem augēre.

21 Adherbal, ubi intellegit eō prōcessum uti rēgnum aut relinquendum esset aut armīs retinendum, necessāriō cōpiās parat et Iugurthae obvius prōcēdit.

Interim haud longē ā marī prope Cirtam oppidum utrīusque exercitus cōnsēdit, et quia diēī extrēmum erat, proelium nōn inceptum. Sed ubi plērumque noctis prōcessit, obscūrō etiam tum lūmine, mīlitēs Iugurthīnī signō datō castra hostium invādunt; sēmisomnōs partim, aliōs arma sūmentēs fugant funduntque. Adherbal cum paucīs equitibus Cirtam profūgit, et nī multitūdō togātōrum fuisset, quae Numidās īnsequentēs moenibus prohibuit, ūnō diē inter duōs rēgēs coeptum atque patrātum bellum foret. Igitur Iugurtha oppidum cir-

manū : armīs

amīcitiā frētus erat = amīcitiae cōnfīdēbat

contumēliōsus -a -um < contumēlia

quippe quī = quī scīlicet, quoniam

praedātōrius -a -um = quī praedātur

: vāst*at*, ag*it*

: aug*et*

eō prōcessum *esse* = eō (tam longē) rem prōcessisse
necessāriō *adv*

Cirta -ae *f*: caput Numidiae
extrēmum -ī *n* = fīnis

inceptum = coeptum

sēmi-somnus -a -um = nec dormiēns nec vigilāns

togātī : Rōmānī
īn-sequī = persequī
ā moenibus

cumsēdit; vīneīs turribusque et māchinīs omnium generum expugnāre aggreditur, māximē festīnāns tempus lēgātōrum antecapere quōs ante proelium factum Rōmam ab Adherbale missōs audīverat.

ante-capere

Sed postquam senātus dē bellō eōrum accēpit, trēs adulēscentēs in Āfricam lēgantur, quī ambōs rēgēs adeant, senātūs populīque Rōmānī verbīs nūntient: 'velle et cēnsēre eōs ab armīs discēdere: ita sēque illīsque dignum esse.'

'*senātum populumque R.* velle et cēnsēre eōs ab armīs discēdere (= ut... discēdant)'
sē-que illīs-que = et sē (Rōmānīs) et illīs

Lēgātī in Āfricam mātūrantēs veniunt, eō magis quod 22
Rōmae, dum proficīscī parant, dē proeliō factō et oppugnātiōne Cirtae audiēbātur — sed is rūmor clēmēns erat. Quōrum Iugurtha acceptā ōrātiōne respondit: 'Sibi neque māius quicquam neque cārius auctōritāte senātūs esse; ab adulēscentiā ita sē ēnīsum ut ab optimō quōque probārētur; virtūte, nōn malitiā P. Scīpiōnī, summō virō, placuisse; ob eāsdem artēs ā Micipsā, nōn pēnūriā līberōrum, in rēgnum adoptātum esse. Cēterum quō plūra bene atque strēnuē fēcisset, eō animum suum iniūriam minus tolerāre. Adherbalem dolīs vītae suae īnsidiātum; quod ubi comperisset, scelerī eius obviam īsse; populum Rōmānum neque rēctē neque prō bonō factūrum, sī ab iūre gentium sēsē prohibuerit. Postrēmō dē omnibus rēbus lēgātōs Rōmam brevī missūrum.'

mātūrāre = properāre
adulēscentia -ae *f* = aetās adulēscentis
ēnītī ēnīsum
malitia -ae *f* < malus
sē P. Scīpiōnī placuisse
pēnūria -ae *f* = inopia
quō plūra... eō minus
sē obviam *iisse*
prō bonō = bene
sē missūrum *esse*

Ita utrīque dīgrediuntur. Adherbalis appellandī cōpia nōn fuit.

(agendī) cōpia = occāsiō, potestās (: lēgātī Adherbalem appellāre nōn potuērunt)

23 Iugurtha, ubi eōs Āfricā dēcessisse ratus est, neque propter locī nātūram Cirtam armīs expugnāre potest, vāllō atque fossā moenia circumdat, turrēs exstruit eāsque praesidiīs fīrmat; praetereā diēs noctēsque aut per vim aut dolīs temptāre. Adherbal, ubi intellegit omnēs suās fortūnās in extrēmō sitās, hostem īnfēstum, auxiliī spem nūllam, pēnūriā rērum necessāriārum bellum trahī nōn posse, ex iīs quī ūnā Cirtam profūgerant duōs māximē impigrōs dēlēgit, eōs multa pollicendō ac miserandō cāsum suum cōnfīrmat, uti per hostium mūnītiōnēs noctū ad proximum mare, dein Rōmam pergerent.

: temptat

in extrēmō *perīculō* sitās *esse*

ūnā *cum eō*

cōn-fīrmāre = fīrmāre (animō), adhortārī

24 Numidae paucīs diēbus iussa efficiunt. Litterīs Ad-
25 herbalis in senātū recitātīs, fuēre quī exercitum in Āfri-
cam mittundum cēnsērent et quam prīmum Adherbalī
subveniundum. Sed ab iīsdem illīs rēgis fautōribus
summā ope ēnīsum est nē tāle dēcrētum fieret. Ita bo-
num pūblicum, ut in plērīsque negōtiīs solet, prīvātā
grātiā dēvictum.

fuēre quī cēnsērent = aliquī (senātōrēs) fuērunt quī cēnsērent

ab illīs ēnīsum est = illī ēnīsī sunt

Lēgantur tamen in Āfricam māiōrēs nātū nōbilēs, amplīs honōribus ūsī, in quīs fuit M. Scaurus, dē quō suprā memorāvimus, cōnsulāris et tum senātūs prīnceps. Iī, quod rēs in invidiā erat, trīduō nāvem ascendēre; dein brevī Uticam appulsī litterās ad Iugurtham mittunt: 'quam ōcissimē ad prōvinciam accēdat sēque ad eum ab senātū missōs.' Ille, ubi accēpit hominēs clārōs, quōrum auctōritātem Rōmae pollēre audīverat, contrā inceptum suum vēnisse, cum paucīs equitibus in

amplīs honōribus ūsī = quī summōs magistrātūs gesserant

rēs in invidiā erat : rēs invidiam excitābat

ōcissimē = celerrimē; quam ō. (potest) = tam celeriter quam māximē fierī potest

inceptum -ī *n* = quod inceptum (coeptum) est, coepta

prōvinciam vēnit. Ac tametsī senātūs verbīs gravēs minae nūntiābantur, quod ab oppugnātiōne nōn dēsisteret, multā tamen ōrātiōne cōnsūmptā lēgātī frūstrā discessēre.

26 Ea postquam Cirtae audīta sunt, Italicī, quōrum virtūte moenia dēfēnsābantur, cōnfīsī dēditiōne factā propter magnitūdinem populī Rōmānī inviolātōs sēsē fore, Adherbalī suādent 'uti sēque et oppidum Iugurthae trādat, tantum ab eō vītam pacīscātur.' At ille, tametsī omnia potiōra fidē Iugurthae rēbātur, tamen — quia penes eōsdem, sī adversārētur, cōgundī potestās erat — ita uti cēnsuerant Italicī dēditiōnem facit. Iugurtha in prīmīs Adherbalem excruciātum necat; deinde omnēs pūberēs Numidās et negōtiātōrēs, uti quisque armātus obvius fuerat, interficit!

27 Quod postquam Rōmae cognitum est, prōvinciae futūrīs cōnsulibus Numidia atque Italia dēcrētae. Cōnsulēs dēclārātī P. Scīpiō Nāsīca, L. Calpurnius Bēstia. Calpurniō Numidia, Scīpiōnī Italia obvēnit. Deinde exercitus quī in Āfricam portārētur scrībitur.

28 At Iugurtha, contrā spem nūntiō acceptō, fīlium et cum eō duōs familiārēs ad senātum lēgātōs mittit iīsque praecipit 'omnēs mortālēs pecūniā aggrediantur!' Quī postquam Rōmam adventābant, senātus ā Bēstiā cōnsultus 'placēretne lēgātōs Iugurthae recipī moenibus?' iīque dēcrēvēre 'nisi rēgnum ipsumque dēditum vēnissent, uti in diēbus proximīs decem Italiā dēcēderent!'

Italicus -a -um < Italia; *pl* incolae
dēfēnsāre = dēfendere
cōnfīdere -fīsum esse; cōnfīsī = cōnfīdentēs, cum cōnfīderent (crēderent)

pacīscī pactum = condiciōnem ferre, ex compositō postulāre
potior -ius *comp* = melior
penes eōsdem cōgendī potestās erat : iīdem eum cōgere poterant

negōtiātor -ōris *m* = quī negōtia gerit, mercātor
negōtiātōrēs *Italicōs*

ob-venīre = ēvenīre (sortibus)
portāre : trānsportāre
(mīlitēs) scrībere = cōnscrībere

familiāris -is *m* = amīcus
praecipit *ut* omnēs...

adventāre (Rōmam) = appropinquāre (Rōmae)
moenibus recipere : intrā moenia r.
iī : senātōrēs

Ita īnfectīs rēbus illī domum discēdunt.

īn-fectus -a -um (< in+ factus) = im-perfectus

Interim Calpurnius, parātō exercitū, initiō ācriter Numidiam ingressus est multōsque mortālēs et urbēs
29 aliquot pugnandō cēpit. Sed ubi Iugurtha per lēgātōs pecūniā temptāre coepit, animus aeger avāritiā facile conversus est. Cēterum socius et administer omnium cōnsiliōrum assūmitur Scaurus, quī tametsī ā prīncipiō ācerrimē rēgem impugnāverat, tamen magnitūdine pecūniae ā bonō honestōque in prāvum abstractus est.

animus *cōnsulis*

ad-minister -trī *m* = minister

as-sūmere < ad-sūmere

im-pugnāre = op-pugnāre (verbīs)

[*Calpurnius, corruptus rēgis pecūniā, bellum trahere coepit atque pācem cum Iugurthā flāgitiōsam fēcit iniussū populī et senātūs.*

flāgitiōsus -a -um (< flāgitium) = ignōminiōsus, turpis

Postquam rēs in Āfricā gestās fāma dīvulgāvit, apud plēbem gravis invidia. At C. Memmius tr. pl., vir vehemēns et īnfēstus potentiae nōbilitātis, populō persuādet uti L. Cassius, quī tum praetor erat, ad Iugurtham mitterētur eumque, datā fidē pūblicā, Rōmam dūceret, ut eius indiciō patefierent dēlicta Scaurī et reliquōrum quī pecūniae acceptae accūsābantur.]

invidia *orta est*

fidēs = prōmissum (: inviolātum eum fore)

indicium -ī *n* = quod indicātur

pate-facere *āct*; pate-fierī -factum *pass*

33 Igitur Iugurtha cum Cassiō Rōmam vēnit. Ac tametsī in ipsō magna vīs animī erat, cōnfīrmātus ab omnibus quōrum potentiā aut scelere cūncta ea gesserat quae suprā dīximus, C. Baebium tribūnum plēbis magnā mercēde parat, cuius impudentiā contrā iūs et iniūriās omnēs mūnītus foret.

impudentia -ae *f* = audācia sine pudōre

cuius impudentiā mūnītus foret : ut eius impudentiā mūnītus (: tūtus) esset

At C. Memmius, advocātā cōntiōne, quamquam rēgī īnfēsta plēbs erat, sēdāre mōtūs et animōs eōrum mol-

: sēd*at*, moll*it*, cōnfīrm*at*

līre, postrēmō cōnfīrmāre 'fidem pūblicam per sēsē inviolātum fore.' Post, ubi silentium coepit, prōductō Iugurthā, verba facit: Rōmae Numidiaeque facinora eius memorat, scelera in patrem frātrēsque ostendit; 'quibus iuvantibus quibusque ministrīs ea ēgerit quamquam intellegat populus Rōmānus, tamen velle manifēsta magis ex illō habēre; sī vērum aperiat, in fidē et clēmentiā populī Rōmānī magnam spem illī sitam.'

34 Deinde, ubi Memmius dīcundī fīnem fēcit et Iugurtha respondēre iussus est, C. Baebius tribūnus plēbis, quem pecūniā corruptum suprā dīximus, rēgem tacēre iubet! Ac tametsī multitūdō quae in cōntiōne aderat vehementer accēnsa terrēbat eum clāmōre, vultū, saepe impetū atque aliīs omnibus quae īra fierī amat, vīcit tamen impudentia. Ita populus lūdibriō habitus ex cōntiōne discēdit, Iugurthae Bēstiaeque et cēterīs quōs illa quaestiō exagitābat animī augēscunt.

35 Erat eā tempestāte Rōmae Numida quīdam nōmine Massīva, Gulussae fīlius, Masinissae nepōs, quī, quia in dissēnsiōne rēgum Iugurthae adversus fuerat, dēditā Cirtā et Adherbale interfectō profugus ex patriā abierat. Huic Sp. Albīnus, quī proximō annō post Bēstiam cum Q. Minuciō Rūfō cōnsulātum gerēbat, persuādet, quoniam ex stirpe Masinissae sit, rēgnum Numidiae ab senātū petat.

Quae postquam Massīva agitāre coepit, neque Iugurthae in amīcīs satis praesidiī est, Bomilcarī, proximō

cōnfīrmāre = affīrmāre

post *adv* = posteā

Numidiae : in Numidiā

quamquam populus R. intellegat quibus iuvantibus... ea ēgerit

populum Rōmānum velle

in rē spēs sita est = ob rem spēs est, rēs spem dare potest

accēnsa : īrāta

īra amat : īrātī amant (volunt)

lūdibriō (*dat*) habēre = ēlūdere

augēscere = augērī incipere, crēscere

adversus fuerat = adversātus erat

Sp. *Postumius* Albīnus [annō 110 a. C.]

M. Minuciō Rūfō

persuādet *ut* rēgnum petat

agitāre = agere

Bomilcar -aris *m*

et māximē fīdō sibi, imperat, pretiō īnsidiātōrēs Massīvae paret ac māximē occultē Numidam interficiat. Bomilcar mātūrē rēgis mandāta exsequitur, et per hominēs tālis negōtiī artificēs itinera ēgressūsque eius, postrēmō loca atque tempora cūncta explōrat; deinde, ubi rēs postulābat, īnsidiās tendit. Igitur ūnus ex eō numerō quī ad caedem parātī erant paulō incōnsultius Massīvam aggreditur: illum obtruncat, sed ipse dēprehēnsus, multīs hortantibus et in prīmīs Albīnō cōnsule, indicium profitētur. Fit reus Bomilcar. At Iugurtha clam in Numidiam Bomilcarem dīmittit, et ipse paucīs diēbus eōdem profectus est, iussus ā senātū Italiā dēcēdere. Sed postquam Rōmā ēgressus est, fertur saepe eō tacitus respiciēns postrēmō dīxisse: "Ō, urbem vēnālem et mātūrē peritūram, sī ēmptōrem invēnerit!"

[*A. Albīnus, frāter cōnsulis, ā Iugurthā circumventus et fugātus pācem cum eō fēcit ignōminiōsam, quam nōn esse servandam senātus cēnsuit.*

Tertius contrā Iugurtham missus est Q. Caecilius Metellus cōnsul, cui C. Marius lēgātus datus est. Metellus exercitum ā priōribus ducibus corruptum ad disciplīnam Rōmānam redūxit, duōbus proeliīs Iugurtham fūdit tōtamque Numidiam vāstāvit. Tum rēx, dēspērātā fortūnā, dēditiōnem meditābātur et lēgātōs ad cōnsulem mīsit, sed cum iam permagnam pecūniam et armōrum aliquantum Rōmānīs trādidisset, animum mūtāvit. Bellō renovātō Metellus rūrsus rēgem fugāvit ac Thalam, oppidum opulentum, cēpit.

imperat *ut*... paret
īnsidiātor -ōris *m* = quī īnsidiātur

mātūrē = citō, mox

artificēs : perītōs
ēgressus -ūs *m* < ēgredī

īnsidiās tendere = ī. parāre
in-cōnsultus -a -um = temerārius, incautus

in prīmīs = praecipuē
indicium profitērī = indicāre
reus -ī *m* = quī in iūdiciō accūsātur; r. fierī = accūsārī

ēmptor -ōris *m* = quī emit

[annō 109 a. C.]
Q. Caecilius Metellus *Numidicus*

meditārī = cōgitāre (dē), in animō habēre
per-magnus = valdē magnus, māximus

(locus) asper = difficilis, inīquus

Iugurtha, āmissā Thalā, per loca vāsta et aspera pervēnit ad Gaetūlōs, quōs contrā Rōmānōs armāvit. Praetereā Bocchum, rēgem Maurētāniae, impulit ut adversus Rōmānōs bellum inciperet.

Interim C. Marius, homō novus, Rōmam reversus cōnsul creātus est, eumque populus Rōmānus, adversante nōbilitāte, bellum cum Iugurthā gerere iussit. Quam rem Metellus aegrē ferēns bellum trahere coepit. At Marius cōntiōnem populī advocāvit; deinde hōc modō disseruit:]

disserere -uisse

"Quirītēs! Bellum mē gerere cum Iugurthā iussistis, *85*
quam rem nōbilitās aegerrimē tulit. Quaesō, reputāte cum animīs vestrīs num id mūtāre melius sit, sī quem ex illō globō nōbilitātis ad hoc aut aliud tāle negōtium mittātis, hominem multārum imāginum — et nūllīus stipendiī. Ita plērumque ēvenit ut quem vōs imperāre iussistis is sibi imperātōrem alium quaerat. Atque ego sciō, Quirītēs, quī postquam cōnsulēs factī sunt, et ācta māiōrum et Graecōrum mīlitāria praecepta legere coeperint. Comparāte nunc, Quirītēs, cum illōrum superbiā mē, hominem novum! Quae illī audīre aut legere solent, eōrum partem vīdī, alia egomet gessī; quae illī litterīs, ea ego mīlitandō didicī.

sī quem : num forte aliquem

Rōmānī nōbilēs *imāginēs māiōrum* in ātriō expōnunt

homō nūllīus stipendiī : quī nōn mīlitāvit

sciō quī = hominēs sciō (nōvī) quī

ācta -ōrum *n* = quae ācta (et scrīpta) sunt

"Contemnunt novitātem meam — ego illōrum ignāviam! Quod sī iūre mē dēspiciunt, faciant idem māiōribus suīs, quibus — uti mihi — ex virtūte nōbilitās coepit. Atque etiam, cum apud vōs aut in senātū verba faciunt, māiōrēs suōs extollunt, eōrum fortia facta memorandō

novitātem meum : mē 'hominem novum'

ignāvia -ae *f* = inertia (↔ fortitūdō)

faciant idem māiōribus suīs : item dēspiciant māiōrēs suōs

clāriōrēs sēsē putant. Quod contrā est: nam quantō vīta illōrum praeclārior, tantō hōrum socordia flāgitiōsior! Huiusce reī ego inopiam fateor, Quirītēs, vērum (id quod multō praeclārius est) meamet facta mihi dīcere licet. Nunc vidēte quam inīquī sint: Quod ex aliēnā virtūte sibi arrogant, id mihi ex meā nōn concēdunt, scīlicet quia imāginēs nōn habeō et quia mihi nova nōbilitās est, quam certē peperisse melius est quam acceptam corrūpisse!

illōrum : māiōrum
socordia -ae *f* = ignāvia
mea-met = mea
in-īquus = iniūstus (↔ aequus)
ar-rogāre (< ad-) = postulāre
parere = per sē facere



vexillum -ī *n*



phalerae -ārum *f*

“Nōn possum fideī causā imāginēs neque triumphōs aut cōnsulātūs māiōrum meōrum ostentāre — at, sī rēs postulet, hastās, vexillum, phalerās, alia mīlitāria dōna, praettereā cicātrīcēs adversō corpore! Hae sunt meae imāginēs, haec nōbilitās, nōn hērēditāte relicta, ut illa illīs, sed quae ego meīs plūrimīs labōribus et perīculīs quaesīvī!

mīlitāria dōna : praemia virtūtis
cicātrīx -īcis *f* = vetus vulnus
adversō corpore : in pectore

“Nōn sunt composita verba mea — parvī id faciō. Ipsa sē virtūs satis ostendit. Illīs artificiō opus est, ut turpia facta ōrātiōne tegant. Neque litterās Graecās didicī; parum placēbat eās discere, quippe quae ad virtūtem doctōribus nihil prōfuerant. At illa multō optima reī pūblicae doctus sum: hostem ferīre, nihil metuere nisi turpem fāmam, hiemem et aestātem iūxtā patī, humī requiēscere, eōdem tempore inopiam et labōrem tolerāre. Hīs ego praeceptīs mīlitēs hortābor. Haec atque tālia māiōrēs vestrī faciundō sēque remque pūblicam celebrāvēre.

compositus = arte c.
(parvī) facere = aestimāre
artificium -ī *n* = ars
tegere : cēlāre
quippe quae = quoniam eae
multō optima = longē optima
iūxtā = aequē
requiēscere = quiēscere, dormīre

"Nunc, quoniam illīs respondī, pauca dē rē pūblicā loquar. Prīmum omnium dē Numidiā bonum habēte animum, Quirītēs! Nam quae ad hoc tempus Iugurtham tūtāta sunt, omnia remōvistis: avāritiam, imperītiam, atque superbiam. Deinde exercitus ibi est locōrum sciēns, sed mehercule magis strēnuus quam fēlīx; nam magna pars eius avāritiā aut temeritāte ducum attrīta est. Quam ob rem vōs, quibus mīlitāris aetās est, adnītiminī mēcum! Egomet in agmine aut in proeliō cōnsultor īdem et socius perīculī vōbīscum aderō, mēque vōsque in omnibus rēbus iūxtā geram. Et profectō, dīs iuvantibus, omnia mātūra sunt: victōria, praeda, laus. Quae sī dubia aut procul essent, tamen omnēs bonōs reī pūblicae subvenīre decēbat. Etenim nēmō ignāviā immortālis factus est.

"Plūra dīcerem, Quirītēs, sī timidīs virtūtem verba adderent — nam strēnuīs abundē dictum putō."

86 Huiusce modī ōrātiōne habitā, Marius properē commeātū, stipendiō, armīs aliīsque ūtilibus nāvēs onerat; cum hīs A. Mānlium lēgātum proficīscī iubet. Ipse intereā mīlitēs scrībere, nōn mōre māiōrum neque ex classibus, sed uti cuiusque libīdō erat, capite cēnsōs plērōsque. Igitur Marius, cum aliquantō māiōre numerō quam dēcrētum erat in Āfricam profectus, paucīs diēbus Uticam advehitur. Exercitus eī trāditur ā P. Rutiliō lēgātō; nam Metellus cōnspectum Mariī fūgerat, nē vidēret ea quae audīta animus tolerāre nequīverat.

tūtārī = tuērī
imperītia -ae *f* < *imperītus* ↔ perītus

locōrum sciēns = quī loca scit (nōvit)

ad-nītī = ēnītī

cōnsultor -ōris *m* = quī cōnsulit
iūxtā geram : eōdem modō tractābō

abundē = plūs quam satis, nimis

ūtilia -ium *n* = rēs ūtilēs

: scrīb*it*

capite cēnsī = prōlētāriī (quī ante Mariī aetātem immūnēs mīlitiā erant)

P. Rutiliō *Rūfō* (cōs. annō 105 a. C.)

87 Sed cōnsul in agrum fertilem proficīscitur, omnia ibi capta mīlitibus dōnat; dein castella et oppida nātūrā et virīs parum mūnīta aggreditur. At rēgēs, ubi dē adventū Mariī cognōvērunt, dīversī in locōs difficilēs abeunt. Ita Iugurthae placuerat, spērantī mox effūsōs hostēs invādī posse.

88 Metellus intereā Rōmam profectus contrā spem suam laetissimīs animīs accipitur, plēbī patribusque, postquam invidia dēcesserat, iūxtā cārus.

Sed Marius explōrāre itinera rēgum, cōnsilia et īnsidiās eōrum antevenīre, nihil apud eōs tūtum patī. Itaque et Gaetūlōs et Iugurtham ex sociīs nostrīs praedās agentēs saepe aggressus in itinere fūderat, ipsumque rēgem haud procul ab oppidō Cirtā armīs exuerat.

89 Erat inter ingentēs sōlitūdinēs oppidum magnum atque valēns nōmine Capsa. Eius cīvēs apud Iugurtham immūnēs, levī imperiō, et ob ea fidēlissimī habēbantur, mūnītī adversum hostēs nōn moenibus modo et armīs atque virīs, vērum etiam multō magis locōrum asperitāte; nam praeter oppidō propinqua alia omnia vāsta, inculta, egentia aquae, īnfēsta serpentibus. Eius potiundī Marium māxima cupīdō invāserat, cum propter ūsum bellī, tum quia rēs aspera vidēbātur et Metellus oppidum Thalam magnā glōriā cēperat, haud dissimiliter situm mūnītumque.

90 Igitur cōnsul, omnibus explōrātīs, pergit ad flūmen
91 Tanain. Ibi castrīs levī mūnīmentō positīs, mīlitēs

rēgēs : Iugurtha et Bocchus

iūxtā = aequē

: explōr*at*

ante-venīre
: anteven*it*, pat*itur*

hostem armīs exuere : hostem ita vincere ut armīs abiectīs fugiat

levī imperiō : quibus leviter (↔ sevērē) imperābātur

asperitās -ātis *f* < asper

: praeter *loca* oppidō propinqua

(locus) in-cultus = quī nōn colitur

cupīdō eius (oppidī) potiendī Marium invāserat

propter ūsum bellī = quia ūtile erat ad bellum

Tanais -is *m* (*acc* -in)

proximā *nocte*

tumulōsus -a -um = plēnus tumulōrum
duum = duōrum
duo mīlia = duo mīlia *passuum*

ēgressī *sunt*

: sequ*itur*, sin*it*

ad hoc = praetereā

coēgēre : (hae rēs) *eōs* coēgērunt

Capsēnsēs -ium *m* < Capsa

L. *Cornēlius* Sulla

admonēre virī (*gen*) = admonēre dē virō
cultus = modus vīvendī, mōrēs

familia: gentis pars cui cognōmen commūne est
exstīncta : sine honōribus (magistrātibus)

cibum capere atque uti simul cum occāsū sōlis ēgrederentur parātōs esse iubet. Dein castrīs ēgreditur noctemque tōtam itinere factō cōnsēdit. Idem proximā facit. Dein tertiā, multō ante lūcis adventum, pervenit in locum tumulōsum ab Capsā nōn amplius duum mīlium intervāllō, ibique quam occultissimē potest cum omnibus cōpiīs opperītur. Sed ubi diēs coepit et Numidae nihil hostīle metuentēs multī oppidō ēgressī, repente omnem equitātum et cum iīs vēlōcissimōs peditēs cursū tendere ad Capsam et portās obsidēre iubet. Deinde ipse intentus properē sequī neque mīlitēs praedārī sinere. Quae postquam oppidānī cognōvēre, rēs trepidae, metus ingēns, malum imprōvīsum, ad hoc pars cīvium extrā moenia in hostium potestāte coēgēre uti dēditiōnem facerent. Cēterum oppidum incēnsum, Numidae pūberēs interfectī, aliī omnēs venundatī, praeda mīlitibus dīvīsa.

Cōnsul, ubi ea rēs bene ēvēnit, ad alia oppida pergit. *92*
Pauca repugnantibus Numidīs capit, plūra dēserta propter Capsēnsium miseriās ignī corrumpit, lūctū atque caede omnia complentur.

Cēterum dum ea rēs geritur, L. Sulla quaestor cum *95*
magnō exercitū in castra vēnit. Sed quoniam nōs tantī virī rēs admonuit, idōneum vīsum est dē nātūrā cultūque eius paucīs dīcere.

Igitur Sulla gentis patriciae nōbilis fuit, familiā prope iam exstīnctā māiōrum ignāviā, litterīs Graecīs et Latī-

nīs iūxtā ērudītus, animō ingentī, cupidus voluptātum, sed glōriae cupidior. Fācundus, callidus, et amīcitiā facilis. Ad simulanda negōtia altitūdō ingeniī incrēdibilis. Multārum rērum ac māximē pecūniae largītor.

fācundus -a -um = ēloquēns
facilis = benignus
altitūdō -inis *f* < altus
largītor -ōris *m* = quī largītur

96 Igitur Sulla, postquam in Āfricam atque in castra Mariī cum equitātū vēnit, brevī Mariō mīlitibusque cārissimus factus.

97 At Iugurtha, postquam oppidum Capsam aliōsque locōs mūnītōs et sibi ūtilēs, simul et magnam pecūniam āmīserat, ad Bocchum nūntiōs mittit: 'quam prīmum in Numidiam cōpiās addūceret: proeliī faciundī tempus adesse.' Quem ubi cūnctārī accēpit, rūrsus uti anteā proximōs eius dōnīs corrūpit, ipsīque Maurō pollicētur Numidiae partem tertiam 'sī aut Rōmānī Āfricā expulsī aut integrīs suīs fīnibus bellum compositum foret.' Eō praemiō illectus Bocchus cum magnā multitūdine Iugurtham accēdit. Ita ambōrum exercitū coniūnctō, Marium iam in hīberna proficīscentem, vix decimā parte diēī reliquā, invādunt: priusquam exercitus aut īnstruī aut sarcinās colligere quīvit, equitēs Maurī atque Gaetūlī in nostrōs incurrunt. Quī omnēs aut arma capiēbant aut capientēs aliōs ab hostibus dēfēnsābant; pars equōs ascendere, obviam īre hostibus; pugna latrōciniō magis quam proeliō similis fierī; neque virtūs neque arma satis tegere, quia hostēs numerō plūrēs et undique circumfūsī erant. Dēnique Rōmānī orbēs fēcēre atque ita ab omnibus partibus simul tēctī et īnstrūctī hostium vim

ut quam prīmum... addūceret
accēpit : audīvit
Maurus -ī *m*: incola Maurētāniae (: Bocchus)
il-licere -lēxisse -lectum = prōmissīs impellere /incitāre
sarcina -ae *f* = quod mīles fert
: ascend*unt*, o. *eunt*
latrōcinium -ī *n* = latrōnum impetus
fierī : fit
: teg*it* (: prōtegit Rōmānōs)

sustentāre = sustinēre

remittere = cessāre
: remitt*unt*, īnst*ant*

plēnō gradū : celeriter gradientēs
ā proeliō dēterrentur

: laet*antur*, exsult*ant*, strep*unt*
strepere -uisse -itum = strepitum facere

sustentābant. Iamque diēs cōnsūmptus erat, cum tamen *98*
barbarī nihil remittere atque ācrius īnstāre. Tum Ma-
rius dispersōs mīlitēs in ūnum contrahit, dein cūnctōs
plēnō gradū in collem subdūcit. Ita rēgēs locī difficul-
tāte coāctī proeliō dēterrentur, sed colle multitūdine cir-
cumdatō effūsī cōnsēdēre. Dein, crēbrīs ignibus factīs,
plērumque noctis barbarī mōre suō laetārī, exsultāre,
strepere vōcibus.

dēfessus -a -um = fatīgātus, fessus
dē imprōvīsō = ex i.

signum canere = tubā signum pugnae dare

sonitus -ūs *m* = sonus

Marius quam māximum silentium habērī iubet. De- *99*
inde, ubi lūx adventābat, dēfessīs iam hostibus ac paulō
ante somnō captīs, dē imprōvīsō tubicinēs simul omnēs
signa canere, mīlitēs clāmōrem tollere atque portīs
ērumpere iubet. Maurī atque Gaetūlī, ignōtō atque hor-
ribilī sonitū repente excītī, neque fugere neque arma
capere neque omnīnō facere aut prōvidēre quicquam
poterant. Dēnique omnēs fūsī fugātīque, arma et signa
mīlitāria plēraque capta, plūrēsque eō proeliō quam
omnibus superiōribus interēmptī.

hībernācula -ōrum *n* = hīberna
expedītus -a -um = ad pugnam parātus

obsessum (*supīnum*) = ut obsideat

Cōnsul haud dubiē iam victor pervenit in oppidum *102*
Cirtam. Exercitū in hībernāculīs compositō, cum expe- *103*
dītīs cohortibus et parte equitātūs proficīscitur in loca
sōla obsessum turrim rēgiam, quō Iugurtha praesidium
imposuerat.

cōpia = multitūdō
necessārius -ī *m* = propinquus, amīcus

Tum Bocchus ex omnī cōpiā necessāriōrum quīnque dēlēgit quōrum et fidēs cognita et ingenia validissima erant. Eōs ad Marium ac deinde, sī placeat, Rōmam lēgātōs īre iubet.

104 Marius, postquam Cirtam rediit, mandāta Bocchī cognōscit. Lēgātīs potestās Rōmam eundī fit, et ab cōnsule intereā indūtiae postulābantur.

Cēterum Maurī, impetrātīs omnibus rēbus, trēs Rōmam profectī, duo ad rēgem redeunt. Rōmae lēgātīs amīcitiam et foedus petentibus hōc modō respondētur: “Senātus et populus Rōmānus beneficiī et iniūriae memor esse solet. Cēterum Bocchō, quoniam paenitet, dēlictī grātiam facit. Foedus et amīcitia dabuntur cum meruerit.”

105 Quīs rēbus cognitīs, Bocchus per litterās ā Mariō petīvit ut Sullam ad sē mitteret. Is missus cum praesidiō equitum atque funditōrum Baleārum. Sed in itinere quīntō dēnique diē Volux, fīlius Bocchī, repente in campīs patentibus cum mīlle equitibus sēsē ostendit.
106 Volux adveniēns quaestōrem appellat dīcitque ‘sē ā patre Bocchō obviam illīs, simul et praesidiō, missum.’ Deinde eum et proximum diem sine metū coniūnctī eunt. Post, ubi castra locāta et diēī vesper erat, repente Maurus incertō vultū pavēns ad Sullam accurrit dīcitque ‘sibi ex speculātōribus cognitum Iugurtham haud procul abesse.’ Ille negat ‘sē totiēs fūsum Numidam pertimēscere’; cēterum mīlitēs prīmā vigiliā silentiō ēgredī iubet. Iamque nocturnō itinere fessīs omnibus, Sulla pariter cum ortū sōlis castra mētābātur, cum equitēs Maurī nūntiant ‘Iugurtham circiter duum mīlium
107 intervāllō ante eōs cōnsēdisse.’ At Sulla suōs hortātur

potestās fit : p. datur

quoniam *eum factōrum suōrum* paenitet
(dēlictī) grātiam facere = veniam dare, (dēlictum) ignōscere

quīs = quibus

funditor -ōris *m* = mīles fundā armātus
Volux -ucis *m*

quaestōrem : Sullam

praesidiō (*dat*) = ad praesidium

Maurus : Volux
sibi cognitum *esse* = sē cognōvisse
speculātor -ōris *m* = quī speculātur, explōrātor
Numidam : Iugurtham
per-timēscere -muisse = expavēscere
ēgredī *ē castrīs*

pariter cum = simul cum

'uti fortem animum gererent: saepe anteā ā paucīs strēnuīs adversum multitūdinem bene pugnātum!' Ac statim profectī, dubiō atque haesitante Iugurthā, incolumēs trānseunt. Deinde paucīs diēbus quō īre intenderant perventum est.

Bocchus īlicō ad Sullam nūntiātum mittit 'parātum *108*
sēsē facere quae populus Rōmānus vellet; colloquiō
diem, locum, tempus ipse dēligeret.' Postquam sīcut *109*
voluerat congressī, statim sīc rēx incipit:

"Bellum ego populō Rōmānō neque fēcī neque fac- *110*
tum umquam voluī, at fīnēs meōs adversum armātōs armīs tūtātus sum. Id omittō, quandō vōbīs ita placet. Gerite quod vultis cum Iugurthā bellum! Ego flūmen Muluccham, quod inter mē et Micipsam fuit, nōn ēgrediar, neque id intrāre Iugurtham sinam. Praetereā, sī quid mēque vōbīsque dignum petīveris, haud repulsus abībis."

Ad ea Sulla dē pāce et commūnibus rēbus multīs *111*
disseruit. Dēnique rēgī patefacit 'quod polliceātur senātum et populum Rōmānum nōn in grātiā habitūrōs. Faciundum eī aliquid quod illōrum magis quam suā rētulisse vidērētur; id adeō in prōmptū esse, quoniam cōpiam Iugurthae habēret. Quem sī Rōmānīs trādidisset, amīcitiam, foedus, Numidiae partem quam nunc peteret, tum ultrō adventūram.'

Rēx prīmō negitāre. Dēnique, saepius fatīgātus, lēnītur et 'ex voluntāte Sullae omnia sē factūrum' prōmittit.

haesitāre = incertus cūnctārī
in-tendere (animum) = in animō habēre

ī-licō (<in-locō) = statim

parātus facere = parātus ad faciendum

congressī *sunt*

quandō = quoniam

bellum quod vultis
Micipsam : rēgnum Micipsae
ēgrediar : trānsgrediar

re-pellere reppulisse re-pulsum

multīs : multīs verbīs

"faciendum *tibi est* a. quod *nostrā* (Rōmānōrum) m. quam *tuā* rētulisse (rē-ferre) vid*ētur*"
rē-ferre: meā/eōrum rēfert = mihi/iīs cūrae /optandum est
ad-eō = praetereā
in prōmptū = facile
cōpiam eius habēre = eum in potestāte h.
illī adventūram *esse*

negitāre = saepe ac vehementer negāre
precibus fatīgātus

Cēterum ad simulandam pācem, cuius Numida dēfessus bellō avidissimus erat, quae ūtilia vīsa cōnstituunt. Ita compositō dolō dīgrediuntur.

Numida : Iugurtha
ea quae ūtilia *iīs* vīsa *sunt*

112 At rēx posterō diē Asparem, Iugurthae lēgātum, appellat dīcitque 'sibi ex Sullā cognitum posse condiciōnibus bellum pōnī: quam ob rem rēgis suī sententiam exquīreret.' Ille laetus in castra Iugurthae proficīscitur, deinde post diem octāvum redit ad Bocchum et eī nūntiat 'Iugurtham cupere omnia quae imperārentur facere, sed Mariō parum cōnfīdere. Cēterum Bocchus dāret operam ut ūnā ab omnibus quasi dē pāce in colloquium venīrētur — ibique sibi Sullam trāderet!'

Aspar -aris *m*
condiciōnibus : aequīs condiciōnibus
ex-quīrere = quaerere
ut ūnā ab omnibus... venīrētur = ut omnēs... ūnā venīrent (= convenīrent)
sibi : Iugurthae

113 Haec Maurus sēcum ipse diū volvēns tandem prōmīsit. Sed nocte eā quae proxima fuit ante diem colloquiō dēcrētum, Maurus dīcitur sēcum ipse multum agitāvisse, vultū pariter atque animō varius. Tamen postrēmō Sullam accersī iubet et ex illīus sententiā Numidae īnsidiās tendit.

(sēcum) agitāre = cōgitāre
accersere -īvisse -ītum = arcessere
Numidae : Iugurthae

Deinde, ubi diēs advēnit et eī nūntiātum est 'Iugurtham haud procul abesse', cum paucīs amīcīs et quaestōre nostrō quasi obvius honōris causā prōcēdit in tumulum facillimum vīsū īnsidiantibus. Eōdem Numida cum plērīsque necessāriīs suīs inermis, uti dictum erat, accēdit — ac statim signō datō undique simul ex īnsidiīs invāditur! Cēterī obtruncātī, Iugurtha Sullae vīnctus trāditur et ab eō ad Marium dēductus est.

quaestōre nostrō: Sullā
Iugurthae obvius prōcēdit
īnsidiantēs = īnsidiātōrēs
[annō 106 a. C.]

114 Per idem tempus adversum Gallōs ab ducibus nostrīs

Q. *Servīlius* Caepiō: cōs. annō 106 a. C.
Cn. Mallius *Māximus*: cōs. annō 105 a. C.

(in triumphō Mariī ductus ante currum Iugurtha cum duōbus fīliīs et in Carcere necātus est)
spēs...in illō sitae *erant*: ille sōlus spēs dare poterat

Q. Caepiōne et Cn. Malliō male pugnātum. Quō metū Italia omnis contremuit. Sed postquam 'bellum in Numidiā cōnfectum et Iugurtham Rōmam vīnctum addūcī' nūntiātum est, Marius cōnsul absēns factus est et eī dēcrēta prōvincia Gallia, isque kalendīs Iānuāriīs magnā glōriā cōnsul triumphāvit. Et eā tempestāte spēs atque opēs cīvitātis in illō sitae.

GRAMMATICA LATINA

Dē vocābulīs faciendīs

(II) *Suffīxa*

suffīxum -ī *n part* < *suffīgere* = post fīgere

Multa nova vocābula fīunt adiciendīs variīs syllabīs, quae vocantur 'suffīxa', ut *-ia*, *-itūdō*, *-or*, *-iō*, *-ōsus*, *-āre*. Suffīxa ad themata vocābulōrum adiciuntur.

Exempla: prūdēns -ent|is > prūdent*ia*; mult|ī > mult*itūdō*; spectāre -āt|um > spectāt*or*; pecūni|a > pecūni*ōsus*; sān|us > sān*āre*.

(A) *Verba ē nōminibus*

Verba ē nōminibus fīunt hīs suffīxīs *-āre*/*-ārī* et *-īre*/*-īrī*.

Exempla:

(1) *-āre*: cēn*āre* < cēn|a; sicc*āre* < sicc|us;
(2) *-ārī*: ōscul*ārī* < ōscul|um; laet*ārī* < laet|us;
(3) *-īre*: fīn*īre* < fīn|is; moll*īre* < moll|is;
(4) *-īrī*: part*īrī* < pars part|is; larg*īrī* < larg|us.

PENSVM A

Supplenda sunt verba facta ex hīs nōminibus:

(1) numerus > —; laus > —; cūra > —; verbera > —; mīles > —; arma > —; nūntius > —; dōnum > —; labor —; vulnus > —; nex > —; rēgnum > —; locus > —; onus > —; bellum > —; socius > —; honōs > —; nota > —; sacer > —; līber > —; probus > —; nūdus > —; fīrmus > —; aequus > —; novus > re—; prāvus > dē—;

Vocābula nova:
concubīna
inertia
difficultās
clāritūdō
sapientia
iūsta
rēgulus
quīnquennium
adoptātiō
tugurium
commūtātiō
largītiō
flāgitium
dīvīsiō
pollicitātiō
adulēscentia
pēnūria
inceptum
negōtiātor
familiāris
administer
impudentia
īnsidiātor
ēgressus
indicium
reus
ēmptor
ācta

(2) comes > —; minae > —; glōria > —; dominus > —; mora > —; testis > —; praeda > —; merx > —; crīmen > —; mīrus > —; miser > —; indignus > —; vagus > —;
(3) servus > —; sitis > —; vestis > —; cūstōs > —; lēnis > —; rudis > ē—;
(4) sors > —; mēns > —; blandus > —.

PENSVM B

Micipsa, — [= etsī] nātūram Iugurthae — [= violentam] et — [= cupidam] imperiī timēbat, tamen eum — et hērēdem fēcit. Rēx moriēns Iugurtham — est ut amīcōs dīvitiīs — [= praeferret] et frātrēs eius monuit ut Iugurtham colerent atque —. Micipsā mortuō, — [= rēgis fīliī] tempus ad — pecūniae cōnstituērunt; ibi mīlitēs Iugurthae Hiempsalem locō — [= occultō] latentem occīdērunt. Fāma tantī sceleris per Āfricam brevī — est. Adherbal, cum rēgnum suum armīs — [= tuērī] nōn posset, Rōmam contendit et senātum ōrāvit ut sibi —. Iugurtha vērō — [< largīrī] effēcit ut senātōrēs virtūtem eius laudibus —, scelus et — [= turpe factum] omitterent. Ergō potentiā — [= fīdēns] ex — fīnēs Adherbalis invāsit. Is victus Cirtam profūgit, quae virtūte Italicōrum — [= dēfendēbātur]; dēditiōne factā, Adherbal — [= statim] necātus est cum Numidīs et — [= mercātōribus] Rōmānīs.

Calpurnius, rēgis pecūniā — [= corruptus], pācem — [= ignōminiōsam] cum Iugurthā fēcit. Cum rēx Rōmam — [= arcessītus] esset, ut dēlicta Scaurī aliōrumque patefaceret, — [= amīcō] suō Bomilcarī imperāvit ut — parāret quī Massīvam necārent; ūnus vērō dēprehēnsus — profitētur et Bomilcar — fit. Iugurtha Rōmā ēgressus “Ō, urbem —” inquit “et — peritūram sī — invēnerit!”

— est aetās inter pueritiam et iuventūtem. Victor ab hostibus victīs — solet ut obsidēs dentur. Quī — [= sonum] magnum ac molestum facit, — dīcitur. Quī multa incipit, rārō — suum — [= perficere] — [= potest]. Nihil meā — quid aliī dē mē loquantur!

ignāvia
socordia
vexillum
phalerae
cicātrīx
artificium
imperītia
cōnsultor
asperitās
altitūdō
largītor
sarcina
latrōcinium
sonitus
hībernācula
necessārius
funditor
speculātor
suffixum
pollēns
decōrus
vehemēns
avidus
factiōsus
mediocris
vēnālis
imbēcillus
adulterīnus
abditus
frētus
portuōsus
opportūnus
contumēliōsus
praedātōrius
sēmisomnus
flāgitiōsus
incōnsultus
permagnus
sciēns
incultus
tumulōsus
fācundus
dēfessus
atterere
permanēre
dērelinquere
equitāre
iaculārī
appetere
obiectāre
pollicitārī
īnsuēscere
adoptāre


obtestārī
quīre
dīlābī
observāre
ēnītī
disceptāre
mōlīrī
occursāre
scrūtārī
dīvulgāre
patrāre
acquīrere
subvenīre
tābēscere
dēprāvāre
extollere
anteferre
intendere
antecapere
cōnfīrmāre
dēfēnsāre
pacīscī
obvenīre
adventāre
impugnāre
augēscere
arrogāre
tūtārī
adnītī
antevenīre
illicere
sustentāre
strepere
pertimēscere
haesitāre
rēferre
negitāre
exquīrere
accersere
mātūrē
accūrātē
necessāriō
ōcissimē
dehinc
tametsī
sēcrētō
partim
ex imprōvīsō
quippe
abundē
īlicō
in prōmptū

Synōnyma: V annī et —; casa et —; inopia et —; vetus vulnus et —; ars et —; asperitās et —; explōrātor et —; pulcher et —; modicus et —; fessus et —; equō vehī et —; explōrāre et —; adnītī et —; cūnctārī et —; magnā cum cūrā et —; celerrimē et —; nimis et —.

Contrāria: stultitia et —; fortitūdō et —; validus et —; convalēscere et —.

PENSVM C

Quōs fīliōs Micipsa genuit?
Cūr Micipsa Iugurtham adoptāvit?
Quibus artibus Iugurtha adulēscēns sē exercēbat?
Quārē Micipsa Iugurtham in Hispāniam mīsit?
Quālem Iugurtha sē praebuit bellō Numantīnō?
Quid Micipsa moribundus fīliōs suōs monuit?
Patre mortuō, dē quibus rēbus rēgulī disseruērunt?
Quōmodo Hiempsal interfectus est?
Quid fēcit Adherbal post necem frātris?
Quōmodo Iugurtha in grātiam nōbilitātis vēnit?
Quid senātus dēcrēvit cum lēgātōs audīvisset?
Dīvīsō rēgnō Numidiae, quid factum est?
Quid fēcit Adherbal Cirtae inclūsus?
Num Iugurtha Cirtam armīs expugnāvit?
Quārē Iugurtha Rōmam arcessītus est?
Cūr rēx in cōntiōne interrogātus nōn respondit?
Quis fuit Massīva et quid eī accidit?
Cūr Iugurtha Rōmam 'urbem vēnālem' appellāvit?
Quālis imperātor fuit Q. Caecilius Metellus?
Cūr Rōmānī nōbilēs C. Marium contemnēbant?
Quōs novōs mīlitēs Marius cōnscrīpsit?
Quī rēx Iugurtham adiuvābat?
Num Bocchus socius fīdus fuit?
Quōmodo Iugurtha in potestātem Mariī vēnit?
Utrī Sallustius favēre tibi vidētur, nōbilitātī an plēbī?



Marius

MARIVS ET SVLLA

[*Ex Eutropiī Breviāriō ab urbe conditā, V et VI*]

V *Bellum Cimbricum*

1 Dum bellum in Numidiā contrā Iugurtham geritur, Rōmānī cōnsulēs Cn. Mallius et Q. Caepiō ā Cimbrīs et Teutonibus et Tugurīnīs et Ambrōnibus, quae erant Germānōrum et Gallōrum gentēs, victī sunt iūxtā flūmen Rhodanum ingentī interniciōne; etiam castra sua et magnam partem exercitūs perdidērunt. Timor Rōmae grandis fuit, quantus vix Hannibalis tempore, nē iterum Gallī Rōmam venīrent.

Q. Caepiō *prōcōs.* [annō 105 a. C.]
Cimbrī -ōrum *m*
Teutonēs -um *m*
Tigurīnī -ōrum *m*
Ambrōnēs -um *m*
interniciō -ōnis *f* = strāgēs, perniciēs

Ergō Marius post victōriam Iugurthīnam secundō cōnsul est factus, bellumque eī contrā Cimbrōs et Teutonēs dēcrētum est. Tertiō quoque eī et quārtō dēlātus est cōnsulātus, quia bellum Cimbricum prōtrahēbātur. Sed in quārtō cōnsulātū collēgam habuit Q. Lutātium Catulum. Cum Cimbrīs itaque cōnflīxit et duōbus proeliīs ducenta mīlia hostium cecīdit, octōgintā mīlia cēpit

secundō *adv* = iterum
(bellum) prō-trahere = trahere, prōdūcere
[annō 102 a. C.]

quīntō *adv*

et ducem eōrum Teutobodum; propter quod meritum absēns quīntō cōnsul est factus.

cōpia = multitūdō
īn-fīnītus -a -um = sine fīne, immēnsus

[annō 101 a. C.]

re-portāre

2 Intereā Cimbrī et Teutonēs, quōrum cōpia adhūc īnfīnīta erat, ad Italiam trānsiērunt. Iterum ā C. Mariō et Q. Catulō contrā eōs dīmicātum est, sed ā Catulī parte fēlīcius. Nam proeliō, quod simul ambō gessērunt, centum quadrāgintā mīlia aut in pugnā aut in fugā caesa sunt, sexāgintā mīlia capta. Rōmānī mīlitēs ex utrōque exercitū trecentī periērunt. Tria et trīgintā Cimbrīs signa sublāta sunt; ex hīs exercitus Mariī duo reportāvit, Catulī exercitus ūnum et trīgintā. Is bellī fīnis fuit. Triumphus utrīque dēcrētus est.

(bellum) sociāle = inter sociōs
[annō 91 a. C.]
sescentēsimus -a -um = DC (600.)
quīnquāgēsimus nōnus = ūn-dē-sexāgēsimus

annīs (*abl*) : annōs
numerōsus -a -um = frequēns, *pl* multī
ob-oedīre (< -audīre) = pārēre
asserere = arrogāre

P. Rutilius *Lupus*: cōs. annō 90 a. C.
L. Porcius Catō: cōs. annō 89 a. C.

Cn. Pompēius *Strabō* (-ōnis): cōs. annō 89 a. C. (pater Cn. Pompēiī Magnī)

Bellum sociāle

3 Sex. Iūliō Caesare et L. Mārciō Philippō cōnsulibus sescentēsimō quīnquāgēsimō nōnō annō ab urbe conditā, cum prope alia omnia bella cessārent, in Italiā gravissimum bellum Pīcentēs, Mārsī Paelignīque mōvērunt, quī, cum annīs numerōsīs iam populō Rōmānō oboedīrent, tum lībertātem sibi aequam asserere coepērunt. Perniciōsum admodum hoc bellum fuit. P. Rutilius cōnsul in eō occīsus est, Caepiō, nōbilis iuvenis, Porcius Catō, alius cōnsul. Ducēs autem adversus Rōmānōs Pīcentibus et Mārsīs fuērunt T. Vettius, Hierius Asinius, T. Herennius, A. Cluentius. Ā Rōmānīs bene contrā eōs pugnātum est ā C. Mariō, quī sexiēs cōnsul fuerat, et ā Cn. Pompēiō, māximē tamen ā L. Cornēliō

Sullā, quī inter alia ēgregia ita Cluentium, hostium ducem, cum magnīs cōpiīs fūdit ut ex suīs ūnum āmitteret! Quadrienniō cum gravī tamen calamitāte hoc bellum tractum est. Quīntō dēmum annō fīnem accēpit per L. Cornēlium Sullam cōnsulem, cum anteā in eōdem bellō ipse multa strēnuē, sed praetor, ēgisset.

quadrienni*ō* (*abl*) = quadrienni*um* (*acc temporis*)

Bellum Mithridāticum prīmum

Mithridāticus -a -um < Mithridātēs -is *m* (*acc* -ēn): rēx Pontī

[annō 88 a. C.]

4 Annō urbis conditae sescentēsimō sexāgēsimō secundō prīmum Rōmae bellum cīvīle commōtum est, eōdem annō etiam Mithridāticum. Causam bellō cīvīlī C. Marius sexiēs cōnsul dedit. Nam cum Sulla cōnsul contrā Mithridātēn gestūrus bellum, quī Asiam et Achāiam occupāverat, mitterētur, isque exercitum in Campāniā paulisper tenēret, ut bellī sociālis (dē quō dīximus), quod intrā Italiam gestum fuerat, reliquiae tollerentur, Marius affectāvit ut ipse ad bellum Mithridāticum mitterētur. Quā rē Sulla commōtus cum exercitū ad urbem vēnit. Illīc contrā Marium et Sulpicium dīmicāvit. Prīmus urbem Rōmam armātus ingressus est, Sulpicium interfēcit, Marium fugāvit, atque ita ōrdinātīs cōnsulibus in futūrum annum Cn. Octāviō et L. Cornēliō Cinnā, ad Asiam profectus est.

Asia: ōlim Pergamum, prōvincia Rōmāna post mortem rēgis Attalī

Achāia: Peloponnēsus et media Graecia, prōvincia Rōmāna post Corinthum dēlētam

P. Sulpicius *Rūfus*: tr. pl. annō 88 a.C.

ōrdināre = cōnstituere, īnstituere

5 Mithridātēs enim, quī Pontī rēx erat atque Armeniam minōrem et tōtum Ponticum mare in circuitū cum Bosporō tenēbat, prīmum Nīcomēdēn, amīcum populī Rōmānī, Bithyniā voluit expellere senātuīque mandāvit

Bosporus -ī *m*

Nīcomēdēs -is *m* (*acc* -ēn): rēx Bithyniae

mandāvit (+ *acc* + *īnf*) = nūntiāvit



passus *erat*

quod bellum ā Rōmānīs et ipse paterētur : bellum ā R. et ipsum passūrum esse

Ariobarzānēs -is *m* (*acc* -ēn): rēx Cappadociae

Pylaemenēs -is *m*: rēx Paphlagoniae

LXXX mīlia cīvium Rōmānōrum iussū Mithridātis trucīdāta esse dīcuntur

Aristō -ōnis *m*

Archelāus -ī *m*

'bellum sē eī propter iniūriās quās passus fuerat illātūrum.' Ā senātū respōnsum Mithridātī est 'sī id faceret, quod bellum ā Rōmānīs et ipse paterētur.' Quārē īrātus Cappadociam statim occupāvit et ex eā Ariobarzānēn, rēgem et amīcum populī Rōmānī, fugāvit. Mox etiam Bithȳniam invāsit et Paphlagoniam, pulsīs rēgibus amīcīs populī Rōmānī Pylaemene et Nīcomēde. Inde Ephesum contendit et per omnem Asiam litterās mīsit 'ut ubicumque inventī essent cīvēs Rōmānī ūnō diē occīderentur!'

Intereā etiam Athēnae, cīvitās Achāiae, ab Aristōne 6
Athēniēnsī Mithridātī trādita est. Mīserat enim iam ad Achāiam Mithridātēs Archelāum, ducem suum, cum

centum et vīgintī mīlibus equitum ac peditum, per quem etiam reliqua Graecia occupāta est.

Sulla Archelāum apud Pīraeum, nōn longē ab Athēnīs, obsēdit, ipsās Athēnās cēpit. Posteā, commissō proeliō contrā Archelāum, ita eum vīcit ut ex centum vīgintī mīlibus vix decem Archelāō superessent — ex Sullae exercitū trēdecim tantum hominēs interficerentur!

commissō proeliō: ad Chaerōnēam annō 86 a. C.

Hāc pugnā Mithridātēs cognitā septuāgintā mīlia lēctissima ex Asiā Archelāō mīsit, contrā quem iterum Sulla commīsit. Prīmō proeliō quīndecim mīlia hostium interfecta sunt et fīlius Archelāī Diogenēs; secundō omnēs Mithridātis cōpiae exstīnctae sunt, Archelāus ipse trīduō nūdus in palūdibus latuit. Hāc rē audītā Mithridātēs iussit cum Sullā dē pāce agī.

lēctissima : mīlitum lēctissimōrum

proelium commīsit

Diogenēs -is *m*

trīdu*ō* (*abl*) = trīdu*um* (*acc temporis*)

7 Interim eō tempore Sulla etiam Dardanōs, Scordiscōs, Dalmatās et Maedōs partim vīcit, aliōs in fidem accēpit. Sed cum lēgātī ā rēge Mithridāte quī pācem petēbant vēnissent 'nōn aliter sē datūrum' Sulla 'esse' respondit, 'nisi rēx, relictīs iīs quae occupāverat, ad rēgnum suum redīsset.' Posteā tamen ad colloquium ambō vēnērunt. Pāx inter eōs ōrdināta est, ut Sulla ad bellum cīvīle festīnāns ā tergō perīculum nōn habēret.

Dardanī, Scordiscī, Dalmatae Illyricum, Maedī Thrāciam incolunt

sē *pācem* datūrum esse

-*ī*sset = -*ii*sset

Bellum cīvīle

Nam dum Sulla in Achāiā atque Asiā Mithridātēn vincit, Marius, quī fugātus erat, et Cornēlius Cinna,

ūnus : alter
[annō 87 a. C.]

prō-scrībere = exsulem facere nōmen in tabulā pūblicā scrībendō
ē-vertere = prōsternere, dīruere
(annō 86 a. C. Marius cōs. VII mortuus est)

ūnus ex cōnsulibus, bellum in Italiā reparāvērunt, et ingressī urbem Rōmam nōbilissimōs ē senātū et cōnsulārēs virōs interfēcērunt, multōs prōscrīpsērunt, ipsīus Sullae domō ēversā fīliōs et uxōrem ad fugam compulērunt.

C. Norbānus, *L. Cornēlius* Scīpiō *Asiāticus*: cōss. annō 83 a. C.

eius : Norbānī mīlitum

Ūniversus reliquus senātus ex urbe fugiēns ad Sullam in Graeciam vēnit ōrāns ut patriae subvenīret. Ille in Italiam trāiēcit bellum cīvīle gestūrus adversus Norbānum et Scīpiōnem cōnsulēs. Et prīmō proeliō contrā Norbānum dīmicāvit nōn longē ā Capuā. Tunc sex mīlia eius cecīdit, sex mīlia cēpit, centum vīgintī quattuor suōs āmīsit. Inde etiam ad Scīpiōnem sē convertit, et ante proelium tōtum eius exercitum sine sanguine in dēditiōnem accēpit.

[annō 82 a. C.]
Cn. Papīrius Carbō: cōs. annō 85, 84, 82 a. C.

dē suīs : ē suīs

Praeneste -is *n*
compellere = cōgere

Carīnās -ātis *m*
pars/partēs = factiō
Mariānus -a -um < Marius
porta Collīna suprā collem Quirīnālem sita est
īn-satiābilis -e = quī numquam satis habet

8 Sed cum Rōmae mūtātī cōnsulēs essent et Marius, Mariī fīlius, ac Papīrius Carbō cōnsulātum accēpissent, Sulla contrā Marium iūniōrem dīmicāvit et quīndecim mīlibus eius occīsīs quadringentōs dē suīs perdidit. Mox etiam urbem ingressus est. Marium, Mariī fīlium, Praeneste persecūtus obsēdit et ad mortem compulit. Rūrsus pugnam gravissimam habuit contrā Lampōnium et Carīnātem, ducēs partis Mariānae, ad portam Collīnam. Septuāgintā mīlia hostium in eō proeliō contrā Sullam fuisse dīcuntur. Duodecim mīlia sē Sullae dēdidērunt, cēterī in aciē, in castrīs, in fugā īnsatiābilī īrā victōrum cōnsūmptī sunt. Cn. quoque Carbō, cōnsul alter, ab Arīminō ad Siciliam fūgit et ibi per Cn.

Pompēium interfectus est, quem adulēscentem Sulla atque annōs ūnum et vīgintī nātum, cognitā eius industriā, exercitibus praefēcerat, ut secundus ā Sullā habērētur.

Cn. Pompēium: eum quī posteā 'Magnus' appellātus est

9 Occīsō ergō Carbōne, Siciliam Pompēius recēpit. Trānsgressus inde ad Āfricam Domitium, Mariānae partis ducem, et Hiarbam, rēgem Maurētāniae, quī Domitiō auxilium ferēbat, occīdit.

(Intereā L. Mūrēna lēgātus, quem Sulla in Asiā relīquerat cum II legiōnibus, bellum renovāvit (*bellum Mithridāticum II*), sed ā Sullā revocātus est)
Hiarbās -ae *m*

Post haec Sulla dē Mithridāte ingentī glōriā triumphāvit. Cn. etiam Pompēius, quod nūllī Rōmānōrum tribūtum erat, quārtum et vīcēsimum annum agēns dē Āfricā triumphāvit.

XXIV annum agēns = XXIV annōs nātus

Hunc fīnem habuērunt duo bella fūnestissima, Italicum, quod et 'sociāle' dictum est, et cīvīle, quae ambō tracta sunt per annōs decem. Cōnsūmpsērunt ultrā centum quīnquāgintā mīlia hominum, virōs cōnsulārēs quattuor et vīgintī, praetōriōs septem, aedīliciōs sexāgintā, senātōrēs ferē ducentōs.

ultrā CL mīlia = suprā CL mīlia
aedīlicius -ī *m* = quī aedīlis fuit

VI *Sertōrius*

1 M. Aemiliō Lepidō Q. Catulō cōnsulibus, cum Sulla rem pūblicam composuisset, bella nova exārsērunt: ūnum in Hispāniā, aliud in Pamphȳliā et Ciliciā, tertium in Macedoniā.

[annō 78 a. C.]
compōnere = cōnstituere, ōrdināre
Pamphȳlia, Cilicia -ae *f*: regiōnēs Asiae

Nam Sertōrius, quī partium Mariānārum fuerat, timēns fortūnam cēterōrum quī interēmptī erant, ad bellum commōvit Hispāniās. Missī sunt contrā eum ducēs

Hispāniae: Hispānia citerior et ulterior et Lūsītānia

Q. Caecilius Metellus *Pius* (cōs. annō 80 a. C.)

successus -ūs *m* = bonus ēventus, fortūna

(Sertōrius etiam cum Mithridāte societātem fēcit)

per suōs = ā suīs
[annō 72 a. C.]

Ap. Claudius *Pulcher*: cōs. annō 79 a. C.

Rhodopa -ae *f*: mōns inter Thrāciam et Macedoniam

C. Scrībōnius Curiō (-ōnis): cōs. annō 76 a. C.

P. Servīlius: cōs. annō 79 a. C.

ex cōnsule = post cōnsulātum

Isaurī -ōrum *m*: incolae Isauriae (regiōnis Asiae)

Q. Caecilius Metellus, fīlius eius quī Iugurtham rēgem vīcit, et L. Domitius praetor. Ā Sertōriī duce Hirtulēiō Domitius occīsus est. Metellus variō successū contrā Sertōrium dīmicāvit. Posteā, cum impār pugnae sōlus Metellus putārētur, Cn. Pompēius ad Hispāniās missus est. Ita duōbus ducibus adversīs Sertōrius fortūnā variā saepe pugnāvit. Octāvō dēmum annō per suōs occīsus est, et fīnis eī bellō datus per Cn. Pompēium adulēscentem et Q. Metellum Pium, atque omnēs prope Hispāniae in diciōnem populī Rōmānī redāctae.

2 Ad Macedoniam missus est Ap. Claudius post cōnsulātum. Levia proelia habuit contrā variās gentēs quae Rhodopam prōvinciam incolēbant, atque ibi morbō mortuus est. Missus eī successor C. Scrībōnius Curiō post cōnsulātum. Is Dardanōs vīcit et ūsque ad Dānuvium penetrāvit triumphumque meruit et intrā triennium bellō fīnem dedit.

3 Ad Ciliciam et Pamphȳliam missus est P. Servīlius ex cōnsule, vir strēnuus. Is Ciliciam subēgit, Lyciae urbēs clārissimās oppugnāvit et cēpit. Isaurōs quoque aggressus in diciōnem redēgit, atque intrā triennium bellō fīnem dedit. Prīmus omnium Rōmānōrum in Taurō iter fēcit. Revertēns triumphum accēpit et nōmen 'Isauricī' meruit.

5 Ita ūnō tempore multī simul triumphī fuērunt: Metellī ex Hispāniā, Pompēiī secundus ex Hispāniā, Curiōnis ex Macedoniā, Servīliī ex Isauriā.

Bellum Mithridāticum tertium

6 Annō urbis conditae sescentēsimō septuāgēsimō sextō, L. Liciniō Lūcullō et M. Aurēliō Cottā cōnsulibus, mortuus est Nīcomēdēs, rēx Bithȳniae, et per testāmentum populum Rōmānum fēcit hērēdem. Mithridātēs pāce ruptā Bithȳniam et Asiam rūrsus voluit invādere. Adversus eum ambō cōnsulēs missī variam habuēre fortūnam: Cotta apud Calchēdona victus ab eō aciē etiam intrā oppidum coāctus est et obsessus; sed cum sē inde Mithridātēs Cyzicum trānstulisset, ut Cyzicō captā totam Asiam invāderet, Lūcullus eī, alter cōnsul, occurrit. Ac dum Mithridātēs in obsidiōne Cyzicī commorātur, ipse eum ā tergō obsēdit fameque cōnsūmpsit et multīs proeliīs vīcit, postrēmō Bȳzantium, quae nunc Cōnstantīnopolis est, fugāvit. Nāvālī quoque proeliō ducēs eius Lūcullus oppressit. Ita ūnā hieme et aestāte ā Lūcullō centum ferē mīlia rēgis exstīncta sunt.

[annō 74 a. C.]

Calchēdōn -onis *f* (*acc* -ona)
sē trānsferre = sē cōnferre
Cyzicus -ī *f*
com-morārī = morārī
Bȳzantium -ī *n*
Cōnstantīnopolis -is *f*: urbs in sitū Bȳzantiī cōnstitūta et nōmināta ab imperātōre Rōmānō Cōnstantīnō annō 330 p. C.

7 Annō urbis Rōmae sescentēsimō septuāgēsimō octāvō Macedoniam prōvinciam M. Licinius Lūcullus accēpit, frāter Lūcullī quī contrā Mithridātēn bellum gerēbat. Et in Italiā novum bellum subitō commōtum est. Septuāgintā enim et quattuor gladiātōrēs, ducibus Spartacō, Crixō et Oenomaō, effrāctō Capuae lūdō fūgērunt et per Italiam vagantēs paene nōn levius bellum in eā quam Hannibal mōverat parāvērunt; nam multīs ducibus et duōbus simul Rōmānōrum cōnsulibus victīs, sexāgintā ferē mīlium armātōrum exercitum congregāvē-

septuāgēsimus octāvus = duo-dē-octōgēsimus
M. Licinius Lūcullus prōcōs. (cōs. annō 73 a. C.)
Bellum servīle (annīs 71–73 a. C.)
lūdus (gladiātōrius) = lūdus in quō gladiātōrēs armīs exercentur
con-gregāre = in gregem cōgere, colligere

M. Licinius Crassus: cōs. annō 70 a. C.

fīnem impōnere = fīnem facere

[annō 71 a. C.]

Orestēs -is *m*

Cyzicēnus -a -um < Cyzicus

Sinōpē -ēs *f* (*acc* -ēn)
Amīsus -ī *f*
Cabīra -ōrum *n*

(exercitum) vāstāre = dēlēre
dī-ripere -ripuisse -reptum
eīdem *Mithridātī*

Tigrānēs -is *m*

Mespotamia -ae *f*: regiō Asiae (inter flūmina *Euphrātem* et *Tigrim*)

Armeni(ac)us -a -um < Armenia
clībanārius -ī *m* = eques graviter armātus
sagittārius -ī *m* = mīles quī arcum et sagittās gerit

runt; victīque sunt in Āpūliā ā M. Liciniō Crassō prōcōnsule, et post multās calamitātēs Italiae tertiō annō bellō huic est fīnis impositus.

Sescentēsimō octōgēsimō prīmō annō urbis conditae, 8
P. Cornēliō Lentulō et Cn. Aufidiō Oreste cōnsulibus, duo tantum gravia bella in imperiō Rōmānō erant: Mithridāticum et Macedonicum. Haec duo Lūcullī agēbant, L. Lūcullus et M. Lūcullus. L. ergō Lūcullus post pugnam Cyzicēnam, quā vīcerat Mithridātēn, et nāvālem, quā ducēs eius oppresserat, persecūtus est eum et — receptā Paphlagoniā atque Bithȳniā — etiam rēgnum eius invāsit, Sinōpēn et Amīsum, cīvitātēs Pontī nōbilissimās, cēpit. Secundō proeliō apud Cabīra cīvitātem, quō ingentēs cōpiās ex omnī rēgnō addūxerat Mithridātēs, cum trīgintā mīlia lēctissima rēgis ā quīnque mīlibus Rōmānōrum vāstāta essent, Mithridātēs fugātus est, castra eius dīrepta. Armenia quoque minor, quam tenuerat, eīdem sublāta est. Susceptus tamen est Mithridātēs post fugam ā Tigrāne, Armeniae rēge, quī tum ingentī glōriā imperābat, Persās saepe vīcerat, Mesopotamiam occupāverat et Syriam et Phoenīcēs partem.

Ergō Lūcullus repetēns hostem fugātum etiam rēg- 9
num Tigrānis ingressus est. Tigrānocertam, cīvitātem nōbilissimam rēgnī Armeniacī, cēpit, ipsum rēgem cum septem mīlibus quīngentīs clībanāriīs et centum mīlibus sagittāriōrum et armātōrum venientem decem et octō mīlia mīlitum habēns ita vīcit, ut magnam partem Ar-

meniōrum dēlēverit. Inde Nisibin profectus eam quoque cīvitātem cum rēgis frātre cēpit.

Armeniī -ōrum *m*: incolae Armeniae
Nisibis -is *f* (*acc* -in, *abl* -ī): cīvitās Mesopotamiae

Sed iī quōs in Pontō Lūcullus relīquerat cum exercitūs parte, ut regiōnēs victās et iam Rōmānōrum tuērentur, neglegenter sē et avārē agentēs occāsiōnem iterum Mithridātī in Pontum irrumpendī dedērunt, atque ita bellum renovātum est. Lūcullō parantī—captā Nisibī—contrā Persās expedītiōnem successor est missus.

sē agere = agere, sē praebēre
(Lūcullī mīlitēs sēditiōnem fēcērunt)
successor: *M'. Acīlius Glabriō* (-ōnis) cōs.

10 Alter autem Lūcullus, quī Macedoniam administrābat, Bessīs prīmus Rōmānōrum intulit bellum atque eōs ingentī proeliō in Haemō monte superāvit. Oppidum Uscudamam, quod Bessī habitābant, eōdem diē quō aggressus est vīcit, Cabylēn cēpit, ūsque ad Dānuvium penetrāvit. Inde multās suprā Pontum positās cīvitātēs aggressus est, bellōque cōnfectō Rōmam rediit. Ambō triumphāvērunt, tamen Lūcullus, quī contrā Mithridātēn pugnāverat, māiōre glōriā, cum tantōrum rēgnōrum victor redīsset.

Bessī -ōrum *m*: gēns Thrāciae
Haemus -ī *m*: mōns Thrāciae
Cabylē -ēs *f* (*acc* -ēn): cīvitās Thrāciae

11 Cōnfectō bellō Macedonicō, manente Mithridāticō, quod recēdente Lūcullō rēx collēctīs auxiliīs reparāverat, bellum Crēticum ortum est. Ad id missus Q. Caecilius Metellus ingentibus proeliīs intrā triennium omnem prōvinciam cēpit appellātusque est 'Crēticus' atque ex īnsulā triumphāvit.

Crēticus -a -um < Crēta
triennium: annōs 68–66 a. C.

12 Dum haec geruntur, pīrātae omnia maria īnfēstābant ita ut Rōmānīs tōtō orbe victōribus sōla nāvigātiō tūta nōn esset. Quārē id bellum Cn. Pompēiō dēcrētum est;

īnfēstāre = īnfēstum facere

celeritās -ātis *f* < celer

quod intrā paucōs mēnsēs ingentī et fēlīcitāte et celeritāte cōnfēcit.

pīrāticus -a -um < pīrāta

praesertim = praecipuē, māximē

lēx Mānīlia dē imperiō Cn. Pompēiī

[*Bellō pīrāticō cōnfectō, C. Mānīlius tr. pl. lēgem tulit, ut Pompēiō etiam Mithridāticum bellum mandārētur, praesertim cum imperātor ille ēgregius cum exercitū in Ciliciā esset. Hanc lēgem clārissimā ōrātiōne suāsit M. Tullius Cicerō praetor.*]



M. TVLLIVS CICERO

liber scrīptus est annō 46 a. C. ad M. Iūnium Brūtum

disertus -a -um = ēloquēns

Arpīnum -ī *n*

[annō 106 a. C.]

a. d. III nōn. Iān. = diē III mēnsis Iānuāriī

locuplēs -ētis = dīves

[*Ex M. Tulliī Cicerōnis 'Brūtō' sīve 'Dē clārīs ōrātōribus'*]

[*Ōrātor omnium quī Rōmae fuērunt disertissimus M. Tullius Cicerō Arpīnī in oppidō Latiī nātus est Q. Servīliō Caepiōne C. Atīliō Serrānō cōnsulibus ante diem* III *nōnās Iānuāriās. Aliquot annīs post pater Cicerōnis, eques locuplēs, Rōmam migrāvit, ut fīliōs Mārcum et Quīntum optimīs magistrīs docendōs trāderet.*

toga virīlis/pūra = toga alba sine purpurā quam Rōmānus pūbēs sūmit positā togā praetextā

īnstituere = docēre

Sūmptā togā virīlī, Mārcus in forum dēductus est ad Q. Mūcium Scaevolam, iūris perītum, ut ab sene illō doctissimō iūre cīvīlī īnstituerētur. In forō Rōmānō Cicerō adulēs-

cēns M. Antōnium et Q. Hortēnsium, quī tum arte ōrātōriā excellēbant, assiduē audiēbat, ac simul apud doctōrēs Graecōs, Molōnem rhētorem et Diodotum philosophum, discēbat. Hīs ēgregiīs magistrīs in ēloquentiā exercitātus XXVI annōs nātus in forō causās agere coepit. Annō post, cum iam multārum causārum patrōnus fuisset, Sex. Rōscium parricīdiī reum clārissimā ōrātiōne dēfendit, eōque patrōciniō māximam laudem meruit.

Sed ōrātor adulēscēns, cum ōrātiōnis genere ferventī ac vehementī ūterētur, adeō in dīcendō omnēs nervōs contendēbat ut brevī vōx vīrēsque eum dēficerent; ergō aliquamdiū dē forō dēcēdere atque in Graeciam Asiamque proficīscī cōnstituit, ut vōcem remitteret atque ōrātiōnī abundantī moderārētur.

In librō quem Caesare dictātōre scrīpsit ad M. Brūtum 'Dē clārīs ōrātōribus', Cicerō inter alia haec dē doctrīnā suā iuvenīlī nārrat:]

308 At vērō ego hōc tempore omnī noctēs et diēs in om-
309 nium doctrīnārum meditātiōne versābar. Eram cum
Stōicō Diodotō, quī cum habitāvisset apud mē mēcum-
que vīxisset, nūper est domī meae mortuus. Huic ego
doctōrī et eius artibus variīs atque multīs ita eram tamen
dēditus ut ab exercitātiōnibus ōrātōriīs nūllus diēs va-
310 cuus esset. Commentābar 'dēclāmitāns' (sīc enim nunc
loquuntur), idque faciēbam multum etiam Latīnē, sed
Graecē saepius, vel quod Graeca ōrātiō plūra ōrnāmenta
suppeditāns cōnsuētūdinem similiter Latīnē dīcendī af-

M. Antōnius: cōs. annō 99 a.C.
excellere = praestāre
Molō -ōnis *m*
rhētor -oris *m* = magister dīcendī
ēloquentia -ae *f* = ars ōrātōria
exercitāre = exercēre
causam agere = reum in iūdiciō dēfendere
patrōnus -ī *m* = dēfēnsor
[annō 80 a. C.]
patrōcinium -ī *n* = officium patrōnī
fervēns -entis = ārdēns
nervōs contendere = omnibus vīribus labōrāre, ēnītī
remittere ↔ contendere
abundāre = superfundī
moderārī (+ *dat*) = temperāre
doctrīna -ae *f* (< doctor) = quod docētur
iuvenīlis -e = iuvenālis
hōc tempore: annīs 86–84 a. C.
meditātiō -ōnis *f* (< meditārī) = cōgitātiō
Stōicus -ī *m*: philosophus discipulus Zēnōnis
exercitātiō -ōnis *f* < exercitāre
com-mentārī = mente praeparāre, meditārī
dē-clām(it)āre = exercendī causā ōrātiōnēs fictās habēre
suppeditāre = offerre (rem ūtilem)

ferēbat, vel quod ā Graecīs summīs doctōribus, nisi Graecē dīcerem, neque corrigī possem neque docērī.

nōs : ego

Tum prīmum nōs ad causās et prīvātās et pūblicās 311
adīre coepimus, nōn ut in forō discerēmus (quod plērīque fēcērunt), sed ut — quantum nōs efficere potuissēmus — doctī in forum venīrēmus. Eōdem tempore Mo- 312
lōnī dedimus operam; dictātōre enim Sullā lēgātus ad senātum dē Rhodiōrum praemiīs vēnerat.

magistrō operam dare: m.um attentē audīre
Rhodiī praemia postulābant quia Mithridātī restiterant

Itaque prīma causa pūblica prō Sex. Rōsciō dicta tantum commendātiōnis habuit ut nōn ūlla esset quae nōn digna nostrō patrōciniō vidērētur. Deinceps inde multae, quās nōs dīligenter ēlabōrātās et tamquam ēlūcubrātās afferēbāmus.

commendātiō -ōnis *f* = verba probantia, laus
multae *causae*
ē-labōrāre = magnō labōre perficere
ē-lūcubrāre = nocte ēlabōrāre

Nunc quoniam tōtum mē vidēris velle cognōscere, 313
complectar nōnnūlla etiam quae fortasse videantur minus necessāria:

complectī : nōn praetermittere

Erat eō tempore in nōbīs summa gracilitās et īnfīrmitās corporis, prōcērum et tenue collum; quī habitus et quae figūra nōn procul abesse putātur ā vītae perīculō, sī accēdit labor et laterum magna contentiō. Eōque magis hoc eōs quibus eram cārus commovēbat, quod omnia sine remissiōne, sine varietāte, vī summā vōcis et tōtīus corporis contentiōne dīcēbam.

in nōbīs : in mē
gracilitās/īnfīrmitās -ātis *f* < gracilis/īnfīrmus
prōcērus -a -um = altus et longus
figūra -ae *f* = fōrma
latera : corpus
contentiō -ōnis *f* < contendere
remissiō -ōnis *f* < remittere (↔ contentiō)
varietās -ātis *f* < varius

Itaque cum mē et amīcī et medicī hortārentur ut 314
causās agere dēsisterem, quodvīs potius perīculum mihi adeundum quam ā spērātā dīcendī glōriā discēdendum putāvī. Sed cum cēnsērem remissiōne et moderātiōne

cum ... hortārentur : etsī ... hortābantur
moderātiō -ōnis *f* < moderārī

vōcis et commūtātō genere dīcendī mē et perīculum vītāre posse et temperātius dīcere, ut cōnsuētūdinem dīcendī mūtārem, ea causa mihi in Asiam proficīscendī fuit. Itaque cum essem biennium versātus in causīs et iam in forō celebrātum meum nōmen esset, Rōmā sum profectus.

315 Cum vēnissem Athēnās, sex mēnsēs cum Antiochō, veteris Acadēmīae nōbilissimō et prūdentissimō philosophō, fuī studiumque philosophiae numquam intermissum ā prīmāque adulēscentiā cultum et semper auctum hōc rūrsus summō auctōre et doctōre renovāvī. Eōdem tamen tempore Athēnīs apud Dēmētrium Syrum, veterem et nōn ignōbilem dīcendī magistrum, studiōsē exercērī solēbam.

Post ā mē Asia tōta peragrāta est dum summīs studeō ōrātōribus, quibuscum exercēbar ipsīs libentibus; quōrum erat prīnceps Menippus Stratonīcēnsis, meō iūdi-
316 ciō tōtā Asiā illīs temporibus disertissimus. Assiduissimē autem mēcum fuit Dionȳsius Magnēs; erat etiam Aeschylus Cnidius, Adramyttēnus Xenoclēs. Hī tum in Asiā rhētorum prīncipēs numerābantur.

Quibus nōn contentus Rhodum vēnī mēque ad eundem quem Rōmae audīveram Molōnem applicāvī, cum āctōrem in vērīs causīs scrīptōremque praestantem, tum in notandīs animadvertendīsque vitiīs et in īnstituendō docendōque prūdentissimum. Is dedit operam (sī modo id cōnsequī potuit) ut nimis redundantēs nōs et suprā

com-mūtāre = mūtare

temperātus -a -um = moderātus, placidus

biennium -ī *n* = duo annī
in causīs versārī : causās agere
celebrātus -a -um = celeber, illūstris

[annō 79 a. C.]

Acadēmīa -ae *f*: philosophōrum disciplīna ā Platōne īnstitūta

Syrus -ī *m*: incola Syriae, ex Syriā

Stratonīcēnsis -is *m* < Stratonīcēa, cīvitās Asiae
meō iūdiciō = meā sententiā
Magnēs -ētis, Cnidius -ī, Adramyttēnus -ī *m* < Magnēsia, Cnidos (-ī *f*), Adramyttium, cīvitātēs Asiae
Xenoclēs -is *m*

sē ap-plicāre = sē adiungere
āctor -ōris *m* = quī (causās) agit
praestāns = excellēns
notāre ↔ probāre

cōnsequī = adipīscī
redundāre = abundāre

fluentēs iuvenīlī quādam dīcendī impūnitāte et licentiā reprimeret et quasi extrā rīpās diffluentēs coercēret.

Ita recēpī mē bienniō post nōn modo exercitātior, sed prope mūtātus. Nam et contentiō nimia vōcis resēderat et quasi dēferverat ōrātiō, lateribusque vīrēs et corporī mediocris habitus accesserat.

317 Duo tum excellēbant ōrātōrēs, quī mē imitandī cupiditāte incitārent, Cotta et Hortēnsius, quōrum alter remissus et lēnis, alter ōrnātus, ācer, et verbōrum et āctiōnis genere commōtior. Itaque cum Hortēnsiō mihi magis arbitrābar rem esse, quod et dīcendī ārdōre eram propior et aetāte coniūnctior.

318 Ūnum igitur annum, cum redīssēmus ex Asiā, causās nōbilēs ēgimus, cum quaestūram nōs, cōnsulātum Cotta, aedīlitātem peteret Hortēnsius. Interim mē quaestōrem Siciliēnsis excēpit annus, Cotta ex cōnsulātū est profectus in Galliam, prīnceps et erat et habēbātur Hortēnsius. Cum autem annō post ex Siciliā mē recēpissem, iam vidēbātur illud in mē (quicquid esset) esse perfectum et habēre mātūritātem quandam suam.

Nimis multa videor dē mē, ipse praesertim; sed omnī huic sermōnī prōpositum est, nōn ut ingenium et ēloquentiam meam perspiciās (unde longē absum!), sed ut labōrem et industriam. Cum igitur essem in plūrimīs 319
causīs et in prīncipibus patrōnīs quīnquennium ferē versātus, tum in patrōciniō Siciliēnsī māximum in

impūnitās -ātis *f* (< impūne) = licentia
re-primere < -premere
dif-fluere = passim fluere

re-sīdere -sēdisse = sēdārī, cessāre
dē-fervēscere -visse = fervēre dēsinere, minus fervēns fierī

C. Aurēlius Cotta (cōs. annō 75 a.C.)
lēnis -e = mollis, placidus, mītis
āctiō = mōtus corporis in dīcendō
mihi rēs est cum eō: mihi negōtium est cum eō

annum: 76 a. C.

quaestūra -ae *f* = magistrātus quaestōris

Siciliēnsis annus: Cicerō Lilybaeī in Siciliā quaestor fuit annō 75 a.C.

illud: ingenium ōrātōrium
quic-quid = quid-quid
perfectus -a -um = quī melior fierī nōn potest
mātūritās -ātis *f* < mātūrus
: nimis multa videor dē mē *dīcere*
prōpositum est = cōnsilium est
per-spicere = plānē vidēre

Cicerō, Siculōrum patrōnus, C. Verrem accūsāvit, quī prōpraetor Siciliam dīripuerat et ab Hortēnsiō dēfēnsus est (annō 70 a. C.)

certāmen vēnī dēsignātus aedīlis cum dēsignātō cōnsule Hortēnsiō...

321 Nōs autem nōn dēsistēbāmus cum omnī genere exercitātiōnis, tum māximē stilō nostrum illud quod erat augēre, quantumcumque erat. Atque — ut multa omittam — in hōc spatiō et in hīs post aedīlitātem annīs et praetor prīmus et incrēdibilī populī voluntāte cōnsul sum factus. Nam cum propter assiduitātem in causīs et industriam, tum propter exquīsītius et minimē vulgāre ōrātiōnis genus animōs hominum ad mē dīcendī novitāte converteram.

(cōnsul) dēsignātus = creātus quī nōndum magistrātum iniit
Q. Hortēnsius: cōs. annō 69 a. C.
stilō : scrībendō
quantus -a -um-cumque
hōc spatiō (temporis) = hīs annīs
praetor prīmus : ex octō praetōribus
assiduitās -ātis *f* < assiduus
exquīsītus -a -um = accūrātus
vulgāris -e = quī vulgō fit

CVRSVS HONORVM

honōs = magistrātus

Magistrātūs		*annō aetātis*	*Cicerō annō a. C.*
quaestor	quaestūra	XXX	75 a. C.
aedīlis	aedīlitās	XXXVI	69 a. C.
praetor	praetūra	XXXIX	66 a. C.
cōnsul	cōnsulātus	XLII	63 a. C.
(cēnsor)	(cēnsūra)		

praetūra -ae *f* = magistrātus praetōris
cēnsūra -ae *f* = magistrātus cēnsōris

GRAMMATICA LATINA

Dē vocābulīs faciendīs

(B) *Adiectīva ē nōminibus*

Nōmina adiectīva fiunt hīs suffīxis: *-ōsus, -ālis, -āris, -ārius, -īlis, -icus, -ius, -eus, -ātus, -ānus, -īnus, -ēnsis.*

Exempla:

(1) *-ōsus -a -um:* pretiōsus < preti|um;
(2) *-ālis -e:* nāvālis < nāv|is;
(3) *-āris -e:* mīlitāris < mīles -it|is;

(4) *-ārius -a -um:* agr*ārius* < ager agr|ī;
(5) *-īlis -e:* host*īlis* < host|is;
(6) *-icus -a -um:* bell*icus* < bell|um;
(7) *-ius -a -um:* ōrātōr*ius* < ōrātor -ōr|is;
(8) *-eus -a -um:* aur*eus* < aur|um;
(9) *-ātus -a -um:* tog*ātus* < tog|a;
(10) *-ānus -a -um:* Rōm*ānus* < Rōm|a;
(11) *-īnus -a -um:* dīv*īnus* < dīv|us; Capitōl*īnus* < Capitōli|um (sine -i|);
(12) *-(i)ēnsis -e:* Ōst*iēnsis* < Ōsti|a; Athēn*iēnsis* < Athēn|ae.

vīs (vocābulī) = significātiō

in-/im- adiectīvō praepositum vim negandī habet: *in*dignus, *im*pius, *im*mātūrus, *in*imīcus (< -amīcus); item *dis-/dif-: dis*similis, *dif*ficilis (< -facilis). Praepositō *per-* adiectīvī vīs augētur: *per*magnus, *per*angustus (= valdē magnus/angustus).

PENSVM A

Supplenda sunt nōmina adiectīva:

(1) fōrma > —; pecūnia > —; perīculum > —; glōria > —; ōtium > —; iocus > —; studium > —; perniciēs > —; flāgitium > —; numerus > —;
(2) mors > —; rēx > —; hospes > —; nātūra > —; triumphus > —; Vesta > —;
(3) cōnsul > —; salūs > —; vulgus > —; singulī > —;
(4) legiō > —; frūmentum > —; necesse > —;
(5) puer > —; servus > —; cīvis > —; vir > —; iuvenis > —;
(6) nauta > —; modus > —; ūnus > —; poēta > —; pīrāta > —; Italia > —;
(7) pater > —; mercātor > —; gladiātor > —; rēx > —; uxor > —; praetor > —; noxa > —; Mārs > —;
(8) ferrum > —; argentum > —; aes > —; lignum > —; marmor > —; purpura > —; lapis > —; nix > —;
(9) gemma > —; arma > —; aurum > —; ferrum > —; āla > —; aes > —; rōstra > —; venēnum > —; scelus > —; foedus > —; fortūna > —;

(10) urbs > —; Tūsculum > —; Trōia > —; Alba > —;
(11) vīcus > —; repēns > —; Tiberis > —; Latium > —;
(12) circus > —; Cannae > —; Carthāgō > —.

PENSVM B

Annō — ūndēquīnquāgēsimō [DCXLIX] a. u. c. Rōmānī ingentī — [= strāge] victī sunt ā Cimbrīs et Teutonibus, quōrum cōpia — [= sine fīne] erat. Bellum gestum cum sociīs, quī lībertātem sibi aequam — volēbant, bellum — dīcitur. Marius Rōmam ingressus multōs — et domum Sullae —. Spartacus — [< numerus] exercitum — [= collēgit] ac variō — cum Rōmānīs pugnāvit.

Cicerō adulēscēns ōrātōrēs — [= ēloquentēs] audiēbat neque ūllus diēs ab — ōrātōriīs vacuus erat. Cum multārum causārum — fuisset, Rōmā profectus est ut ōrātiōnī — [= ārdentī] —. Rhodī sē ad Molōnem — [= magistrum dīcendī] —. — [= II annīs] post revertit ōrātor mūtātus: nōn ācer et — [= redundāns], sed remissus et — [= placidus]. Duo ōrātōrēs tum —, Cotta et Hortēnsius. Post — Siciliēnsem — [= ars ōrātōria] Cicerōnis — esse vidēbātur. In 'Brūtō' Cicerō nārrat dē — suā iuvenīlī; sermōnī eius — est ut industriam et — [< assiduus] eius — [= plānē videāmus].

Synōnyma: cōgitātiō et —; laus et —; licentia et —; fōrma et —; dīves et —; iuvenālis et —; accūrātus et —; morārī et —; exercēre et —; ēlūcubrāre et nocte —; praecipuē et —.

Contrāria: vigor et — (corporis); remissiō et — .


PENSVM C

Quid ēgit Marius post bellum Iugurthīnum?
Unde Cimbrī et Teutonēs vēnērunt?
Quī imperātōrēs dē Cimbrīs triumphāvērunt?
Quamdiū bellum sociāle prōtractum est?
Quis bellō sociālī fīnem imposuit?
Quid Mithridātēs Ephesī imperāvit?
Cūr Sulla pācem cum Mithridāte fēcit?

Vocābula nova:
internicīō
aedīlicius
successus
clībanārius
sagittārius
celeritās
rhētor
ēloquentia
patrōnus
patrōcinium
doctrīna
meditātiō
exercitātiō
commendātiō
gracilitās
īnfirmitās
figūra
contentiō
remissiō
varietās
moderātiō
biennium
āctor
impūnitās
quaestūra
mātūritās
prōpositum
assiduitās
praetūra
cēnsūra
īnfīnītus
sociālis
numerōsus
īnsatiābilis
pīrāticus
disertus
locuplēs
fervēns
iuvenīlis
prōcērus
celebrātus
exercitātus
lēnis
ōrnātus
commōtus
perfectus
exquīsītus
vulgāris
sescentēsimus

reportāre
oboedīre
asserere
prōscrībere
ēvertere
commorārī
congregāre
excellere
exercitāre
abundāre
moderārī
commentārī
dēclāmitāre
suppeditāre
ēlabōrāre
ēlūcubrāre
commūtāre
applicāre
redundāre
reprimere
diffluere
resīdere
dēfervēscere
perspicere
quīntō
praesertim
quantuscumque

Quid Sullā absente factum est Rōmae?
Ubi Sulla Mariānōs vīcit?
Quae nova bella exārsērunt cum Sulla rem pūblicam composuisset?
Quid Nīcomēde mortuō factum est in Asiā?
Unde ortum est bellum servīle?
Quās cīvitātēs Lūcullus expugnāvit?
Ad quem Mithridātēs victus cōnfūgit?
Cūr Mithridātēs bellum renovāvit?
Num Lūcullus cum Mithridāte dēbellāvit?
Quōmodo Metellus cognōmen 'Crēticī' adeptus est?
Cui bellum pīrāticum mandātum est?
Quis lēgem Mānīliam suāsit?
Quandō nātus est M. Tullius Cicerō?
Quibus magistrīs Cicerō adulēscēns operam dabat?
Quandō Cicerō causās agere coepit?
Quārē in Graeciam et Asiam profectus est?
Ubi Cicerō quaestūram gessit?



Cn. Pompēius Magnus

CN. POMPEIVS MAGNVS

[*Ex M. Tulliī Cicerōnis ōrātiōne Dē imperiō Cn. Pompēiī*]

Quirītēs! …

4 Bellum grave et perīculōsum vestrīs vectīgālibus ac
sociīs ā duōbus potentissimīs rēgibus īnfertur, Mithri-
dāte et Tigrāne, quōrum alter relictus, alter lacessītus
occāsiōnem sibi ad occupandam Asiam oblātam esse
arbitrātur. Equitibus Rōmānīs, honestissimīs virīs, af-
5 feruntur ex Asiā cotīdiē litterae: 'Bithȳniae (quae nunc
vestra prōvincia est) vīcōs exustōs esse complūrēs; rēg-
num Ariobarzānis (quod fīnitimum est vestrīs vectīgāli-
bus) tōtum esse in hostium potestāte; L. Lūcullum
magnīs rēbus gestīs ab eō bellō discēdere; huic quī suc-
cesserit nōn satis esse parātum ad tantum bellum admi-
nistrandum. Ūnum ab omnibus sociīs et cīvibus ad id

Quirītēs!…: exōrdium ōrātiōnis omissum
vectīgālis -e = quī vectīgālia pendit; v. ēs Rōmānōrum = quī Rōmānīs vectīgālia pendunt
relictus : nōn dēvictus
lacessere -īvisse -ītum = ad pugnam prōvocāre /incitāre

nunc : post mortem Nīcomēdis

rēgnum Ariobarzānis: Cappadociam

quī successerit: M'. Acīlius Glabriō

ūnum : Pompēium

ex-petere = petere

bellum imperātōrem dēposcī atque expetī, eundem hunc ūnum ab hostibus metuī, praetereā nēminem.'

6 Causa quae sit vidētis. Nunc quid agendum sit cōnsīderāte! Prīmum mihi vidētur dē genere bellī, deinde dē magnitūdine, tum dē imperātōre dēligendō esse dīcendum.

[*Dē genere bellī*]

: bellum est eius generis

agitur : in discrīmine est


macula

ōrnāmentum = quod ōrnat/illūstrat
subsidium = quod subsidiō/auxiliō est
requīrere = dēsīderāre

cōnsulere eī = cūram habēre dē eō; quibus cōnsulendum est ā vōbīs = quibus vōs cōnsulere oportet

Genus est eius bellī quod māximē vestrōs animōs excitāre atque īnflammāre ad persequendī studium dēbeat: in quō agitur populī Rōmānī glōria, quae vōbīs ā māiōribus cum magna in omnibus rēbus, tum summa in rē mīlitārī trādita est; agitur salūs sociōrum atque amīcōrum, prō quā multa māiōrēs vestrī magna et gravia bella gessērunt; aguntur certissima populī Rōmānī vectīgālia et māxima, quibus āmissīs et pācis ōrnāmenta et subsidia bellī requīrētis; aguntur bona multōrum cīvium, quibus est ā vōbīs et ipsōrum causā et reī pūblicae cōnsulendum.

macula -ae *f* = lābēs

īn-sīdere = haerēns fierī
in-veterāscere -āvisse = vetus fierī

significātiō < significāre = nōtum facere, nūntiāre

7 Et quoniam semper appetentēs glōriae praeter cēterās gentēs atque avidī laudis fuistis, dēlenda est vōbīs illa macula Mithridāticō bellō superiōre concepta quae penitus iam īnsēdit ac nimis inveterāvit in populī Rōmānī nōmine: quod is quī ūnō diē tōtā in Asiā, tot in cīvitātibus, ūnō nūntiō atque ūnā significātiōne litterārum omnēs cīvēs Rōmānōs necandōs trucīdandōsque cūrāvit, nōn modo adhūc poenam nūllam suō dignam scelere

suscēpit, sed ab illō tempore annum iam tertium et vīcēsimum rēgnat — et ita rēgnat ut sē nōn Pontī neque Cappadociae latebrīs occultāre velit, sed ēmergere ex patriō rēgnō atque in vestrīs vectīgālibus, hoc est in Asiae lūce, versārī!

latebra -ae *f* = locus ubi latet aliquis
ē-mergere = exīre (ex aquā), appārēre

8 Etenim adhūc ita nostrī cum illō rēge contendērunt imperātōrēs ut ab illō īnsignia victōriae, nōn victōriam reportārent. Triumphāvit L. Sulla, triumphāvit L. Mūrēna dē Mithridāte, duo fortissimī virī et summī imperātōrēs, sed ita triumphārunt ut ille pulsus superātusque rēgnāret. Vērum tamen illīs imperātōribus laus est tribuenda, quod ēgērunt, venia danda, quod relīquērunt, propterea quod ab eō bellō Sullam in Italiam rēs pūblica, Mūrēnam Sulla revocāvit.

nostrī imperātōrēs
L. *Licinius* Mūrēna [annō 81 a.C.]
-ārunt = -āvērunt
quod ēgērunt/relīquērunt : ob id quod ēgērunt/relīquērunt
propterea quod = quod

9 Mithridātēs autem omne reliquum tempus nōn ad oblīviōnem veteris bellī, sed ad comparātiōnem novī contulit. Quī posteā, cum māximās aedificāsset ōrnāssetque classēs exercitūsque permagnōs quibuscumque ex gentibus potuisset comparāsset et sē Bosporānīs, fīnitimīs suīs, bellum īnferre simulāret, ūsque in Hispāniam lēgātōs ac litterās mīsit ad eōs ducēs quibuscum tum bellum gerēbāmus, ut, cum duōbus in locīs disiūnctissimīs māximēque dīversīs ūnō cōnsiliō ā bīnīs hostium cōpiīs bellum terrā marīque gererētur, vōs ancipitī contentiōne districtī dē imperiō dīmicārētis.

oblīviō -ōnis *f* < oblīvīscī
comparātiō -ōnis *f* < comparāre (= parāre)
rem cōnferre (ad/in aliquid) = rē ūtī
Bosporānī -ōrum *m*: incolae Bosporī
ducēs : Sertōrium et ducēs eius
dis-iūnctus -a -um (< dis-iungere) = dīversus

10 Sed tamen alterīus partis perīculum, Sertōriānae atque Hispāniēnsis, quae multō plūs fīrmāmentī ac rōboris habē-

contentiō = certāmen
Sertōriānus -a -um < Sertōrius; Hispāniēnsis -e < Hispānia
fīrmāmentum -ī *n* = quod fīrmat

singulāris = cui pār nōn est

initia praeclāra : expugnātiō Cyzicī, Pontī, cēt.

haec extrēma : sēditiō mīlitum

fortūnae tribuere = fortūnā factum esse cēnsēre

af-fingere -fīnxisse -fictum (< ad-) = fingendō adicere

exōrsus -ūs *m* = exōrdium

nāviculārius -ī *m* = quī nāvem possidet

iniūriōsus -a -um < iniūria; iniūriōsē tractāre aliquem = iniūriam facere alicui

appellātī superbius: Līvius lēgātōs pulsātōs esse dīcit (cap. LI. 120)

lēgātum cōnsulārem: *M'. Aquīlium*, cōs. annō 101 a.C., quī ā Mithridāte captus et necātus est annō 88 a. C.

vidēte nē... = cūrāte nē, cavēte nē...

illīs : māiōribus vestrīs

bat, Cn. Pompēiī dīvīnō cōnsiliō ac singulārī virtūte
dēpulsum est. In alterā parte ita rēs ab L. Lūcullō,
summō virō, est administrāta, ut initia illa rērum gestā-
rum magna atque praeclāra nōn fēlīcitātī eius, sed vir-
tūtī, haec autem extrēma quae nūper accidērunt, nōn
culpae, sed fortūnae tribuenda esse videantur. Sed dē
Lūcullō dīcam aliō locō, et ita dīcam, Quirītēs, ut neque
vēra laus eī dētracta ōrātiōne meā neque falsa afficta esse
videātur. Dē vestrī imperiī dignitāte atque glōriā, *11*
quoniam is est exōrsus ōrātiōnis meae, vidēte quem
vōbīs animum suscipiendum putētis.

Māiōrēs nostrī saepe prō mercātōribus aut nāviculā-
riīs nostrīs iniūriōsius tractātīs bella gessērunt — vōs,
tot mīlibus cīvium Rōmānōrum ūnō nūntiō atque ūnō
tempore necātīs, quō tandem animō esse dēbētis? Lē-
gātī quod erant appellātī superbius, Corinthum patrēs
vestrī, tōtīus Graeciae lūmen, exstīnctum esse voluērunt
— vōs eum rēgem inultum esse patiēminī quī lēgātum
populī Rōmānī cōnsulārem vinculīs ac verberibus atque
omnī suppliciō excruciātum necāvit? Illī lībertātem im-
minūtam cīvium Rōmānōrum nōn tulērunt — vōs ērep-
tam vītam neglegētis? Iūs lēgātiōnis verbō violātum illī
persecūtī sunt — vōs lēgātum omnī suppliciō interfec-
tum relinquētis? Vidēte nē, ut illīs pulcherrimum fuit *12*
tantam vōbīs imperiī glōriam trādere, sīc vōbīs turpissi-
mum sit id quod accēpistis tuērī et cōnservāre nōn
posse!

Quid? quod salūs sociōrum summum in perīculum ac discrīmen vocātur, quō id tandem animō ferre dēbētis? Rēgnō est expulsus Ariobarzānēs rēx, socius populī Rōmānī atque amīcus. Imminent duo rēgēs tōtī Asiae nōn sōlum vōbīs inimīcissimī, sed etiam vestrīs sociīs atque amīcīs. Cīvitātēs autem omnēs cūnctā Asiā atque Graeciā vestrum auxilium exspectāre propter perīculī magnitūdinem cōguntur; imperātōrem ā vōbīs certum dēposcere, cum praesertim vōs alium mīseritis, neque audent neque id sē facere sine summō perīculō posse arbitran-
13 tur. Vident et sentiunt hoc idem quod vōs: ūnum virum esse in quō summa sint omnia, et eum propter esse — quō etiam carent aegrius; cuius adventū ipsō atque nōmine, tametsī ille ad maritimum bellum vēnerit, tamen impetūs hostium repressōs esse intellegunt ac retardātōs.

Hī vōs, quoniam līberē loquī nōn licet, tacitī rogant ut sē quoque, sīcut cēterārum prōvinciārum sociōs, dignōs exīstimētis quōrum salūtem tālī virō commendētis, atque hōc etiam magis quod cēterōs in prōvinciās eius modī hominēs cum imperiō mittimus ut, etiam sī ab hoste dēfendant, tamen ipsōrum adventūs in urbēs sociōrum nōn multum ab hostīlī expugnātiōne differant — hunc audiēbant anteā, nunc praesentem vident tantā temperantiā, tantā mānsuētūdine, tantā hūmānitāte, ut iī beātissimī esse videantur apud quōs ille diūtissimē commorātur!

in perīculum vocārī = in p. venīre

cūnctā Asiā = in cūnctā Asiā

cum praesertim = p. cum
alium : M'. Acīlium Glabriōnem

propter *adv* = prope

quō = quam ob rem
aegrē ↔ libenter
maritimum bellum : bellum pīrāticum
re-tardāre = tardum facere, impedīre

(dignōs) quōrum = (tam dignōs) ut eōrum
com-mendāre = mandāre, committere
cēterōs... mittimus = cēterī quōs... mittimus eius modī hominēs sunt

dif-ferre = dissimilis esse

temperantia -ae *f* (< temperāns) = modestia
mānsuētūdō -inis *f* = clēmentia
hūmānitās -ātis *f* < hūmānus
diūtissimē *sup* < diū

Quārē, sī propter sociōs, nūllā ipsī iniūriā lacessītī, 14
māiōrēs nostrī cum Antiochō, cum Philippō, cum Aetō-
līs, cum Poenīs bella gessērunt, quantō vōs studiōsius
convenit, iniūriīs prōvocātōs, sociōrum salūtem ūnā
cum imperiī vestrī dignitāte dēfendere, praesertim cum
dē māximīs vestrīs vectīgālibus agātur? Nam cēterārum
prōvinciārum vectīgālia, Quirītēs, tanta sunt ut iīs ad
ipsās prōvinciās tūtandās vix contentī esse possīmus —
Asia vērō tam opīma est ac fertilis ut et ūbertāte agrō-
rum et varietāte frūctuum et magnitūdine pāstiōnis et
multitūdine eārum rērum quae exportantur, facile om-
nibus terrīs antecellat. Itaque haec vōbīs prōvincia,
Quirītēs, sī et bellī ūtilitātem et pācis dignitātem reti-
nēre vultis, nōn modo ā calamitāte, sed etiam ā metū ca-
lamitātis est dēfendenda. Nam in cēterīs rēbus, cum 15
venit calamitās, tum dētrīmentum accipitur; at in vectī-
gālibus nōn sōlum adventus malī, sed etiam metus ipse
affert calamitātem. Nam cum hostium cōpiae nōn longē
absunt, etiam sī irruptiō nūlla facta est, tamen pecua
relinquuntur, agrī cultūra dēseritur, mercātōrum nāvi-
gātiō conquiēscit. Ita neque ex portū neque ex decumīs
neque ex scrīptūrā vectīgal cōnservārī potest; quārē 16
saepe tōtīus annī frūctus ūnō rūmōre perīculī atque ūnō
bellī terrōre āmittitur. Quō tandem igitur animō esse
exīstimātis aut eōs quī vectīgālia nōbīs pēnsitant, aut eōs
quī exercent atque exigunt, cum duo rēgēs cum māxi-
mīs cōpiīs propter adsint? cum ūna excursiō equitātūs

convenit = oportet, decet

dē vectīgālibus agitur = vectīgālia aguntur

opīmus -a -um = opulentus
ūbertās -ātis *f* < ūber
frūctus -ūs *m* = frūgēs
pāstiō -ōnis *f* < pāscere
ex-portāre

ante-cellere = excellere, praestāre
ūtilitās -ātis *f* < ūtilis; bellī ū. = quae bellō ūtilia sunt (: vectīgālia)

irruptiō -ōnis *f* < irrumpere
pecua -um *n* = pecudēs
cultūra -ae *f* < colere

decuma -ae *f* = decima pars frūgum (vectīgal)
scrīptūra -ae *f* = mercēs prō pāstiōne in agrō pūblicō

pēnsitāre = pendere
(vectīgālia) exercēre = administrāre
exigere = exposcere
excursiō -ōnis *f* < excurrere

perbrevī tempore tōtīus annī vectīgal auferre possit?
cum pūblicānī familiās māximās quās in salīnīs habent,
quās in agrīs, quās in portibus atque in cūstōdiīs,
magnō perīculō sē habēre arbitrentur? Putātisne vōs il-
līs rēbus fruī posse, nisi eōs quī vōbīs frūctuī sunt cōn-
17 servāveritis, nōn sōlum (ut ante dīxī) calamitāte, sed
etiam calamitātis formīdine līberātōs?

Ac nē illud quidem vōbīs neglegendum est (quod
mihi ego extrēmum prōposueram cum essem dē bellī
genere dictūrus) quod ad multōrum bona cīvium Rō-
mānōrum pertinet, quōrum vōbīs prō vestrā sapientiā,
Quirītēs, habenda est ratiō dīligenter. Nam et pūbli-
cānī, hominēs honestissimī atque ōrnātissimī, suās rati-
ōnēs et cōpiās in illam prōvinciam contulērunt, quōrum
ipsōrum per sē rēs et fortūnae vōbīs cūrae esse dēbent.
Etenim, sī vectīgālia nervōs esse reī pūblicae semper
dūximus, eum certē ōrdinem quī exercet illa, fīrmā-
18 mentum cēterōrum ōrdinum rēctē esse dīcēmus. De-
inde ex cēterīs ōrdinibus hominēs gnāvī atque industriī
partim ipsī in Asiā negōtiantur, quibus vōs absentibus
cōnsulere dēbētis, partim in eā prōvinciā pecūniās mag-
nās collocātās habent. Est igitur hūmānitātis vestrae
magnum numerum cīvium calamitāte prohibēre, sapi-
entiae vidēre multōrum cīvium calamitātem ā rē pūblicā
19 sēiūnctam esse nōn posse. Nōn enim possunt ūnā in
cīvitāte multī rem ac fortūnās āmittere, ut nōn plūrēs
sēcum in eandem trahant calamitātem.

per-brevis -e
pūblicānus -ī *m* = quī vectīgālia exercet
familia = servī ūnīus dominī
cūstōdia = statiō unde vectīgālia exiguntur

frūctuī esse = frūctum (: ūtilitātem, lucrum) afferre

ratiōnem habēre alicuius = alicui cōnsulere
ōrnātus -a -um = illūstris
ratiōnēs = negōtia pecūniārum

dūcere = exīstimāre
eum ōrdinem : ōrdinem equestrem (pūblicānī sunt equitēs Rōmānī)
gnāvus -a -um = impiger, dīligēns
negōtiārī = negōtia gerere

hūmānitātis vestrae est = ad hūmānitātem vestram pertinet
sapientiae *vestrae est*

sē-iūnctus = disiūnctus

incumbere (ad/in rem) = operam dare, sē dēdere (reī)

Quārē vidēte num dubitandum vōbīs sit omnī studiō ad id bellum incumbere in quō glōria nōminis vestrī, salūs sociōrum, vectīgālia māxima, fortūnae plūrimōrum cīvium coniūnctae cum rē pūblicā dēfendantur.

in quō : in quā rē

im-pertīre = partem dare, tribuere

rē ōrnātus/īnstrūctus : rem habēns

Cyzicēnī -ōrum *m* < Cyzicus

raperētur = raptim veherētur

dē-primere -pressisse -pressum = deorsum premere, dēmergere

domicilium -ī *n* = locus ubi habitātur, domus

[*Dē magnitūdine bellī*]

Quoniam dē genere bellī dīxī, nunc dē magnitūdine *20*
pauca dīcam. Potest enim hoc dīcī: bellī genus esse ita necessārium ut sit gerendum, nōn esse ita magnum ut sit pertimēscendum. In quō māximē labōrandum est nē forte ea vōbīs quae dīligentissimē prōvidenda sunt contemnenda esse videantur. Atque ut omnēs intellegant mē L. Lūcullō tantum impertīre laudis quantum fortī virō et sapientī hominī et magnō imperātōrī dēbeātur, dīcō eius adventū māximās Mithridātis cōpiās omnibus rēbus ōrnātās atque īnstrūctās fuisse, urbemque Asiae clārissimam nōbīsque amīcissimam Cyzicēnōrum obsessam esse ab ipsō rēge māximā multitūdine et oppugnātam vehementissimē; quam L. Lūcullus virtūte, assiduitāte, cōnsiliō summīs obsidiōnis perīculīs līberāvit;
ab eōdem imperātōre classem magnam et ōrnātam, quae *21*
ducibus Sertōriānīs ad Italiam studiō atque odiō īnflammāta raperētur, superātam esse atque dēpressam; magnās hostium praetereā cōpiās multīs proeliīs esse dēlētās patefactumque nostrīs legiōnibus esse Pontum, quī anteā populō Rōmānō ex omnī aditū clausus fuisset; Sinōpēn atque Amīsum, quibus in oppidīs erant domicilia

rēgis omnibus rēbus ōrnāta ac referta, cēterāsque urbēs Pontī et Cappadociae permultās ūnō aditū adventūque esse captās; rēgem spoliātum rēgnō patriō atque avītō ad aliōs sē rēgēs atque ad aliās gentēs supplicem contulisse — atque haec omnia salvīs populī Rōmānī sociīs atque integrīs vectīgālibus esse gesta. Satis opīnor hoc esse laudis, atque ita, Quirītēs, ut hoc vōs intellegātis: ā nūllō istōrum quī huic obtrectant lēgī atque causae L. Lūcullum similiter ex hōc locō esse laudātum.

per-multī = plūrimī
opīnārī = arbitrārī, putāre
reī obtrectāre = rem o. /verbīs oppugnāre
huic lēgī : lēgī Mānīliae
hōc locō : Rōstrīs

22 Requīrētur fortasse nunc quem ad modum, cum haec ita sint, reliquum possit magnum esse bellum? Cognōscite, Quirītēs! Nōn enim hoc sine causā quaerī vidētur.

quem ad modum = quōmodo

Prīmum ex suō rēgnō sīc Mithridātēs profūgit ut ex eōdem Pontō Mēdēa illa quondam profūgisse dīcitur — quam praedicant in fugā frātris suī membra in iīs locīs quā sē parēns persequerētur dissipāvisse, ut eōrum collēctiō dispersa maerorque patrius celeritātem persequendī retardāret! Sīc Mithridātēs fugiēns māximam vim aurī atque argentī pulcherrimārumque rērum omnium quās et ā māiōribus accēperat et ipse bellō superiōre ex tōtā Asiā dīreptās in suum rēgnum congesserat, in Pontō omnem relīquit. Haec dum nostrī colligunt omnia dīligentius, rēx ipse ē manibus effūgit. Ita illum in persequendī studiō maeror, hōs laetitia tardāvit!

Aeētēs -ae *m*
Colchis -idis *f*
Iāsōn -onis *m*
Mēdēa, fīlia Aeētae rēgis Colchidis, cum Iāsone domō profūgit
praedicāre = prōnūntiāre, nārrāre
parēns : Aeētēs
dissipāre = spargere, dispergere
collēctiō -ōnis *f* < colligere
con-gerere = cōnferre
dīligentius = nimis dīligenter
illum : Aeētam
hōs : Rōmānōs
tardāre = retardāre

23 Hunc in illō timōre et fugā Tigrānēs, rēx Armenius, excēpit diffīdentemque rēbus suīs cōnfīrmāvit et afflīc-

af-flīgere -īxisse -īctum = percellere

tum ērēxit perditumque recreāvit. Cuius in rēgnum posteāquam L. Lūcullus cum exercitū vēnit, plūrēs etiam gentēs contrā imperātōrem nostrum concitātae sunt. Erat enim metus iniectus iīs nātiōnibus quās numquam populus Rōmānus neque lacessendās bellō neque temptandās putāvit; erat etiam alia gravis atque vehemēns opīniō quae per animōs gentium barbarārum pervāserat: fānī locuplētissimī et religiōsissimī dīripiendī causā in eās ōrās nostrum esse exercitum adductum! Ita nātiōnēs multae atque magnae novō quōdam terrōre ac metū concitābantur. Noster autem exercitus, tametsī urbem ex Tigrānis rēgnō cēperat et proeliīs ūsus erat secundīs, tamen nimiā longinquitāte locōrum ac dēsīderiō suōrum commovēbātur.

Hīc iam plūra nōn dīcam. Fuit enim illud extrēmum *24*
ut ex iīs locīs ā mīlitibus nostrīs reditus magis mātūrus quam prōgressiō longior quaererētur!

Mithridātēs autem et suam manum iam cōnfīrmārat et magnīs adventīciīs auxiliīs multōrum rēgum et nātiōnum iuvābātur. Nam hoc ferē sīc fierī solēre accēpimus, ut rēgum afflīctae fortūnae facile multōrum opēs alliciant ad misericordiam, māximēque eōrum quī aut rēgēs sunt aut vīvunt in rēgnō, ut iīs nōmen rēgāle mag-
num et sānctum esse videātur. Itaque tantum victus *25*
efficere potuit quantum incolumis numquam est ausus optāre! Nam cum sē in rēgnum suum recēpisset, nōn fuit eō contentus quod eī praeter spem acciderat, ut

re-creāre = rūrsus vigentem facere

opīniō -ōnis *f* (< opīnārī) = sententia

fānī... dīripiendī causā = ut fānum... dīriperent

religiōsus -a -um (< religiō) = sacer

urbem : Tigrānocertam

longinquitās -ātis *f* < longinquus

dēsīderium -ī *n* < dēsīderāre

prōgressiō -ōnis *f* < prōgredī

-ārat = -āverat

adventīcius -a -um = quī advenit

miseri-cordia -ae *f* = dolor ob alterīus miseriam

Mithridātēs victus

illam, postquam pulsus erat, terram umquam attingeret, sed in exercitum nostrum clārum atque victōrem impetum fēcit.

attingere : adīre

Sinite hōc locō, Quirītēs — sīcut poētae solent quī rēs Rōmānās scrībunt — praeterīre mē nostram calamitātem, quae tanta fuit ut eam ad aurēs imperātōris nōn ex proeliō nūntius, sed ex sermōne rūmor afferret!

poētae: ut Q. Ennius in *Annālibus*
praeter-īre = praeter-mittere
calamitātem: Mithridātēs reversus Rōmānōs in Pontō vīcit

26 Hīc in illō ipsō malō gravissimāque bellī offēnsiōne L. Lūcullus, quī tamen aliquā ex parte iīs incommodīs medērī fortasse potuisset, vestrō iussū coāctus (quod imperiī diūturnitātī modum statuendum vetere exemplō putāvistis) partem mīlitum quī iam stipendiīs cōnfectī erant dīmīsit, partem M'. Glabriōnī trādidit.

offēnsiō -ōnis *f* = calamitās
in-commodum -ī *n* ↔ commodum
medērī (+ *dat*) = remedium dare, sānāre
modus = fīnis nōn excēdendus
stipendia = mīlitia

Multa praetereō cōnsultō; sed ea vōs coniectūrā perspicite: quantum illud bellum factum putētis quod coniungant rēgēs potentissimī, renovent agitātae nātiōnēs, suscipiant integrae gentēs, novus imperātor noster accipiat vetere exercitū pulsō!

cōnsultō *adv* = cōnsiliō (↔ forte)
coniectūrā perspicere = intellegere quod nōn palam dīcitur
coniungant : commūniter gerant
agitāre = exagitāre

[*Dē imperātōre dēligendō*]

27 Satis multa mihi verba fēcisse videor, quārē esset hoc bellum genere ipsō necessārium, magnitūdine perīculōsum. Restat ut dē imperātōre ad id bellum dēligendō ac tantīs rēbus praeficiendō dīcendum esse videātur.

restat ut = reliquum est ut

Utinam, Quirītēs, virōrum fortium atque innocentium cōpiam tantam habērētis ut haec vōbīs dēlīberātiō difficilis esset, quemnam potissimum tantīs rēbus ac

in-nocēns -entis = īnsōns, honestus (↔ noxius)
dēlīberātiō -ōnis *f* < dēlīberāre

hominēs quī nunc sunt : h. nostrae aetātis
antīquitās -ātis *f* = aetās antīqua
-ārit = -*āv*erit

tantō bellō praeficiendum putārētis! Nunc vērō, cum sit ūnus Cn. Pompēius quī nōn modo eōrum hominum quī nunc sunt glōriam, sed etiam antīquitātis memoriam virtūte superārit, quae rēs est quae cuiusquam animum in hāc causā dubium facere possit?

scientia -ae *f* < sciēns

Ego enim sīc exīstimō, in summō imperātōre quat- *28*
tuor hās rēs inesse oportēre: scientiam reī mīlitāris, virtūtem, auctōritātem, fēlīcitātem.

bellō māximō : bellō sociālī
patris: Cn. Pompēiī Strabōnis
summī imperātōris: patris
ineunte adulēscentiā = prīmā adulēscentiā
con-certāre = certāre
cōnfēcit : subēgit
con-cupīscere -īvisse = vehementer cupere
Trāns-Alpīnus -a -um < trāns Alpēs
bellum nāvāle : bellum pīrāticum
fugere : effugere, praeterīre

Quis igitur hōc homine scientior umquam aut fuit aut esse dēbuit? Quī ē lūdō atque ē pueritiae disciplīnīs, bellō māximō atque ācerrimīs hostibus, ad patris exercitum atque in mīlitiae disciplīnam profectus est; quī extrēmā pueritiā mīles in exercitū summī fuit imperātōris, ineunte adulēscentiā māximī ipse exercitūs imperātor; quī saepius cum hoste cōnflīxit quam quisquam cum inimīcō concertāvit, plūra bella gessit quam cēterī lēgērunt, plūrēs prōvinciās cōnfēcit quam aliī concupīvērunt! cuius adulēscentia ad scientiam reī mīlitāris nōn aliēnīs praeceptīs, sed suīs imperiīs, nōn offēnsiōnibus bellī, sed victōriīs, nōn stipendiīs, sed triumphīs est ērudīta. Quod dēnique genus esse bellī potest in quō illum nōn exercuerit fortūna reī pūblicae? Cīvīle, Āfricānum, Trānsalpīnum, Hispāniēnse, servīle, nāvāle bellum, varia et dīversa genera et bellōrum et hostium, nōn sōlum gesta ab hōc ūnō, sed etiam cōnfecta — nūllam rem esse dēclārant in ūsū positam mīlitārī quae huius virī scientiam fugere possit!

29 Iam vērō virtūtī Cn. Pompēiī quae potest ōrātiō pār
invenīrī? Quid est quod quisquam aut illō dignum aut
vōbīs novum aut cuiquam inaudītum possit afferre?
Neque enim illae sunt sōlae virtūtēs imperātōriae quae
vulgō exīstimantur: labor in negōtiīs, fortitūdō in perī-
culīs, industria in agendō, celeritās in cōnficiendō, cōn-
silium in prōvidendō — quae tanta sunt in hōc ūnō
quanta in omnibus reliquīs imperātōribus quōs aut vīdi-
30 mus aut audīvimus nōn fuērunt. Testis est Italia, quam
ille ipse victor L. Sulla huius virtūte et subsidiō cōnfes-
sus est līberātam; testis Sicilia, quam multīs undique
cīnctam perīculīs nōn terrōre bellī, sed cōnsiliī celeritāte
explicāvit; testis Āfrica, quae magnīs oppressa hostium
cōpiīs eōrum ipsōrum sanguine redundāvit; testis Gal-
lia, per quam legiōnibus nostrīs iter in Hispāniam Gal-
lōrum interniciōne patefactum est; testis Hispānia, quae
saepissimē plūrimōs hostēs ab hōc superātōs prō-
strātōsque cōnspexit; testis iterum et saepius Italia,
quae, cum servīlī bellō taetrō perīculōsōque premerē-
tur, ab hōc auxilium absente expetīvit, quod bellum
exspectātiōne eius attenuātum atque imminūtum est,
31 adventū sublātum ac sepultum. Testēs nunc vērō iam
omnēs ōrae atque omnēs terrae, gentēs, nātiōnēs, maria
dēnique omnia, cum ūniversa, tum in singulīs ōrīs om-
nēs sinūs atque portūs. Quis enim tōtō marī locus per
hōs annōs aut tam firmum habuit praesidium ut tūtus
esset aut tam fuit abditus ut latēret? Quis nāvigāvit quī

virtūtī pār: quae virtūtem aequat

in-audītus -a -um = nōn prius audītus

imperātōrius -a -um < imperātor

neque... sōlae virtūtēs imperātōriae: cēterae ēnumerantur versibus 380–383

testis *est*...

explicāre -āvisse/uisse -ātum/-itum

prō-sternere = dēlēre

taeter -tra -trum = foedissimus, horribilis

at-tenuāre = tenuem facere, mītigāre

nunc: post bellum pīrāticum cōnfectum

(sē perīculō) committere = obicere

hōs-ce = hōs

praesidiō (*dat*) esse alicui = aliquem tuērī

prō! (*interiectiō*) = ō!

Ōceanī ōstium : fretum *Gāditānum* (quō Āfrica ab Hispāniā dirimitur)

praetereunda nōn sunt : praetereundum nōn est

quaestus -ūs *m* = lucrum (quaesītum/factum)
tam brevī tempore... quam celeriter = tam celeriter quam
tantī bellī impetus : tanta classis
tempestīvus -a -um = idōneus, opportūnus
in Sardiniam

frūmentāria subsidia : loca unde frūmentum invehitur

duae Hispāniae: Hispānia citerior et ulterior

nōn sē aut mortis aut servitūtis perīculō committeret,
cum aut hieme aut refertō praedōnum marī nāvigāret?
Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam lātē
dīvīsum atque dispersum, quis umquam arbitrārētur
aut ab omnibus imperātōribus ūnō annō aut omnibus
annīs ab ūnō imperātōre cōnficī posse? Quam prōvin- *32*
ciam tenuistis ā praedōnibus līberam per hōsce annōs?
quod vectīgal vōbīs tūtum fuit? quem socium dēfendis-
tis? cui praesidiō classibus vestrīs fuistis? quam multās
exīstimātis īnsulās esse dēsertās, quam multās aut metū
relictās aut ā praedōnibus captās urbēs esse sociōrum?

Prō, dī immortālēs! Tantamne ūnīus hominis in- *33*
crēdibilis ac dīvīna virtūs tam brevī tempore lūcem af-
ferre reī pūblicae potuit ut vōs, quī modo ante ōstium
Tiberīnum classem hostium vidēbātis, nunc nūllam
intrā Ōceanī ōstium praedōnum nāvem esse audiātis?

Atque haec quā celeritāte gesta sint, quamquam vidē- *34*
tis, tamen ā mē in dīcendō praetereunda nōn sunt. Quis
enim umquam aut obeundī negōtiī aut cōnsequendī
quaestūs studiō tam brevī tempore tot loca adīre, tantōs
cursūs cōnficere potuit, quam celeriter Cn. Pompēiō
duce tantī bellī impetus nāvigāvit? quī nōndum tem-
pestīvō ad nāvigandum marī Siciliam adiit, Āfricam ex-
plōrāvit, inde Sardiniam cum classe vēnit, atque haec
tria frūmentāria subsidia reī pūblicae fīrmissimīs praesi-
diīs classibusque mūnīvit. Inde cum sē in Italiam recē- *35*
pisset, duābus Hispāniīs et Galliā Trānsalpīnā praesidiīs

ac nāvibus cōnfīrmātā, missīs item in ōram Illyricī maris et in Achāiam omnemque Graeciam nāvibus, Italiae duo maria māximīs classibus fīrmissimīsque praesidiīs adōrnāvit, ipse autem, ut Brundisiō profectus est, ūndēquīnquāgēsimō diē tōtam ad imperium populī Rōmānī Ciliciam adiūnxit: omnēs quī ubīque praedōnēs fuērunt partim captī interfectīque sunt, partim ūnīus huius sē imperiō ac potestātī dēdidērunt. Ita tantum bellum, tam diūturnum, tam longē lātēque dispersum, quō bellō omnēs gentēs ac nātiōnēs premēbantur, Cn. Pompēius extrēmā hieme apparāvit, ineunte vēre suscēpit, mediā aestāte cōnfēcit!

mare Illyricum: mare Hadriāticum
duo maria: mare Superum et Īnferum
ad-ōrnāre = ōrnāre, armāre
ūn-dē-quīnquāgēsimus -a -um = XLIX (49.)
quī ubīque fuērunt = ubicumque fuērunt
extrēmā hieme = exitū hiemis
ineunte vēre = initiō vēris, prīmō vēre

36 Est haec dīvīna atque incrēdibilis virtūs imperātōris. Quid? cēterae quās paulō ante commemorāre coeperam quantae atque quam multae sunt! Nōn enim bellandī virtūs sōlum in summō ac perfectō imperātōre quaerenda est, sed multae sunt artēs eximiae huius administrae comitēsque virtūtis.

paulō ante: versū 311
ad-ministra -ae *f* = ministra

Ac prīmum quantā innocentiā dēbent esse imperātōrēs! quantā deinde in omnibus rēbus temperantiā! quantā fidē, quantā facilitāte, quantō ingeniō, quantā hūmānitāte! Quae breviter quālia sint in Cn. Pompēiō cōnsīderēmus. Summa enim sunt omnia, Quirītēs, sed ea magis ex aliōrum contentiōne quam ipsa per sēsē cognōscī atque intellegī possunt.

innocentia -ae *f* < innocēns
facilitās -ātis *f* < facilis (amīcitiā)
contentiō = comparātiō (aliōrum : cum aliīs)

37 Quem enim possumus imperātōrem ūllō in numerō putāre cuius in exercitū centuriātūs vēneant atque vēn-

centuriātus -ūs *m* = dignitās centuriōnis

quid *putāre possumus*

dē-prōmere -mpsisse -mptum

(pecūniam) in quaestū relinquere = mūtuam dare quaestūs causā

ad-murmurātiō -ōnis *f* = murmur assentium

īrāscī = īrātus fierī

quō-cumque = in quemcumque locum

recordārī = reminīscī

continēre = prohibēre maleficiō, coercēre

cēterīs (*dat*) excellere = super cēterōs excellere

sūmptus -ūs *m* = impēnsa (↔ quaestus); s.um facere = pecūniam solvere

cupientī cuiquam : cuiquam quī sūmptum facere cupit

perfugium -ī *n* = asӯlum

ierint? quid hunc hominem magnum aut amplum dē rē
pūblicā cōgitāre quī pecūniam ex aerāriō dēprōmptam
ad bellum administrandum aut propter cupiditātem
prōvinciae magistrātibus dīvīserit aut propter avāritiam
Rōmae in quaestū relīquerit? Vestra admurmurātiō
facit, Quirītēs, ut agnōscere videāminī quī haec fēcerint
— ego autem nōminō nēminem; quārē īrāscī mihi nēmō
potest, nisi quī ante dē sē voluerit cōnfitērī! Itaque
propter hanc avāritiam imperātōrum quantās calamitā-
tēs, quōcumque ventum sit, nostrī exercitūs afferant,
quis ignōrat? Itinera quae per hōsce annōs in Italiā per *38*
agrōs atque oppida cīvium Rōmānōrum nostrī imperā-
tōrēs fēcerint, recordāminī: tum facilius statuētis quid
apud exterās nātiōnēs fierī exīstimētis. Utrum plūrēs
arbitrāminī per hōsce annōs mīlitum vestrōrum armīs
hostium urbēs an hībernīs sociōrum cīvitātēs esse dēlē-
tās? Neque enim potest exercitum is continēre imperā-
tor quī sē ipse nōn continet, neque sevērus esse in iūdi-
candō quī aliōs in sē sevērōs esse iūdicēs nōn vult!

Hīc mīrāmur hunc hominem tantum excellere cēte- *39*
rīs, cuius legiōnēs sīc in Asiam pervēnerint, ut nōn
modo manūs tantī exercitūs, sed nē vestīgium quidem
cuiquam pācātō nocuisse dīcātur? Iam vērō quem ad
modum mīlitēs hībernent, cotīdiē sermōnēs ac litterae
perferuntur: nōn modo ut sūmptum faciat in mīlitem
nēminī vīs affertur, sed nē cupientī quidem cuiquam
permittitur. Hiemis enim, nōn avāritiae perfugium

māiōrēs nostrī in sociōrum atque amīcōrum tēctīs esse voluērunt.

40 Age vērō, cēterīs in rēbus quae sit temperantia, cōnsīderāte! Unde illam tantam celeritātem et tam incrēdibilem cursum inventum putātis? Nōn enim illum eximia vīs rēmigum aut ars inaudīta quaedam gubernandī aut ventī aliquī novī tam celeriter in ultimās terrās pertulērunt — sed eae rēs quae cēterōs remorārī solent nōn retardārunt: nōn avāritia ab īnstitūtō cursū ad praedam aliquam dēvocāvit, nōn libīdō ad voluptātem, nōn amoenitās ad dēlectātiōnem, nōn nōbilitās urbis ad cognitiōnem, nōn dēnique labor ipse ad quiētem; postrēmō signa et tabulās cēteraque ōrnāmenta Graecōrum oppidōrum, quae cēterī tollenda esse arbitrantur, ea sibi
41 ille nē vīsenda quidem exīstimāvit. Itaque omnēs nunc in iīs locīs Cn. Pompēium sīcut aliquem nōn ex hāc urbe missum, sed dē caelō dēlāpsum intuentur; nunc dēnique incipiunt crēdere fuisse hominēs Rōmānōs hāc quondam continentiā, quod iam nātiōnibus exterīs incrēdibile ac falsō memoriae prōditum vidēbātur; nunc imperiī vestrī splendor illīs gentibus lūcem afferre coepit; nunc intellegunt nōn sine causā māiōrēs suōs tum cum eā temperantiā magistrātūs habēbāmus servīre populō Rōmānō quam imperāre aliīs māluisse!

Iam vērō ita facilēs aditūs ad eum prīvātōrum, ita līberae querimōniae dē aliōrum iniūriīs esse dīcuntur, ut is quī dignitāte prīncipibus excellit facilitāte īnfimīs

rēmex -igis *m* = quī rēmigat

re-morārī = retardāre

dē-vocāre

amoenitās -ātis *f* < amoenus

dēlectātiō -ōnis *f* < dēlectāre

cognitiō -ōnis *f* < cognōscere

tabulās *pictās*

continentia -ae *f* (< continēns) = animus quī sē continet, temperantia

splendor -ōris *m*: gloria (< splendēre)

querimōnia -ae *f* = querēlla

dīcendī : verbōrum, ōrātiōnis
gravitās -ātis *f* (< gravis) = dignitās

cognōstis = cognō*vi*stis

-ārint = -ā*ve*rint

per-mittere = committere, mandāre

multum valet

quis ignōrat vehementer pertinēre ad bella administranda quid hostēs... exīstiment?
quis ignōrat? : nēmō ignōrat (: omnēs sciunt)
hominēs... commovērī

ratiō = dēlīberātiō, cōnsilium prūdēns

quō : ut eō

pār esse videātur. Iam quantum cōnsiliō, quantum dī- *42*
cendī gravitāte et cōpiā valeat (in quō ipsō inest quaedam dignitās imperātōria), vōs, Quirītēs, hōc ipsō ex locō saepe cognōstis. Fidem vērō eius quantam inter sociōs exīstimārī putātis quam hostēs omnēs omnium generum sānctissimam iūdicārint? Hūmānitāte iam tantā est ut difficile dictū sit, utrum hostēs magis virtūtem eius pugnantēs timuerint an mānsuētūdinem victī dīlēxerint. Et quisquam dubitābit quīn huic hoc tantum bellum permittendum sit quī ad omnia nostrae memoriae bella cōnficienda dīvīnō quōdam cōnsiliō nātus esse videātur?

Et quoniam auctōritās quoque in bellīs administran- *43*
dīs multum atque in imperiō mīlitārī valet, certē nēminī dubium est quīn eā rē īdem ille imperātor plūrimum possit. Vehementer autem pertinēre ad bella administranda quid hostēs, quid sociī dē imperātōribus nostrīs exīstiment, quis ignōrat, cum sciāmus hominēs in tantīs rēbus ut aut metuant aut contemnant, aut ōderint aut ament, opīniōne nōn minus et fāmā quam aliquā ratiōne certā commovērī? Quod igitur nōmen umquam in orbe terrārum clārius fuit, cuius rēs gestae parēs? dē quō homine vōs — id quod māximē facit auctōritātem — tanta et tam praeclāra iūdicia fēcistis? An vērō ūllam
usquam esse ōram tam dēsertam putātis quō nōn illīus *44*
diēī fāma pervāserit cum ūniversus populus Rōmānus, refertō forō complētīsque omnibus templīs ex quibus

hic locus cōnspicī potest, ūnum sibi ad commūne omnium gentium bellum Cn. Pompēium imperātōrem dēpoposcit? Itaque — ut plūra nōn dīcam neque aliōrum exemplīs cōnfīrmem quantum auctōritās valeat in bellō — ab eōdem Cn. Pompēiō omnium rērum ēgregiārum exempla sūmantur: Quī quō diē ā vōbīs maritimō bellō praepositus est imperātor, tanta repente vīlitās ex summā inopiā et cāritāte reī frūmentāriae cōnsecūta est ūnīus hominis spē ac nōmine, quantam vix in summā

45 ūbertāte agrōrum diūturna pāx efficere potuisset. Iam acceptā in Pontō calamitāte ex eō proeliō dē quō vōs paulō ante invītus admonuī, cum sociī pertimuissent, hostium opēs animīque crēvissent, satis fīrmum praesidium prōvincia nōn habēret, āmīsissētis Asiam, Quirītēs, nisi ad ipsum discrīmen eius temporis dīvīnitus Cn. Pompēium ad eās regiōnēs fortūna populī Rōmānī attulisset. Huius adventus et Mithridātem īnsolitā īnflātum victōriā continuit et Tigrānem magnīs cōpiīs minitantem Asiae retardāvit. Et quisquam dubitābit quid virtūte perfectūrus sit quī tantum auctōritāte perfēcerit? aut quam facile imperiō atque exercitū sociōs et vectīgālia cōnservātūrus sit quī ipsō nōmine ac rūmōre dēfenderit?

47 Reliquum est ut dē fēlīcitāte — quam praestāre dē sē ipsō nēmō potest, meminisse et commemorāre dē alterō possumus — sīcut aequum est hominēs dē potestāte deōrum, timidē et pauca dīcāmus. Ego enim sīc ex-

hic locus : Rōstra
commūne omnium gentium bellum : bellum pīrāticum

quī quō diē : nam eō diē quō is
vīlitās -ātis *f* < vīlis -e (↔ cārus)
cāritās (↔ vīlitās) = magnum pretium

paulō ante : versibus 258–261

īn-solitus -a -um
īn-flāre = implēre āere (: superbiā), superbum facere
minitārī = minārī

is quī

is quī

reliquum est ut = restat ut

aequum est = oportet

Q. Fabiō Māximō *Cūnctā-tōrī*
M. Claudiō Mārcellō, quī spolia opīma III rettulit ac Syrācūsās cēpit

amplitūdō -inis *f* < amplus
quaedam fortūna

īstimō: Māximō, Mārcellō, Scīpiōnī, Mariō cēterīsque magnīs imperātōribus nōn sōlum propter virtūtem, sed etiam propter fortūnam saepius imperia mandāta atque exercitūs esse commissōs. Fuit enim profectō quibusdam summīs virīs quaedam ad amplitūdinem et ad glōriam et ad rēs magnās bene gerendās dīvīnitus adiūncta fortūna.

quō dē = dē quō
moderātiō = modestia, temperantia
reliqua : futūra
in-grātus -a -um
ob-temperāre = oboedīre, pārēre
ob-secundāre = obsequī, pārēre
im-pudēns -entis = sine pudōre, audāx
tam impudentem quī (+ *coni*) = tam i. ut

Dē huius autem hominis fēlīcitāte quō dē nunc agimus, hāc ūtar moderātiōne dīcendī, nōn ut in illīus potestāte fortūnam positam esse dīcam, sed ut praeterita meminisse, reliqua spērāre videāmur, nē aut invīsa dīs immortālibus ōrātiō nostra aut ingrāta esse videātur.
Itaque nōn sum praedicātūrus quantās ille rēs domī mī- *48*
litiae, terrā marīque, quantāque fēlīcitāte gesserit, ut eius semper voluntātibus nōn modo cīvēs assēnserint, sociī obtemperārint, hostēs oboedierint, sed etiam ventī tempestātēsque obsecundārint; hoc brevissimē dīcam: nēminem umquam tam impudentem fuisse quī ab dīs immortālibus tot et tantās rēs tacitus audēret optāre quot et quantās dī immortālēs ad Cn. Pompēium dētulērunt! Quod ut illī proprium ac perpetuum sit, Quirītēs, cum commūnis salūtis atque imperiī, tum ipsīus hominis causā — sīcuti facitis — velle et optāre dēbētis.

Quārē cum et bellum sit ita necessārium ut neglegī *49*
nōn possit, ita magnum ut accūrātissimē sit administrandum, et cum eī imperātōrem praeficere possītis in quō sit eximia bellī scientia, singulāris virtūs, clārissima

auctōritās, ēgregia fortūna, dubitātis, Quirītēs, quīn hoc tantum bonī, quod vōbīs ab dīs immortālibus oblātum et datum est, in rem pūblicam cōnservandam atque amplificandam cōnferātis?

rem cōnferre (in/ad) = rē ūtī

50 Quod sī Rōmae Cn. Pompēius prīvātus esset hōc tempore, tamen ad tantum bellum is erat dēligendus atque mittendus; nunc, cum ad cēterās summās ūtilitātēs haec quoque opportūnitās adiungātur ut in iīs ipsīs locīs adsit, ut habeat exercitum, ut ab iīs quī habent accipere statim possit, quid exspectāmus? aut cūr nōn — ducibus dīs immortālibus — eīdem cui cētera summā cum salūte reī pūblicae commissa sunt, hoc quoque bellum rēgium commendāmus?

quod sī = sī autem

opportūnitās -ātis *f* = rēs opportūna/idōnea

cētera *bella*



Mithridātēs

FINIS MITHRIDATIS

[*Ex T. Līviī librōrum C–CIII Periochīs*]

100 Cn. Pompēius ad gerendum bellum adversus Mithridātēn profectus, cum rēge Parthōrum Phraāte amīcitiam renovāvit. Equestrī proeliō Mithridātēn vīcit.

[annō 66 a. C.]

Parthī -ōrum *m*: gēns Asiae

Phraātēs -ae *m*

101 Cn. Pompēius Mithridātēn nocturnō proeliō victum coēgit Bosporum profugere.

Bosporus oppidum s. *Panticapaeum*: caput Bosporī

restituit : reddidit

[annō 65 a. C.]

[annō 64 a. C.]

Pharnācēs -is *m*

prō-ficere = prōcēdere (ad ēventum), successum habēre

[annō 63 a. C.]

repulsa -ae *f* < repellere; repulsam passus = repulsus

petītiō -ōnis *f* < petere

con-iūrāre = inter sē iūs iūrandum dare

coniūrātiō -ōnis *f* = societās eōrum quī coniūrāvērunt

ē-ruere -uisse -utum = dētegere (rem occultam)

con-iūrātī -ōrum *m* = quī coniūrāvērunt

[annō 62 a. C.]

cōnspīrātiō -ōnis *f* = societās, coniūrātiō

[annō 60 a. C.]

M. *Licinius* Crassus: cōs. annō 70 a. C. cum Cn. Pompēiō

[annō 61 a. C.]

cōn-salūtāre = simul salūtāre

Tigrānēn in dēditiōnem accēpit eīque adēmptīs Syriā, Phoenīcē, Ciliciā, rēgnum Armeniae restituit.

Cn. Pompēius, cum Mithridātēn persequerētur, in ultimās ignōtāsque gentēs penetrāvit. Hibērōs Albānōsque, quī trānsitum nōn dabant, proeliō vīcit.

Cn. Pompēius in prōvinciae fōrmam Pontum redēgit. *102*

Pharnācēs, fīlius Mithridātis, bellum patrī intulit. Ab eō Mithridātēs obsessus in rēgiā, cum venēnō sūmptō parum prōfēcisset ad mortem, ā mīlite Gallō nōmine Bitocō, ā quō ut adiuvāret sē petierat, interfectus est.

Cn. Pompēius Iūdaeōs subēgit, fānum eōrum Hierosolyma, inviolātum ante id tempus, cēpit.

L. Catilīna, bis repulsam in petītiōne cōnsulātūs passus, cum Lentulō praetōre et Cethēgō et complūribus aliīs coniūrāvit dē caede cōnsulum et senātūs, incendiīs urbis et opprimendā rē pūblicā, exercitū quoque in Etrūriā comparātō. Ea coniūrātiō industriā M. Tulliī Cicerōnis ēruta est. Catilīnā urbe pulsō, dē reliquīs coniūrātīs supplicium sūmptum est.

Catilīna ā C. Antōniō prōcōs. cum exercitū caesus *103*
est.

Cōnspīrātiō inter trēs cīvitātis prīncipēs facta est: Cn. Pompēium, M. Crassum, C. Caesarem.

Pompēius dē Mithridāte et Tigrāne, ductīs ante currum līberīs Mithridātis et Tigrāne, Tigrānis fīliō, triumphāvit, 'Magnus'que ā tōtā cōntiōne cōnsalūtātus est.

FINIS POMPEII

[*Ex Eutropiī Breviāriī librō VI*]

17 Annō urbis conditae sescentēsimō nōnāgēsimō tertiō C. Iūlius Caesar cum M. Bibulō cōnsul est factus. Dēcrēta est eī Gallia et Illyricum cum legiōnibus decem. Is prīmus vīcit Helvētiōs, deinde vincendō per bella gravissima ūsque ad ōceanum Britannicum prōcessit. Domuit autem annīs novem ferē omnem Galliam, quae inter Alpēs, flūmen Rhodanum, Rhēnum et Ōceanum est.

[annō 59 a. C.]
M. *Calpurniō* Bibulō
prōvincia Gallia
Helvētiī -ōrum *m*: gēns Gallōrum quī Alpēs inter Rhēnum et Rhodanum incolit
annīs IX: 58–50 a. C.

18 Circā eadem tempora, annō urbis conditae sescentēsimō nōnāgēsimō septimō, M. Licinius Crassus, collēga Cn. Pompēiī Magnī in cōnsulātū secundō, contrā Parthōs missus est, et cum circā Carrhās contrā ōmen et auspicia dīmicāsset, ā Surēnā, Orōdis rēgis duce victus ad postrēmum interfectus est cum fīliō, clārissimō et praestantissimō iuvene.

[annō 55 a. C.]
Carrhae -ārum *f*: cīvitās Mesopotamiae
Surēnās -ae *m*
Orōdēs -is *m*: rēx Parthōrum
ad postrēmum = postrēmō

19 Hinc iam bellum cīvīle successit exsecrandum et lacrimābile, quō praeter calamitātēs quae in proeliīs accidērunt, etiam populī Rōmānī fortūna mūtāta est. Caesar enim rediēns ex Galliā victor coepit poscere alterum cōnsulātum. Contrādictum est ā Mārcellō cōnsule, ā Bibulō, ā Pompēiō, ā Catōne, iussusque dīmissīs exercitibus ad urbem redīre. Propter quam iniūriam ab Arīminō, ubi mīlitēs congregātōs habēbat, adversum patriam cum exercitū vēnit. Cōnsulēs cum Pompēiō senātusque omnis atque ūniversa nōbilitās ex urbe fūgit et in Graeciam trānsiit.

succēdere = sequī
lacrimābilis -e (< lacrimāre) = lacrimōsus
C. *Claudiō* Mārcellō
M. *Porciō* Catōne
iussusque : et (Caesar) iussus est
[annō 49 a. C.]

20 Caesar vacuam urbem ingressus dictātōrem sē fēcit. Inde Hispāniās petiit. Ibi Pompēiī exercitūs validissimōs et fortissimōs cum tribus ducibus, L. Afrāniō, M. Petrēiō, M. Varrōne, superāvit. Inde regressus in Graeciam trānsiit, adversum Pompēium dīmicāvit. Prīmō proeliō victus est et fugātus, ēvāsit tamen, quia nocte interveniente Pompēius sequī nōluit. Deinde in Thessaliā apud Pharsālum, prōductīs utrimque ingentibus cōpiīs, dīmicāvērunt.

L. Afrānius: cōs. annō 60 a. C.
M. *Terentiō* Varrōne
[annō 48 a. C.]

21 Numquam adhūc Rōmānae cōpiae in ūnum neque māiōrēs neque meliōribus ducibus convēnerant, tōtum terrārum orbem facile subāctūrae sī contrā barbarōs dūcerentur. Pugnātum tum est ingentī contentiōne, victusque ad postrēmum Pompēius et castra eius dīrepta sunt. Ipse fugātus Alexandrīam petiit, ut ā rēge Aegyptī (cui tūtor ā senātū datus fuerat propter iuvenīlem eius aetātem) acciperet auxilia. Quī fortūnam magis quam amīcitiam secūtus occīdit Pompēium, caput eius et ānulum Caesarī mīsit. Quō cōnspectō Caesar etiam lacrimās fūdisse dīcitur, tantī virī intuēns caput et generī quondam suī.

subāctūrae: quae subigere potuissent
datus *erat*
generī: Pompēiī uxor *Iūlia*, fīlia Caesaris, VI annīs ante dēcesserat

GRAMMATICA LATINA

Dē vocābulīs faciendīs

(C) *Nōmina ē verbīs*

Nōmina ē verbīs fīunt hīs suffīxīs: *-iō*, *-us*, *-ium*, *-mentum*, *-or*; (adiectīva:) *-bilis*, *-idus*, *-īvus*.

Exempla:

(1) *-iō -ōnis* (*f*) ad thema supīnī adiectum: mūtāt*iō* < mūtāre -āt|um; āct*iō* < agere āct|um;

(2) *-us -ūs* (*m*) ad thema supīnī adiectum: advent*us* < advenīre -vent|um; curs*us* < currere curs|um;

(3) *-ium -ī* (*n*) ad thema praesentis (sine -ā|, -ē|, -ī|) adiectum: iūdic*ium* < iūdicā|re; gaud*ium* < gaudē|re;

(4) *-mentum -ī* (*n*) ad thema praesentis adiectum: ōrnā*mentum* < ōrnāre;

(5) *-or -ōris* (*m*) ad thema praesentis (sine -ē|, -ā|) adiectum: tim*or* < timē|re; am*or* < amā|re;

(6) *-or -ōris* (*m*) ad thema supīnī adiectum: vēnātor < vēnārī -āt|um; dēfēns*or* < dēfendere -ēns|um;

(adiectīva:)

(7) *-(i)bilis -e* ad thema praesentis adiectum (-ē| > -i|): mūtā*bilis* < mūtā|re; horr*ibilis* < horrē|re;

(8) *-idus -a -um* ad thema praesentis (sine -ē|,-ā|) adiectum: tim*idus* < timē|re;

(9) *-īvus -a -um* ad thema supīnī adiectum: imperāt*īvus* < imperāre -āt|um.

PENSVM A

Supplenda sunt nōmina ē verbīs facta:

(1) nāvigāre > —; oppugnāre > —; mūnīre > —; dīvidere > —; exspectāre > —; cōgitāre > —; admīrārī > —; largīrī > —; meditārī > —; dēdere > —; cōnfitērī > —; excurrere > —; colligere > —; cognōscere > —;

(2) exīre > —; dūcere > —; cadere > —; rīdēre > —; cōnspicere > —; gemere > —; lūgēre > —; flēre > —; ūtī > —; discēdere > —; parere > —; vāgīre > —; apparāre > —;

Vocābula nova:
macula
latebra
oblīviō
comparātiō
fīrmāmentum
exōrsus
nāviculārius
temperantia
mānsuētūdō
hūmānitās
ūbertās
frūctus
pāstiō
ūtilitās
irruptiō
pecua
cultūra
decuma
scrīptūra
excursiō
pūblicānus
domicilium
collēctiō
opīniō
longinquitās

dēsīderium
prōgressiō
misericordia
offēnsiō
incommodum
dēlīberātiō
antīquitās
scientia
quaestus
administra
innocentia
facilitās
centuriātus
admurmurātiō
sūmptus
perfugium
rēmex
amoenitās
dēlectātiō
cognitiō
continentia
splendor
querimōnia
gravitās
vīlitās
amplitūdō
opportūnitās
repulsa
petītiō
coniūrātiō
coniūrātus
cōnspīrātiō
vectīgālis
disiūnctus
iniūriōsus
opīmus
perbrevis
ōrnātus
gnāvus
permultī
religiōsus
adventīcius
innocēns
inaudītus
imperātōrius
taeter
tempestīvus
īnsolitus
ingrātus
impudēns
exsecrandus
lacrimābilis
ūndēquīnquāgēsimus

trānsīre > —; adīre > —; redīre > —; plaudere > —; sentīre > —; convenīre > —;

(3) imperāre > —; aedificāre > —; studēre > —; incendere > —; sacrificāre > —; colloquī > —; indicāre > —; dēsīderāre > —;

(4) fīrmāre > —; supplēre > —; vestīre > —; mūnīre > —; impedīre > —; arguere > —; (-ē- > -u-) monēre > —; docēre > —;

(5) dolēre > —; pudēre > —; terrēre > —; horrēre > —; ārdēre > —; pavēre > —; vigēre > —; favēre > —; clāmāre > —; maerēre > —; splendēre > —; furere > —; calēre > —; decēre > —; errāre > —;

(6) līberāre > — [= quī līberat]; gubernāre > —; imperāre > —; condere > —; ulcīscī > —; cēnsēre > —; explōrāre > —; adhortārī > —; docēre > —; servāre > —; prōdere > —; emere > —; succēdere > —; regere > —; largīrī > —; favēre > —;

(adiectīva:)

(7) mīrārī > —; flēre > —; memorāre > —; terrēre > —; crēdere > in—; sānāre > īn—; numerāre > in—;

(8) frīgēre > —; calēre > —; valēre > —; pallēre > —; turbāre > —; cupere > —; rapere > —; splendēre > —; pavēre > —; tumēre > —; avēre > —;

(9) capere > —; vocāre > —; dare > —; agere > —; patī > —.

PENSVM B

Cicerō Lūcullō magnam laudem — [= tribuit]. Is oppida in quibus erant — [= domūs] rēgis et aliās urbēs — [= plūrimās] cēpit. Ut Mēdēa in fugā membra frātris — [= dispersisse] dīcitur, sīc Mithridātēs fugiēns dīvitiās quās in suum rēgnum — [= contulerat] relīquit, quārum — [< colligere] Rōmānōs —. Tigrānēs — permōtus rēgem — [= perculsum] ērēxit et perditum — [= cōnfīrmāvit].

Mercātōrēs quī in Asiā — magnōs — faciunt. Asia enim prōvincia tam — [= opulenta] est ut — agrōrum et varietāte

— [= frūgum] aliīs prōvinciīs —. Multae mercēs ex Asiā —. Equitēs Rōmānī quī vectīgālia exercent — appellantur. Hieme mare nōn est — ad nāvigandum. — reī mīlitāris imperātōrī necessāria est. Nēmō tam — est ut locum — [= sacrum] polluat.

Synōnyma: lābēs et —; clēmentia et —; sententia et —; querēlla et —; īnsōns et —; horribilis et —; prōvocāre et —; arbitrārī et —; sānāre et —; reminīscī et —; obsequī et —; valdē cupere et —; īrātus fierī et —; vetus fierī et —.

Contrāria: quaestus et —; commodum et —; solitus et —; grātus et —; forte et —.


PENSVM C

Quae rēs agēbantur in bellō Mithridāticō?
Dē quā rē Cicerō prīmum dīcit?
Quamobrem Mithridātēs poenam merēbat?
Quī imperātōrēs dē Mithridāte iam triumphāverant?
Quibus Rōmānī propter sociōs bellum intulērunt?
Cūr vectīgālia Asiae māiōra sunt quam cēterārum prōvinciārum?
Quī vectīgālia exercent in prōvinciīs Rōmānīs?
Quid ēgit Lūcullus initiō bellī Mithridāticī?
Quās rēs Cicerō silentiō praeterit?
Cūr haud difficile est imperātōrem dēligere?
Quās rēs in summō imperātōre inesse oportet?
Quōmodo Pompēius scientiam reī mīlitāris adeptus erat?
Quibus bellīs Pompēius interfuerat?
Quid imperātōrēs in prōvinciīs facere cōnsuēvērunt?
Cūr Cicerō timidē et pauca dīcit dē fēlīcitāte?

lacessere
expetere
inveterāscere
ēmergere
affingere
retardāre
commendāre
exportāre
antecellere
pēnsitāre
negōtiārī
impertīre
dēprimere
opīnārī
praedicāre
dissipāre
congerere
tardāre
afflīgere
recreāre
medērī
concertāre
concupīscere
attenuāre
adōrnāre
dēprōmere
īrāscī
recordārī
remorārī
dēvocāre
īnflāre
minitārī
obtemperāre
obsecundāre
prōficere
coniūrāre
ēruere
cōnsalūtāre
propter esse
cōnsultō
quōcumque

CUMPA
FRICANUSHIC
PAULIFILIUSFE
RIISLATINISTU
DITANOCONS
ETAQUILIOCON
TITUISSETINHO
TISESSEFAMI
LIARISSIMIQ
EIUSADEUM
FREQUENTER
PEREOSDIES
UENTATUROS
SEESSEDIXISSEN

Ex librō antīquō pāginae 58 columna altera



Senātōrēs Rōmānī

DE RE PVBLICA

[*Ex M. Tulliī Cicerōnis Dē rē pūblicā librīs*]

Persōnae:	*P. Scīpiō Aemiliānus Āfricānus, senex*	cōs. annō 147 et 134 a. C.
	Q. Aelius Tūberō, iuvenis	tr. pl. annō 129 a. C.
	L. Fūrius Philus, senior	cōs. annō 136 a. C.
	P. Rutilius Rūfus, adulēscēns	cōs. annō 105 a. C.
	C. Laelius, senex	cōs. annō 140 a. C.
	Sp. Mummius, senex	frāter L. Mummiī (cōs. annō 146 a. C.)
	C. Fannius, iuvenis	cōs. annō 122 a. C., gener C. Laeliī
	Q. Mūcius Scaevola, iuvenis	cōs. annō 117 a. C., gener C. Laeliī
	M'. Mānīlius, senex	cos. annō 149 a. C.

1 *Fēriae Latīnae*

14 Cum P. Āfricānus, hic Paulī fīlius, fēriīs Latīnīs Tudi-tānō cōnsule et Aquīliō, cōnstituisset in hortīs esse familiārissimīque eius 'ad eum frequenter per eōs diēs ventitātūrōs sē esse' dīxissent, Latīnīs ipsīs māne ad eum

fēriae -ārum *f* = diēs fēstus; f. Latīnae quotannīs in monte Albānō celebrantur
[annō 129 a. C.]
in hortīs : in vīllā
ventitāre = saepe venīre
fēriīs Latīnīs

prīmus sorōris fīlius vēnit Q. Tūberō. Quem cum cōmiter Scīpiō appellāvisset libenterque vīdisset, "Quid tū" inquit "tam māne, Tūberō? Dabant enim hae fēriae tibi opportūnam sānē facultātem ad explicandās tuās litterās."

Tum ille: "Mihi vērō omne tempus est ad meōs librōs vacuum, numquam enim sunt illī occupātī. Tē autem permagnum est nancīscī ōtiōsum, hōc praesertim mōtū reī pūblicae."

Tum Scīpiō: "Atquī nactus es, sed mehercule ōtiōsiōrem operā quam animō."

Et ille: "At tū vērō animum quoque relaxēs oportet. Sumus enim multī, ut cōnstituimus, parātī, sī tuō commodō fierī potest, abūtī tēcum hōc ōtiō."

[*Scīpiō*]: "Libente mē vērō, ut aliquid aliquandō dē doctrīnae studiīs admoneāmur."

Tum ille: "Vīsne igitur hoc prīmum, Āfricāne, videāmus, antequam veniunt aliī, quidnam sit dē istō 'alterō sōle' quod nūntiātum est in senātū? Neque enim paucī neque levēs sunt quī 'sē duōs sōlēs vīdisse' dīcant."

Hīc Scīpiō: "Quam vellem Panaetium nostrum nōbīscum habērēmus! quī cum cētera, tum haec caelestia vel studiōsissimē solet quaerere. Sed ego, Tūberō, (nam tēcum apertē quod sentiō loquar) nōn nimis assentior in omnī istō genere nostrō illī familiārī. Quō etiam sapientiōrem Sōcratem soleō iūdicāre, quī omnem eius modī cūram dēposuerit eaque quae dē nātūrā quaererentur

Q. *Aelius* Tūberō

Quid tū *venīs*...

facultās = occāsiō
litterās explicāre : librōs ēvolvere

occupātus ↔ ōtiōsus
nancīscī nactum = adipīscī, invenīre (rem n.or = rēs mihi datur)
hōc mōtū: sēditiōne Gracchōrum
atquī = at tamen
mē ōtiōsum nactus es

re-laxāre = remittere
tū relaxēs oportet = tē relaxāre oportet

ab-ūtī = plānē ūtī

aliquandō = tandem aliquandō

ut hoc... videāmus

ille 'alter sōl' prōdigium habēbātur

Panaetius -ī *m*: philosophus Stōicus, amīcus Scīpiōnis
nostrum : amīcum
vel (+ *sup*) = sānē

nostrō illī familiārī : Panaetiō
quō sapientiōrem = s. quam illum
eius modī cūram : rērum caelestium c.
dē nātūrā *mundī*

aut ‘māiōra quam hominum ratiō cōnsequī possit’ aut ‘nihil omnīnō ad vītam hominum attinēre’ dīxerit.”

17 Haec Scīpiō cum dīxisset, L. Fūrium repente venientem aspexit, eumque ut salūtāvit, amīcissimē apprehendit et in lectō suō collocāvit, et cum simul P. Rutilius vēnisset, eum quoque ut salūtāvit, propter Tūberōnem iussit assīdere.

Tum Fūrius: “Quid vōs agitis? Num sermōnem vestrum aliquem dirēmit noster interventus?”

“Minimē vērō!” Āfricānus, “Solēs enim tū haec studiōsē investīgāre quae sunt in hōc genere dē quō īnstituerat paulō ante Tūberō quaerere; Rutilius quidem noster etiam sub ipsīs Numantiae moenibus solēbat mēcum interdum eius modī aliquid conquīrere.”

“Quae rēs tandem inciderat?” inquit Philus.

Tum ille: “Dē sōlibus istīs duōbus. Dē quō studeō, Phile, ex tē audīre quid sentiās.”

18 Dīxerat hoc ille, cum puer nūntiāvit ‘venīre ad eum Laelium domōque iam exīsse.’ Tum Scīpiō, calceīs et vestīmentīs sūmptīs, ē cubiculō est ēgressus et, cum paululum inambulāvisset in porticū, Laelium advenientem salūtāvit et eōs qui ūnā vēnerant, Spurium Mummium, quem in prīmīs dīligēbat, et C. Fannium et Quīntum Scaevolam, generōs Laeliī, doctōs adulēscentēs, iam aetāte quaestōriōs. Quōs cum omnēs salūtāvisset, convertit sē in porticū et coniēcit in medium Laelium (fuit enim hoc in amīcitiā quasi quoddam iūs inter

ratiō = mēns prūdēns
at-tinēre = pertinēre
L. Fūrium *Philum*
P. Rutilius *Rūfus*
propter = prope
as-sīdere (< ad-) = cōnsīdere
agere = colloquī (dē)
dirimere = abrumpere
interventus -ūs *m* < inter-venīre
inquit Āfricānus
in-vestīgāre = quaerere, explōrāre
con-quīrere = quaerere, investīgāre
quae rēs : quī sermō
studēre (+ *inf*) = cupere
puer = servus
C. Laelius: cōnsulāris nōbilissimus, amīcus Scīpiōnis
paululum = paulum
ūnā *cum eō*
in prīmīs = prae cēterīs, praecipuē
Q. *Mūcium* Scaevolam
quaestōrius -a -um < quaestor; aetāte q. : c. XXX annōs nātus
coniēcit : collocāvit

domī ↔ mīlitiae
vicissim = contrā (*adv*)

per- = valdē ...
ūnō aut alterō spatiō : dum semel aut bis spatium porticūs ambulant
placitum est = placuit *iīs*
aprīcus -a -um = sōlī apertus (↔ opācus)
prātum/-ulum -ī *n* = ārea herbā operta

iūcundus : grātus

M'. Mānīlius: cōs. annō 149 a. C. Carthāginem obsidēre coepit

illōs, ut mīlitiae propter eximiam bellī glōriam Āfricānum ut deum coleret Laelius, domī vicissim Laelium, quod aetāte antecēdēbat, observāret in parentis locō Scīpiō). Dein, cum essent perpauca inter sē ūnō aut alterō spatiō collocūtī Scīpiōnīque eōrum adventus periūcundus et pergrātus fuisset, placitum est ut in aprīcō māximē prātulī locō, quod erat hībernum tempus annī, cōnsīderent. Quod cum facere vellent, intervēnit vir prūdēns omnibusque illīs et iūcundus et cārus, M'. Mānīlius, quī ā Scīpiōne cēterīsque amīcissimē cōnsalūtātus assēdit proximus Laeliō.

19 Tum Philus “Nōn mihi vidētur” inquit, “quod hī vēnērunt, alius nōbīs sermō esse quaerendus, sed agendum accūrātius et dīcendum dignum aliquid hōrum auribus.”

Hīc Laelius: “Quid tandem agēbātis, aut cui sermōnī nōs intervenīmus?”

-*ie*rat = -*īv*erat

duo *acc m* = duōs

nōbīs : ā nōbīs

sī-quidem = quoniam

domī : in ‘domō’ nostrā

paries -etis *m* = mūrus domūs

[*Philus:*] “Quaesierat ex mē Scīpiō ‘quidnam sentīrem dē hōc quod duo sōlēs vīsōs esse cōnstāret?’”

[*Laelius:*] “Ain’ vērō, Phile? Iam explōrāta nōbīs sunt ea quae ad domōs nostrās quaeque ad rem pūblicam pertinent, sīquidem quid agātur in caelō quaerimus?”

Et ille [*Philus*]: “An tū ad domōs nostrās nōn cēnsēs pertinēre scīre quid agātur et quid fīat ‘domī’? quae nōn ea est quam parietēs nostrī cingunt, sed mundus hic tōtus, quod domicilium quamque patriam dī nōbīs commūnem sēcum dedērunt — cum praesertim, sī haec

ignōrēmus, multa nōbīs et magna ignōranda sint. Ac mē quidem — ut hercule etiam tē ipsum, Laelī, omnēsque avidōs sapientiae — cognitiō ipsa rērum cōnsīderātiōque dēlectat."

20 Tum Laelius: "Nōn impediō, praesertim quoniam fēriātī sumus. Sed possumus audīre aliquid, an sērius venīmus?"

[*Philus:*] "Nihil est adhūc disputātum, et, quoniam est integrum, libenter tibi, Laelī, ut dē eō disserās equidem concesserō."

[*Laelius:*] "Immō vērō tē audiāmus."

[*Cum deinde Philus et Scīpiō et Tūberō parumper dē rēbus caelestibus disputāvissent — velut dē certīs et ratīs astrōrum mōtibus, quōs Archimēdēs Syrācūsānus in globō sīve sphaerā aēneā arte mīrābilī effectā dēclārāvisse dīcitur —, Laelius, quī eius modī disputātiōnēs tamquam inūtilēs contemnēbat, 'alia quaedam māiōra quaerenda esse' dīxit.*]

31 Tum Tūberō: "Nōn dissentiō ā tē, Laelī, sed quaerō quae tū esse māiōra intellegās?"

[*Laelius:*] "Dīcam mehercule, et contemnar ā tē fortasse, cum tū ista caelestia dē Scīpiōne quaesieris, ego autem haec quae videntur ante oculōs esse magis putem quaerenda. Quid enim mihi L. Paulī nepōs, hōc avunculō, nōbilissimā in familiā atque in hāc tam clārā rē pūblicā nātus, quaerit 'quōmodo duo sōlēs vīsī sint?' — nōn quaerit 'cūr in ūnā rē pūblicā duo senātūs et duo paene iam populī sint?' Nam, ut vidētis, mors Tiberiī

hercule = mehercule

cōnsīderātiō -ōnis *f* < cōnsīderāre

nōn impediō *sermōnem*
fēriātus -a -um = quī fēriās celebrat
sērō ↔ mātūrē; *comp* sērius (= nimis sērō)

dis-putāre = disserere (prō/contrā)

concesserō = statim concēdam

parum-per = paulisper

ratus -a -um = computātus, ratiōne cōnstitūtus

globus -ī *m* s. sphaera -ae *f*



disputātiō -ōnis *f* < disputāre
dis-sentīre ↔ cōnsentīre

quid (mihi) : cūr
L. Paulī nepōs: Q. Tūberō, cuius māter fuit fīlia Paulī
hōc avunculō : cui est hic avunculus (Scīpiō)

Gracchī et iam ante tōta illīus ratiō tribūnātūs dīvīsit populum ūnum in duās partēs. Quam ob rem — sī mē 32
audiētis, adulēscentēs — sōlem alterum nē metueritis! Aut enim nūllus esse potest, aut sit sānē ut vīsus est, modo nē sit molestus; aut scīre istārum rērum nihil, aut, etiam sī māximē sciēmus, nec meliōrēs ob eam scientiam nec beātiōrēs esse possumus. Senātum vērō et populum ut ūnum habeāmus, et fierī potest, et permolestum est nisi fit, et secus esse scīmus, et vidēmus, sī id effectum sit, et melius nōs esse vīctūrōs et beātius."

Tum Mūcius: "Quid esse igitur cēnsēs, Laelī, discen- 33
dum nōbīs, ut istud efficere possīmus ipsum quod postulās?"

[*Laelius:*] "Eās artēs quae efficiant ut ūsuī cīvitātī sīmus; id enim esse praeclārissimum sapientiae mūnus māximumque virtūtis vel documentum vel officium putō. Quam ob rem, ut hae fēriae nōbīs ad ūtilissimōs reī pūblicae sermōnēs potissimum cōnferantur, Scīpiōnem rogēmus ut explicet quem exīstimet esse optimum statum cīvitātis. Deinde alia quaerēmus."

Cum id et Philus et Mānīlius et Mummius admodum 34
approbāvissent...

[*Hīc duae pāginae vel* XVI *versūs ē librō antīquō excidērunt.*]

[*Laelius:*] "... id nōn sōlum ob eam causam fierī voluī quod erat aequum dē rē pūblicā potissimum prīncipem reī pūblicae dīcere, sed etiam quod memineram per-

ratiō tribunātūs *gerendī*

modo (+ *coni*) = dummodo

scīre istārum rērum nihil *possumus*

per-molestus -a -um

secus = nōn ita, aliter

istud ipsum

ūsuī esse = ūtilis esse

mūnus = officium

virtūtis documentum = exemplum quō virtūs docētur

explicāre = (rem difficilem) explānāre

ap-probāre = probāre

ex-cidere -cidisse < ex- + cadere

prīncipem reī pūblicae : Scīpiōnem

per-saepe

saepe tē cum Panaetiō disserere solitum cōram Polybiō, duōbus Graecīs vel perītissimīs rērum cīvīlium, multaque colligere ac docēre 'optimum longē statum cīvitātis esse eum quem māiōrēs nostrī nōbīs relīquissent.' Quā in disputātiōne quoniam tū parātior es, fēceris (ut etiam prō hīs dīcam), sī dē rē pūblicā quid sentiās explicāris, nōbīs grātum omnibus." ...

solēre sol*itum esse*

Polybius -ī *m*: historicus Graecus, post bellum Macedonicum III Rōmam missus amīcus fuit Scīpiōnis et rēs Rōmānās Graecē scrīpsit

hīs: cēterīs praesentibus
nōbīs omnibus grātum (rem grātam) fēceris, sī...

Dē tribus rērum pūblicārum generibus

38 Hīc Scīpiō: "Faciam quod vultis, ut poterō, et ingrediar in disputātiōnem eā lēge (quā crēdō omnibus in rēbus disserendīs ūtendum esse, sī errōrem velīs tollere) ut eius reī dē quā quaerētur sī nōmen quod sit conveniat, explicētur quid dēclārētur eō nōmine; quod sī convēnerit, tum dēmum decēbit ingredī in sermōnem. Numquam enim *quāle* sit illud dē quō disputābitur intellegī poterit, nisi *quid* sit fuerit intellēctum prius. Quārē, quoniam dē rē pūblicā quaerimus, hoc prīmum videāmus: quid sit id ipsum quod quaerimus."

ingredī in = inīre, incipere

ut, sī conveniat (inter nōs) quod nōmen sit eius reī...
dēclārāre = significāre

numquam enim intellegī poterit quāle sit..., nisi prius intellēctum *erit* quid sit...

39 Cum approbāvisset Laelius, "Est igitur" inquit Āfricānus "rēs pūblica 'rēs populī', populus autem nōn omnis hominum coetus quōquō modō congregātus, sed coetus multitūdinis iūris cōnsēnsū et ūtilitātis commūniōne sociātus..."

coetus -ūs *m* < co-īre
quō-quō = quōcumque
commūniō -ōnis *f* < commūnis
sociāre = cōnsociāre

[*Excidērunt duae pāginae.*]

41 [*Scīpiō*:] "Hī coetūs igitur sēdem prīmum certō locō domiciliōrum causā cōnstituērunt; quam cum locīs

locīs: locōrum nātūrā

manūque saepsissent, eius modī coniūnctiōnem tēctōrum ‘oppidum’ vel ‘urbem’ appellāvērunt dēlūbrīs distīnctam spatiīsque commūnibus.

“Omnis ergō populus, quī est tālis coetus multitūdinis quālem exposuī, omnis cīvitās, quae est cōnstitūtiō populī, omnis rēs pūblica, quae (ut dīxī) ‘populī rēs’ est, cōnsiliō quōdam regenda est, ut diūturna sit. Id autem cōnsilium aut *ūnī* tribuendum est, aut *dēlēctīs* *42*
quibusdam, aut suscipiendum est *multitūdinī* atque omnibus.

“Cum penes ūnum est omnium summa rērum, ‘rēgem’ illum ūnum vocāmus et ‘rēgnum’ eius reī pūblicae statum. Cum autem est penes dēlēctōs, tum illa cīvitās ‘optimātium’ arbitriō regī dīcitur. Illa autem est cīvitās ‘populāris’ (sīc enim appellant) in quā in populō sunt omnia.

“Atque hōrum trium generum quodvīs, sī teneat illud vinculum quod prīmum hominēs inter sē reī pūblicae societāte dēvīnxit, nōn perfectum illud quidem neque meā sententiā optimum est, sed tolerābile tamen. Nam vel rēx aequus et sapiēns, vel dēlēctī ac prīncipēs cīvēs, vel ipse populus, quamquam id est minimē probandum, tamen, nūllīs interiectīs inīquitātibus aut cupiditātibus, posse vidētur aliquō esse nōn incertō statū.

“Sed et in rēgnīs nimis expertēs sunt cēterī commūnis *43*
iūris et cōnsiliī; et in optimātium dominātū vix particeps lībertātis potest esse multitūdō, cum omnī cōnsiliō

coniūnctiō -ōnis *f* < coniungere
di-stinguere -stīnxisse -stīnctum = dīvidere inter sē/ab aliīs, īnsignem facere; (rē) distīnctus : īnsignis

cōnstitūtiō (-ōnis *f*) populī = populus cōnstitūtus (ōrdinātus)

summa omnium rērum = summa imperiī

Graecē dīcuntur tria genera cīvitātis: (1) rēgnum *monarchía*, (2) optimātium *aristocratía*, (3) populāris *dēmocratía*
populāris -e < populus

quod-vīs = quodcumque vīs

dē-vincīre = vincīre

aequus = iūstus (↔ in-īquus = in-iūstus)

inter-iectīs : adiectīs
inīquitās -ātis *f* < inīquus
aliquō nōn incertō statū esse : satis cōnstāns esse

dominātus -ūs *m* = dominātiō
particeps -cipis ↔ expers

commūnī ac potestāte careat; et cum omnia per populum geruntur quamvīs iūstum atque moderātum, tamen ipsa aequābilitās est inīqua, cum habet nūllōs gradūs dignitātis...

quam-vīs iūstus = etiam sī iūstissimus est
aequābilitās -ātis *f* < *aequābilis* -e = aequus

45 "Itaque quārtum quoddam genus reī pūblicae māximē probandum esse sentiō, quod est ex hīs quae prīma dīxī permixtum tribus."

ex hīs tribus

46 Hīc Laelius: "Sciō tibi ita placēre, Āfricāne, saepe enim ex tē audīvī; sed tamen, nisi molestum est, ex tribus istīs modīs rērum pūblicārum velim scīre quod optimum iūdicēs."

nisi *tibi* molestum est
quod *genus*

[*Excidērunt aliquot pāginae.*]

[*Scīpiō, cum dē singulīs rērum pūblicārum generibus disputāvisset, dīxit 'nūllum ipsum per sē probandum esse.'*]

69 [*Scīpiō:*] "Quod ita cum sit, ex tribus prīmīs generibus longē praestat meā sententiā rēgium, rēgiō autem ipsī praestābit id quod erit aequātum et temperātum ex tribus prīmīs rērum pūblicārum modīs. Placet enim esse quiddam in rē pūblicā praestāns et rēgāle, esse aliud auctōritātī prīncipum impartītum ac tribūtum, esse quāsdam rēs servātās iūdiciō voluntātīque multitūdinis. Haec cōnstitūtiō prīmum habet aequābilitātem quandam magnam, quā carēre diūtius vix possunt līberī, deinde fīrmitūdinem — quod et illa prīma facile in contrāria vitia convertuntur, ut exsistat ex rēge dominus, ex optimātibus factiō, ex populō turba et cōnfūsiō.

temperāre = (certā ratiōne) miscēre ac mūtāre
im-partīre = impertīre
fīrmitūdō -inis *f* < fīrmus
ex-sistere -stitisse = orīrī
dominus : tyrannus
turba (< turbāre) = cōnfūsiō -ōnis *f* (< cōnfundere) = tumultus

"Sed vereor, Laelī vōsque hominēs amīcissimī ac prū- *70*
dentissimī, nē, sī diūtius in hōc genere verser, quasi
praecipientis cuiusdam et docentis et nōn vōbīscum
simul cōnsīderantis esse videātur ōrātiō mea. Quam ob
rem ingrediar in ea quae nōta sunt omnibus, quaesīta
autem ā nōbīs iam diū. Sīc enim dēcernō, sīc sentiō, sīc
affīrmō: nūllam omnium rērum pūblicārum aut cōnsti-
tūtiōne aut discrīptiōne aut disciplīnā cōnferendam esse
cum eā quam patrēs nostrī nōbīs acceptam iam inde ā
māiōribus relīquērunt. Quam — sī placet — simul et
quālis sit et optimam esse ostendam, expositāque ad
exemplum nostrā rē pūblicā, accommodābō ad eam, sī
poterō, omnem illam ōrātiōnem quae est mihi habenda
dē optimō cīvitātis statū."

(vir) praecipiēns, docēns = magister, doctor

dēcernere = statuere, cēnsēre

discrīptiō -ōnis *f* < dī-scrībere; d.ōne *potestātis*

: simul ostendam et quālis sit (ea rēs pūblica) et eam optimam esse

ac-commodāre = aptum facere

Dē vetere rē pūblicā Rōmānā *II*

Cum omnēs flagrārent cupiditāte audiendī, ingressus *1*
est sīc loquī Scīpiō:

"Catō senex (quem, ut scītis, ūnicē dīlēxī māximēque
sum admīrātus) dīcere solēbat 'ob hanc causam prae- *2*
stāre nostrae cīvitātis statum cēterīs cīvitātibus: quod in
illīs singulī fuissent ferē quī suam quisque rem pū-
blicam cōnstituissent lēgibus atque īnstitūtīs suīs (ut
Crētum Mīnōs, Lacedaemoniōrum Lycūrgus, Athēni-
ēnsium, quae persaepe commūtāta esset, tum Thēseus,
tum Dracō, tum Solō, tum Clīsthenēs, tum multī aliī),
nostra autem rēs pūblica nōn ūnīus esset ingeniō, sed

senex: M. Porcius Catō annum LXXXV agēns dēcessit annō 149 a. C.

ferē = plērumque

Crētēs -um *m* = Crētēnsēs

Lycūrgus Lacedaemoniīs lēgēs dedisse dīcitur

Dracō -ōnis *m*: lēgēs Athēniēnsibus dedit sevērissimās

Clīsthenēs -is *m*: exāctō Hippiā tyrannō lēgēs aequās dedit

multōrum, nec ūnā hominis vītā, sed aliquot cōnstitūta saeculīs et aetātibus. Nam neque ūllum ingenium tantum exstitisse' dīcēbat 'ut, quem rēs nūlla fugeret, quisquam aliquandō fuisset, neque cūncta ingenia collāta in ūnum tantum posse ūnō tempore prōvidēre, ut omnia
3 complecterentur, sine rērum ūsū ac vetustāte.' Quam ob rem, ut ille solēbat, ita nunc mea repetet ōrātiō populī Rōmānī 'orīginem' — libenter enim etiam verbō ūtor Catōnis. Facilius autem quod est prōpositum cōnsequar, sī nostram rem pūblicam vōbīs et nāscentem et crēscentem et adultam et iam fīrmam atque rōbustam ostenderō, quam sī mihi aliquam, ut apud Platōnem Sōcratēs, ipse fīnxerō."

4 Hoc cum omnēs approbāvissent, "Quod habēmus" inquit "īnstitūtae reī pūblicae tam clārum ac tam omnibus nōtum exōrdium quam huius urbis condendae prīncipium profectum ā Rōmulō? Quī patre Mārte nātus cum Remō frātre dīcitur ab Amūliō, rēge Albānō, ob labefactandī rēgnī timōrem ad Tiberim expōnī iussus esse. Quō in locō cum esset silvestris bēluae sustentātus ūberibus pāstōrēsque eum sustulissent et in agrestī cultū labōreque aluissent, perhibētur, ut adolēverit, et corporis vīribus et animī ferōcitāte tantum cēterīs praestitisse ut omnēs quī tum eōs agrōs ubi hodiē est haec urbs incolēbant aequō animō illī libenterque pārērent. Quōrum cōpiīs cum sē ducem praebuisset — ut iam ā fābulīs ad facta veniāmus — oppressisse Longam

nōn ūnīus sed multōrum ingeniō cōnstitūta esset
: 'nam neque quemquam umquam exstitisse' dīcēbat 'quī tantō ingeniō esset ut eum rēs nūlla fugeret'
rēs eum fugit = rēs eī ignōta est

Catō librōs suōs dē rēbus gestīs Rōmānōrum *Orīginēs* īnscrīpsit

adultus -a -um = quī iam adolēvit
Platō in librīs suīs Sōcratem dē rē pūblicā fictā loquentem facit

labefactāre = quassāre; timor rēgnī l.andī = t. nē rēgnum labefactētur
silvestris -e < silva
bēlua -ae *f* = fera
sustentāre : alere

per-hibēre = habēre, exīstimāre; perhibētur : nārrātur
ferōcitās -ātis *f* < ferōx

haec urbs : Rōma

Albam, validam urbem et potentem temporibus illīs,
Amūliumque rēgem interēmisse fertur.

“Quā glōriā partā, urbem auspicātō condere et fīr- *5*
māre dīcitur prīmum cōgitāvisse rem pūblicam. Atque *12*
haec quidem perceleriter cōnfēcit. Nam et urbem cōn-
stituit, quam ē suō nōmine ‘Rōmam’ iussit nōminārī, et
ad fīrmandam novam cīvitātem novum quoddam et
subagreste cōnsilium, sed ad mūniendās opēs rēgnī ac
populī suī magnī hominis et iam tum longē prōvidentis
secūtus est, cum Sabīnās honestō ortās locō virginēs,
quae Rōmam lūdōrum grātiā vēnissent (quōs tum prī-
mum anniversāriōs in circō facere īnstituisset), rapī ius-
sit eāsque in familiārum amplissimārum mātrimōniīs
collocāvit. Quā ex causā cum bellum Rōmānīs Sabīnī *13*
intulissent proeliīque certāmen varium atque anceps
fuisset, cum T. Tatiō, rēge Sabīnōrum, foedus īcit —
mātrōnīs ipsīs quae raptae erant ōrantibus. Quō foedere
et Sabīnōs in cīvitātem ascīvit, sacrīs commūnicātīs, et
rēgnum suum cum illōrum rēge sociāvit.

“Post interitum autem Tatiī cum ad eum dominātus *14*
omnis reccidisset, quamquam cum Tatiō in rēgium cōn-
silium dēlēgerat prīncipēs (quī appellātī sunt propter
cāritātem ‘patrēs’) populumque et suō et Tatiī nōmine
et Lucumōnis (quī Rōmulī socius in Sabīnō proeliō
occiderat) in tribūs trēs cūriāsque trīgintā discrīpserat
(quās cūriās eārum nōminibus nūncupāvit quae ex Sa-
bīnīs virginēs raptae posteā fuerant ōrātrīcēs pācis et

fertur = nārrātur

per-celeriter

sub-agrestis -e = satis agrestis (rūsticus)
magnī hominis *cōnsilium*

honestō locō (ortus/nātus) : parentibus honestīs

in mātrimōniō collocāre = in mātrimōnium dare

a-scīscere -īvisse = (socium) assūmere
commūnicāre = commūnem facere

interitus -ūs *m* (< inter-īre) = mors
re-cidere reccidisse < re- + cadere

tribūs (vel centuriae) trēs: Ramnēnsēs, Titiēnsēs, Lucerēs
nūncupāre = nōmināre

ōrātrīx -īcis *f* = quae ōrat

foederis) — sed quamquam ea Tatiō sīc erant discrīpta vīvō, tamen eō interfectō multō etiam magis Rōmulus patrum auctōritāte cōnsiliōque rēgnāvit.

15 "Quō factō, prīmum vīdit iūdicāvitque idem quod Spartae Lycūrgus paulō ante vīderat: singulārī imperiō et potestāte rēgiā tum melius gubernārī et regī cīvitātēs sī esset optimī cuiusque ad illam vim dominātiōnis adiūncta auctōritās. Itaque, hōc cōnsiliō et quasi senātū fultus et mūnītus, et bella cum fīnitimīs fēlīcissimē multa gessit et, cum ipse nihil ex praedā domum suam reportāret, locuplētāre cīvēs nōn dēstitit.

16 "Tunc — id quod retinēmus hodiē magnā cum salūte reī pūblicae — auspiciīs plūrimum obsecūtus est Rōmulus. Nam et ipse — quod prīncipium reī pūblicae fuit — urbem condidit auspicātō, et, omnibus pūblicīs rēbus īnstituendīs quī sibi essent in auspiciīs, ex singulīs tribubus singulōs cooptāvit augurēs.

17 "Ac Rōmulus, cum septem et trīgintā rēgnāvisset annōs et haec ēgregia duo fīrmāmenta reī pūblicae peperisset, auspicia et senātum, tantum est cōnsecūtus ut, cum subitō sōle obscūrātō nōn compāruisset, deōrum in numerō collocātus putārētur. Quam opīniōnem nēmō umquam mortālis assequī potuit sine eximiā virtūtis
20 glōriā. Profectō tanta fuit in eō vīs ingeniī atque virtūtis, ut id dē Rōmulō Proculō Iūliō, hominī agrestī, crēderētur quod multīs iam ante saeculīs nūllō aliō dē mortālī hominēs crēdidissent: quī impulsū patrum,

Tatiō vīvō

optimus quisque = bonī omnēs

fulcīre -sisse -tum = sustinēre, fīrmāre

locuplētāre = locuplētem facere

in auspiciīs esse = auspicārī

co-optāre = (collēgam sibi) ascīscere

ex singulīs tribubus singulōs cooptāvit augurēs, quī sibi essent in auspiciīs omnibus pūblicīs rēbus īnstituendīs

obscūrāre = obscūrum facere

com-pārēre = appārēre

opīniō : fāma

as-sequī = cōnsequī, adipīscī

ut Proculō Iūliō id dē Rōmulō *dīcentī* crēderētur dē nūllō aliō

impulsus -ūs *m* < impellere; i.ū patrum: ā patribus impulsus

quō (+ *coni*) = ut eō (ut eō modō)
vīsum esse R. in eō colle quī... vocātur
cūnābula -ōrum *n* = cūnae
ratiōne ad disputandum : r. (modō) disputandī
quō nēmō praestantior fuit = quī praestantissimus fuit omnium
ārea = spatium ad domum aedificandam
arbitrātus -ūs *m* = arbitrium, voluntās
exemplar -āris *n* = exemplum (ad imitandum)
tribuere aliīs : ab aliīs reperta esse dīcere
tantum *honōris* tribuisset
temptāret ut regeret = temptāret regere
excessus -ūs *m* (< excēdere) = mors

quō illī ā sē invidiam interitūs Rōmulī pellerent, in cōn-
tiōne dīxisse fertur 'ā sē vīsum esse in eō colle Rōmu-
lum quī nunc Quirīnālis vocātur; eum sibi mandāsse
ut populum rogāret ut sibi eō in colle dēlūbrum fieret:
sē deum esse et Quirīnum vocārī.'

"Vidētisne igitur ūnīus virī cōnsiliō nōn sōlum ortum *21*
novum populum neque ut in cūnābulīs vāgientem relic-
tum, sed adultum iam et paene pūberem?"

Tum Laelius: "Nōs vērō vidēmus, et tē quidem in-
gressum ratiōne ad disputandum novā, quae nusquam
est in Graecōrum librīs. Nam prīnceps ille, quō nēmō in
scrībendō praestantior fuit, āream sibi sūmpsit in quā
cīvitātem exstrueret arbitrātū suō, praeclāram ille qui-
dem fortasse, sed ā vītā hominum abhorrentem et mōri-
bus. Reliquī disseruērunt sine ūllō certō exemplārī fōr- *22*
māque reī pūblicae dē generibus et dē ratiōnibus cīvitā-
tum. Tū mihi vidēris utrumque factūrus: es enim ita
ingressus ut quae ipse reperiās tribuere aliīs mālīs quam
(ut facit apud Platōnem Sōcratēs) ipse fingere, et dispu-
tēs nōn vagantī ōrātiōne, sed dēfīxā in ūnā rē pūblicā.
Quārē perge ut īnstituistī; prōspicere enim iam videor,
tē reliquōs rēgēs persequente, quasi perfectam rem
pūblicam."

"Ergō" inquit Scīpiō, "cum ille Rōmulī senātus (quī *23*
cōnstābat ex optimātibus quibus ipse rēx tantum tri-
buisset ut eōs 'patrēs' vellet nōminārī 'patriciōs'que eō-
rum līberōs) temptāret post Rōmulī excessum ut ipse

regeret sine rēge rem pūblicam, populus id nōn tulit dēsīderiōque Rōmulī posteā rēgem flāgitāre nōn dēstitit; cum prūdenter illī prīncipēs novam et inaudītam cēterīs gentibus 'interrēgnī' ineundī ratiōnem excōgitāvērunt, ut, quoad certus rēx dēclārātus esset, nec sine rēge cīvitās nec diūturnō rēge esset ūnō.

flāgitāre = vehementer poscere
cum : tum

24 "Quō quidem tempore novus ille populus vīdit tamen id quod fūgit Lacedaemonium Lycūrgum, quī rēgem nōn dēligendum dūxit (sī modo hoc in Lycūrgī potestāte potuit esse), sed habendum, quāliscumque is foret, quī modo esset Herculis stirpe generātus. Nostrī illī etiam tum agrestēs vīdērunt virtūtem et sapientiam rēgālem, nōn prōgeniem quaerī oportēre.

dūxit = putāvit
sed *rēgem* habendum *eum* quī...
quālis-cumque
generāre = gignere
prōgeniēs = stirps (: gentis orīgō)

25 "Quibus cum esse praestantem Numam Pompilium fāma ferret, praetermissīs suīs cīvibus rēgem alienigenam patribus auctōribus sibi ipse populus ascīvit eumque ad rēgnandum Sabīnum hominem Rōmam Curibus accīvit. Quī hūc ut vēnit, hominēs Rōmānōs īnstitūtō Rōmulī bellicīs studiīs ut vīdit incēnsōs, exīstimāvit eōs paulum ab illā cōnsuētūdine esse revocandōs.

quibus : virtūte et sapientiā rēgālī
alieni-gena -ae *m* = in aliēnā patriā genitus, peregrīnus
īnstitūtum = mōs

26 "Ac prīmum agrōs quōs bellō Rōmulus cēperat dīvīsit virītim cīvibus docuitque sine dēpopulātiōne atque praedā posse eōs colendīs agrīs abundāre commodīs omnibus, amōremque iīs ōtiī et pācis iniēcit, quibus facillimē iūstitia et fidēs convalēscit et quōrum patrōciniō māximē cultus agrōrum perceptiōque frūgum dēfenditur. Īdemque Pompilius et auspiciīs māiōribus in-

virītim = singulīs virīs
dēpopulātiō -ōnis *f* < dēpopulārī
abundāre (rē) = abundē habēre (reī)
perceptiō -ōnis *f* = collēctiō

invenīre = excōgitāre, īnstituere
caerimōnia -ae *f* = rītus
celebritās -ātis *f* (< celeber) = conventus multōrum; fāma
immānis = ferōx, saevus
ex-quīrere = quaerere, explōrāre
quamvīs (+ *coni*) = quamquam
rēx ille : Tarquinius Superbus
optimī rēgis : Serviī
maculāre (< macula) = polluere
mēns integra : mēns sāna
sub-nīxus -a -um = fultus (: frētus)
īnsolentia -ae *f* < īnsolēns
suōrum : fīliōrum

ventīs ad prīstinum numerum duo augurēs addidit, et
sacrīs ē prīncipum numerō pontificēs quīnque praefē-
cit, et animōs ārdentēs cōnsuētūdine et cupiditāte bel-
landī religiōnum caerimōniīs mītigāvit, adiūnxitque
praetereā flāminēs, Saliōs virginēsque Vestālēs omnēs-
que partēs religiōnis statuit sānctissimē. Īdemque mer- *27*
cātūs, lūdōs omnēsque conveniundī causās et celebritā-
tēs invēnit. Quibus rēbus īnstitūtīs, ad hūmānitātem
atque mānsuētūdinem revocāvit animōs hominum stu-
diīs bellandī iam immānēs ac ferōs.

"Sīc ille, cum ūndēquadrāgintā annōs summā in pāce concordiāque rēgnāvisset (sequāmur enim potissimum Polybium nostrum, quō nēmō fuit in exquīrendīs temporibus dīligentior), excessit ē vītā, duābus praeclārissimīs ad diūturnitātem reī pūblicae rēbus cōnfīrmātīs: religiōne atque clēmentiā."

[*Deinde Scīpiō rēgna Tullī et Ancī et Tarquiniī Prīscī et Serviī expōnit eōsque rēgēs haud iniūstōs fuisse ostendit in quōrum rēgnīs fuerit senātus et aliquod etiam populī iūs, quamvīs dēfuerit lībertās; sed vitiō Tarquiniī Superbī, rēgis iniūstissimī, concidisse genus illud tōtum reī pūblicae.*]

[*Scīpiō:*] "Nam rēx ille dē quō loquor prīmum optimī *45*
rēgis caede maculātus integrā mente nōn erat, et, cum
metueret ipse poenam sceleris suī summam, metuī sē
volēbat. Deinde, victōriīs dīvitiīsque subnīxus, exsultā-
bat īnsolentiā neque suōs mōrēs regere poterat neque
suōrum libīdinēs.

46 "Itaque cum māior eius fīlius Lucrētiae, Tricipitīnī fīliae, Collātīnī uxōrī, vim attulisset, mulierque pudēns et nōbilis ob illam iniūriam sēsē ipsa morte multāvisset, tum vir ingeniō et virtūte praestāns, L. Brūtus, dēpulit ā cīvibus suīs iniūstum illud dūrae servitūtis iugum. (Quī cum prīvātus esset, tōtam rem pūblicam sustinuit prīmusque in hāc cīvitāte docuit in cōnservandā cīvium lībertāte esse prīvātum nēminem.) Quō auctōre et prīncipe concitāta cīvitās et hāc recentī querēllā Lucrētiae patris et propinquōrum et recordātiōne superbiae Tarquiniī multārumque iniūriārum et ipsīus et fīliōrum, exsulem et rēgem ipsum et līberōs eius et gentem Tarquiniōrum esse iussit.

47 "Vidētisne igitur ut dē rēge dominus exstiterit ūnīusque vitiō genus reī pūblicae ex bonō in dēterrimum conversum sit? Hic est enim dominus populī quem Graecī 'tyrannum' vocant; nam 'rēgem' illum volunt esse quī cōnsulit ut parēns populō cōnservatque eōs quibus est praepositus quam optimā in condiciōne vīvendī — sānē bonum (ut dīxī) reī pūblicae genus, sed tamen inclīnātum et quasi prōnum ad perniciōsissimum sta-
48 tum. Simulatque enim sē īnflexit hic rēx in dominātum iniūstiōrem, fit continuō tyrannus, quō neque taetrius neque foedius nec dīs hominibusque invīsius animal ūllum cōgitārī potest — quī, quamquam figūrā est hominis, mōrum tamen immānitāte vāstissimās vincit bēluās! Quis enim hunc 'hominem' rīte dīxerit quī sibi

pudēns -entis = modestus, pudīcus
multāre = pūnīre

prīvātus : nōn magistrātus
sustinēre = cōnservāre

cīvitās et hāc querēllā... et recordātiōne... concitāta ...iussit (: cīvēs... concitātī iussērunt)
recordātiō -ōnis *f* < recordārī

ut = quōmodo (ut dominus exstiterit : dominum exstitisse)
dēterior -ius *comp* = pēior; dēterrimus -a -um *sup* = pessimus

volunt esse : vocant

quam optimus = tam bonus quam fierī potest

prōnus -a -um = inclīnātus, quī facile prōcidit
īn-flectere = flectere, vertere

dīs (*dat*) invīsus = quem dī ōdērunt

immānitās -ātis *f* < immānis
vāstus = horrendus
rīte = rēctē, iūre

cum suīs cīvibus, quī dēnique cum omnī hominum genere nūllam iūris commūniōnem, nūllam hūmānitātis societātem velit? ...

“Sit huic oppositus alter, bonus et sapiēns et perītus *51*
ūtilitātis dignitātisque cīvīlis, quasi tūtor et prōcūrātor reī pūblicae: sīc enim appellētur quīcumque erit rēctor et gubernātor cīvitātis. Quem virum facite ut agnōscātis: iste est enim quī cōnsiliō et operā cīvitātem tuērī potest.”

prōcūrātor -ōris *m* = quī *prō-cūrat* (= cūrat)
rēctor -ōris *m* = quī regit

[*Cum Scīpiō veterem rem pūblicam Rōmānam ūsque ad decemvirōs exposuisset eamque optimē cōnstitūtam esse ostendisset, Tūberō eum interrogāvit ‘quā disciplīnā, quibus mōribus aut lēgibus ea ipsa rēs pūblica quam laudāvisset cōnservārī posset?’ Scīpiō respondit ‘sine summā iūstitiā rem pūblicam gerī nūllō modō posse.’ Dē hīs et aliīs rēbus Scīpiō postrīdiē cum iīsdem amīcīs disputāvit.*

postrī-diē = posterō diē (↔ prīdiē)

Tertiō diē dē bonō reī pūblicae rēctōre disputātiō fuit et dē praemiīs quae virīs bene dē rē pūblicā meritīs dēbentur. Tum Scīpiō dīxit ‘nec statuās nec triumphōs amplissima esse praemia virtūtis, sed stabiliōra quaedam alia praemiōrum genera esse.’ Ā Laeliō interrogātus ‘quaenam illa essent?’ Scīpiō somnium mīrābile nārrāvit docēns ‘illa esse stabiliōra praemiōrum genera quae ipse vīdisset in caelō bonīs rērum pūblicārum servāta rēctōribus; sibi enim ōlim per somnum appāruisse avum suum Scīpiōnem Āfricānum, quī multa cum dē tempore futūrō et dē fātō locūtus esset, tum dē rēbus caelestibus atque dē vītā animōrum sempiternā.’]

stabilis -e = quī firmē stat, cōnstāns
sempiternus -a -um = aeternus

GRAMMATICA LATINA

Dē vocābulīs faciendīs

(D) *Nōmina fēminīna ex adiectīvīs*

Ex adiectīvīs fīunt nōmina fēminīna quālitātem significantia hīs suffīxīs: *-ia*, *-itia*, *-itās*, *-itūdō*.

Exempla:

(1) *-ia:* grāt*ia* < grāt|us;

(2) *-itia:* laet*itia* < laet|us;

(3) *-(i)tās -ātis:* nōbil*itās* < nōbil|is;

(4) *-itūdō -inis:* magn*itūdō* < magn|us.

PENSVM A

Supplenda sunt nōmina fēminīna facta ex adiectīvīs:

(1) miser > —; īnsānus > —; superbus > —; perfidus > —; audāx > —; patiēns > —; potēns > —; cōnstāns > —; dīligēns > —; concors > —; [plūrālia:] reliquus > —; dīves > —; angustus > —;

(2) trīstis > —; amīcus > —; stultus > —; maestus > —; saevus > —; iūstus > —; avārus > —; pudīcus > —; malus > —;

(3) foedus > —; dignus > —; hūmānus > —; fēlīx > —; novus > —; paucī > —; crūdēlis > —; gravis > —; celeber > —; ūtilis > —; [-tās] līber > —;

(4) longus > —; pulcher > —; multī > —; altus > —; fortis > —; sōlus > —; clārus > —; amplus > —; fīrmus > — (= fīrmitās).

PENSVM B

Tūberō, cum — Latīnīs Scīpiōnem ōtiōsum — esset, dē rēbus caelestibus cum eō — coepit. Laelius, quī tālēs — nihil ad vītam hūmānam — putābat, 'māiōra — [= quaerenda] esse' dīxit.

In rēgnō, — iūstō, populus — lībertātis nōn est. Saepe — [= exoritur] ex rēge tyrannus, quī — [= ferōcitāte] taeterrimās — [= ferās] superat, nec enim eī cum hominibus ūlla

Vocābula nova:
fēriae
interventus
prātulum
pariēs
cōnsīderātiō
sphaera
disputātiō
coetus
commūniō
coniūnctiō
cōnstitūtiō
inīquitās
dominātus
aequābilitās
fīrmitūdō
cōnfūsiō
discrīptiō
bēlua
ferōcitās
interitus
ōrātrīx
impulsus
cūnābula
arbitrātus
exemplar
excessus
aliēnigena
dēpopulātiō
perceptiō
caerimōnia
celebritās
īnsolentia
immānitās
prōcūrātor
rēctor
quaestōrius
periūcundus
pergrātus
aprīcus
fēriātus
ratus
permolestus
populāris
particeps
aequābilis
adultus
silvestris
subagrestis
inveterātus
subnīxus
pudēns

iūris — [< commūnis] est. Cīvitās — est in quā populus dominātur. Oppidum est — tēctōrum dēlūbrīs et forīs —.

Rōmulus Sabīnōs in cīvitātem — et sacra eōrum cum Rōmānīs —; cūriās nōminibus Sabīnārum — [= nōmināvit]. Sōle — Rōmulus nōn — [= appāruit]. Post eius — [= mortem] populus novum rēgem — nōn dēstitit. Rōmulus deō Mārte — [= genitus] erat.

Quī iam adolēvit — esse dīcitur. Quī oppidum oppugnat mūrōs arietibus — cōnātur. Hieme sōl nōn tam — occidit quam aestāte: aestāte sōl — occidit quam hieme. Vītam — [= aeternam] nēmō mortālis — [= adipīscī] potest.

Synōnyma: globus et —; cūnae et —; rītus et —; fīrmus et —; pēior et —; pessimus et —; explōrāre et —; probāre et —; sustinēre et —; polluere et —; pūnīre et —; paulisper et —.

Contrāria: opācus et —; permultī et —; cōnsentīre et —; illūstrāre et —; mātūrē et —; prīdiē et —.

PENSVM C

Quandō amīcī ad Scīpiōnem convēnērunt?
Eratne Scīpiō occupātus eō diē?
Quod prōdigium in caelō vīsum erat?
Dē quibus rēbus fuit prīma disputātiō?
Quōmodo Archimēdēs mōtūs astrōrum dēclārāvit?
Cūr Laelius dē rēbus caelestibus disputāre nōluit?
Quid tum Laelius Scīpiōnem rogāvit?
Quae sunt tria rērum pūblicārum genera?
Quod genus Scīpiō optimum esse putābat?
Unde incipit Scīpiō dē rē pūblicā Rōmānā disputāns?
Quibus rēbus Rōmulus rem pūblicam fīrmāvit?
Quōmodo Numa populum ferōcem mītigāvit?
Cuius rēgis vitiō rēs pūblica Rōmāna ā bonā in dēterrimam conversa est?
Quem Cicerō tyrannō immānī oppōnit?

dēterior
dēterrimus
prōnus
stabilis
sempiternus
ventitāre
nancīscī
relaxāre
abūtī
attinēre
assīdere
investīgāre
conquīrere
disputāre
dissentīre
approbāre
sociāre
distinguere
dēvincīre
impartīre
exsistere
accomodāre
labefactāre
perhibēre
ascīscere
commūnicāre
recidere
nūncupāre
fulcīre
locuplētāre
cooptāre
obscūrāre
compārēre
assequī
flāgitāre
generāre
maculāre
multāre
atquī
paulūlum
vicissim
perpaucī
hercule
sērō
sērius
parumper
quamvīs
perceleriter
quāliscumque
postrīdiē



orbis lacteus

SOMNIVM SCIPIONIS

[*Ex M. Tulliī Cicerōnis Dē rē pūblicā librō VI*]

[*Masinissa senex*]

9 Cum in Āfricam vēnissem — M'. Mānīliō cōnsulī ad quārtam legiōnem tribūnus (ut scītis) mīlitum — nihil mihi fuit potius quam ut Masinissam convenīrem, rēgem familiae nostrae iūstīs dē causīs amīcissimum. Ad quem ut vēnī, complexus mē senex collacrimāvit aliquantōque post suspexit ad caelum et "Grātēs" inquit "tibi agō, summe Sōl, vōbīsque, reliquī caelitēs, quod, ante quam ex hāc vītā migrō, cōnspiciō in meō rēgnō et hīs tēctīs P. Cornēlium Scīpiōnem, cuius ego nōmine ipsō recreor; itaque numquam ex animō meō discēdit illīus optimī atque invictissimī virī memoria."

Deinde ego illum dē suō rēgnō, ille mē dē nostrā rē pūblicā percontātus est, multīsque verbīs ultrō citrōque habitīs ille nōbīs est cōnsūmptus diēs.

cum vēnissem: Scīpiō Aemiliānus loquitur [annō 149 a. C.]

nihil mihi fuit potius = nihil māluī

col-lacrimāre = lacrimāre

caelitēs -um *m* = caelestēs, diī

illīus virī : Scīpiōnis Āfricānī māiōris

ultrō citrō(que) = hūc et illūc : inter nōs, invicem

in multam noctem = in sēram noctem

dē *P. Cornēliō Scīpiōne* Āfricānō

Post autem, apparātū rēgiō acceptī, sermōnem in *10*
multam noctem prōdūximus, cum senex nihil nisi dē Āfricānō loquerētur omniaque eius nōn facta sōlum, sed etiam dicta meminisset.

cubitum (*supīnum* < cubāre) : dormītum
dē viā : itinere
artus somnus = gravis somnus

fit ferē = fierī solet

Ennius in prīmō *Annālī* scrībit sē in somnīs vīdisse Homērum poētam

co-horrēscere -ruisse = horrōre afficī
animō adesse = animum advertere

[*Fātōrum via*]

Deinde, ut cubitum discessimus, mē — et dē viā fessum et quī ad multam noctem vigilāssem — artior quam solēbat somnus complexus est. Hīc mihi (crēdō equidem ex hōc quod erāmus locūtī; fit enim ferē ut cōgitātiōnēs sermōnēsque nostrī pariant aliquid in somnō tāle quāle dē Homērō scrībit Ennius, dē quō vidēlicet saepissimē vigilāns solēbat cōgitāre et loquī) Āfricānus sē ostendit eā fōrmā quae mihi ex imāgine eius quam ex ipsō erat nōtior. Quem ubi agnōvī, equidem cohorruī, sed ille "Ades" inquit "animō, et omitte timōrem, Scīpiō, et quae dīcam trāde memoriae!

prīstina bella: bella Pūnica I et II
excelsus -a -um = celsissimus


paene mīles : tribūnus mīlitum (tantum)
hōc bienniō = intrā biennium
cognōmen : 'Āfricānus'
hērēditārius -a -um < hērēditās
ā nōbīs : ā mē

"Vidēsne illam urbem quae, pārēre populō Rōmānō *11*
coācta per mē, renovat prīstina bella nec potest quiēscere?" — ostendēbat autem Karthāginem dē excelsō et plēnō stēllārum illūstrī et clārō quōdam locō — "ad quam tū oppugnandam nunc venīs paene mīles. Hanc hōc bienniō cōnsul ēvertēs, eritque cognōmen id tibi per tē partum quod habēs adhūc hērēditārium ā nōbīs.

dēligēre = dēligēris (*2 pers sg pass fut*)

"Cum autem Karthāginem dēlēveris, triumphum ēgeris cēnsorque fueris et obieris lēgātus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, dēligēre iterum cōnsul ab-

sēns bellumque māximum cōnficiēs: Numantiam exscindēs. Sed cum eris currū in Capitōlium invectus, offendēs rem pūblicam cōnsiliīs perturbātam nepōtis meī.



12 "Hīc tū, Āfricāne, ostendās oportēbit patriae lūmen animī ingeniīque tuī cōnsiliīque. Sed eius temporis ancipitem videō quasi fātōrum viam. Nam cum aetās tua septēnōs octiēs sōlis ānfrāctūs reditūsque converterit duoque iī numerī (quōrum uterque 'plēnus' alter alterā dē causā habētur) circuitū nātūrālī summam tibi fātālem cōnfēcerint, in tē ūnum atque in tuum nōmen sē tōta convertet cīvitās, tē senātus, tē omnēs bonī, tē sociī, tē Latīnī intuēbuntur, tū eris ūnus in quō nītātur cīvitātis salūs, ac — nē multa — dictātor rem pūblicam cōnstituās oportet, sī impiās propinquōrum manūs effūgeris."

of-fendere = (inexspectātum) invenīre
nepōtis meī: Ti. Gracchī

Cursus Scīpiōnis Aemiliānī	annō a.C.
nātus	185
tribūnus mīlitum	149
cōnsul (annōrum 38)	147
Karthāgine captā triumphāvit	146
cēnsor	142
lēgātus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam obiit	140
cōnsul II	134
Numantiā captā triumphāvit	133
Gracchīs restitit	
mortuus (ann. 56)	129

tū ostendās oportet = tē ostendere o.

ānfrāctus -ūs *m* = sōlis cursus annuus; sōlis ā. ūs reditūsque: annōs
cum aetās... converterit: cum 8×7 annōs vīxeris
numerī 7 et 8 'plēnī' (perfectī) habentur
summa = numerus computandō factus (: 56)
fātālis -e (< fātum) = fātō cōnstitūtus, quī mortem affert

(salūs) in tē nītitur = in tē (in tuā potestāte) sita est
nē multa *dīcam*

in-gemēscere -muisse = gemere (incipere)
ar-rīdēre < ad-rīdēre

— Hīc cum exclāmāvisset Laelius ingemuissentque vehementius cēterī, lēniter arrīdēns Scīpiō "St! quaesō" inquit, "nē mē ē somnō excitētis, et parumper audīte cētera!" —

[Mors et vīta]

quō alacrior sīs = ut (eō) alacrior sīs
alacer -cris -cre = prōmptus, cupidus
habētō : exīstimātō
locum dē-fīnīre = fīnēs locī dēsignāre
aevum -ī *n* = tempus continuum, aetās
nihil (quod...) illī prīncipī deō... acceptius est quam...
cōnservātor -ōris *m* = quī cōnservat

13 [*Scīpiō Āfricānus māior:*] "Sed quō sīs, Āfricāne, alacrior ad tūtandam rem pūblicam, sīc habētō: omnibus quī patriam cōnservāverint, adiūverint, auxerint, certum esse in caelō dēfīnītum locum, ubi beātī aevō sempiternō fruantur. Nihil est enim illī prīncipī deō quī omnem mundum regit (quod quidem in terrīs fīat) acceptius quam concilia coetūsque hominum iūre sociātī, quae 'cīvitātēs' appellantur; hārum rēctōrēs et cōnservātōrēs hinc profectī hūc revertuntur."

meīs : propinquīs meīs
exstīnctus : mortuus
vinclum = vinculum
vīs = magna cōpia

14 Hīc ego, etsī eram perterritus nōn tam mortis metū quam īnsidiārum ā meīs, quaesīvī tamen 'vīveretne ipse et Paulus pater et aliī quōs nōs exstīnctōs arbitrārēmur?'

"Immō vērō" inquit "hī vīvunt quī ē corporum vinclīs tamquam ē carcere ēvolāvērunt. Vestra vērō quae dīcitur 'vīta' mors est. Quīn tū aspicis ad tē venientem Paulum patrem?" Quem ut vīdī, equidem vim lacrimārum profūdī, ille autem mē complexus atque ōsculātus flēre prohibēbat.

re-primere -pressisse -pressum

15 Atque ego, ut prīmum flētū repressō loquī posse coepī, "Quaesō" inquam, "pater sānctissime atque optime, quoniam haec est vīta, ut Āfricānum audiō dīcere,

quid moror in terrīs? Quīn hūc ad vōs venīre properō?"

"Nōn est ita" inquit ille, "nisi enim deus is, cuius hoc templum est omne quod cōnspicis, istīs tē corporis cūstōdiīs līberāverit, hūc tibi aditus patēre nōn potest. Hominēs enim sunt hāc lēge generātī, quī tuērentur illum globum quem in hōc templō medium vidēs, quae 'terra' dīcitur, iīsque animus datus est ex illīs sempiternīs ignibus quae 'sīdera' et 'stēllās' vocātis, quae globōsae et rotundae, dīvīnīs animātae mentibus, circōs suōs orbēsque cōnficiunt celeritāte mīrābilī. Quārē et tibi, Pūblī, et piīs omnibus retinendus animus est in cūstōdiā corporis nec iniussū eius ā quō ille est vōbīs datus ex hominum vītā migrandum est, nē mūnus hūmānum assignātum ā deō dēfūgisse videāminī.


16 "Sed sīc, Scīpiō, ut avus hic tuus, ut ego quī tē genuī, iūstitiam cole et pietātem, quae cum magna in parentibus et propinquīs, tum in patriā māxima est. Ea vīta via est in caelum et in hunc coetum eōrum quī iam vīxērunt et corpore laxātī illum incolunt locum quem vidēs" (erat autem is splendidissimō candōre inter flammās circus ēlūcēns) "quem vōs, ut ā Grāiīs accēpistis, 'orbem lacteum' nūncupātis."

Ex quō omnia mihi contemplantī praeclāra cētera et mīrābilia vidēbantur. Erant autem eae stēllae quās numquam ex hōc locō vīdimus, et eae magnitūdinēs omnium quās esse numquam suspicātī sumus — ex quibus erat ea minima quae ultima ā caelō, citima ā terrīs,

templum = spatium sacrum
cūstōdiae : vincula
quī (+ *coni*) = ut
globōsus -a -um = quī globī fōrmam habet
animāre = animam/vītam dare
circus = orbis
orbem cōnficere = in orbem sē movēre
dē-fugere = dēserere, vītāre
pietās -ātis *f* < pius (= amor deōrum/parentum/patriae)
laxāre = solvere
candor -ōris *m* = color candidus
ē-lūcēre
lacteus -a -um < lac (orbis l. dīcitur Graecē *galaxías* < *gála* = lac)
ex quō : ex orbe lacteō
omnia cētera : omnia praeter terram
suspicārī = animō sentīre
ea : lūna
citimus -a -um *sup* (< citrā) ↔ ultimus

lūce lūcēbat aliēnā. Stēllārum autem globī terrae magnitūdinem facile vincēbant. Iam ipsa terra ita mihi parva vīsa est ut mē imperiī nostrī, quō quasi pūnctum eius attingimus, paenitēret.

pūnctum -ī *n* = nota quā minor fierī nōn potest [·]
mē paenitet reī (*gen*) = mihi displicet rēs



stēllārum *cursūs* s. *orbēs* s. *globī* s. *sphaerae*

radius

[*Cursūs stēllārum*]

Quam cum magis intuērer, "Quaesō" inquit Āfricā- 17
nus, "quoūsque humī dēfixa tua mēns erit? Nōnne aspi-
cis quae in templa vēneris? Novem tibi orbibus vel po-
tius globīs cōnexa sunt omnia, quōrum ūnus est cae-
lestis, extimus, quī reliquōs omnēs complectitur, sum-
mus ipse deus arcēns et continēns cēterōs; in quō sunt
īnfīxī illī quī volvuntur stēllārum cursūs sempiternī.

"Cui subiectī sunt septem, quī versantur retrō contrāriō mōtū atque caelum. Ex quibus ūnum globum possi-

quo-ūsque = quamdiū
(tibi)
cō-nectere -xuisse -xum = inter sē nectere, coniungere
extimus -a -um *sup* = extrēmus
īn-fīgere
: illae stēllae quae cursū sempiternō volvuntur
volvī = versārī = in orbem movērī, vertī
cui sub-iectī sunt = sub quō positī sunt

det illa quam in terrīs 'Sāturniam' nōminant. Deinde est hominum generī prosperus et salūtāris ille fulgor quī dīcitur 'Iovis'; tum rutilus horribilisque terrīs quem 'Mārtium' dīcitis.

"Deinde subter mediam ferē regiōnem Sōl obtinet, dux et prīnceps et moderātor lūminum reliquōrum, mēns mundī et temperātiō, tantā magnitūdine ut cūncta suā lūce lūstret et compleat.

"Hunc ut comitēs cōnsequuntur Veneris alter, alter Mercuriī cursus, in īnfimōque orbe Lūna radiīs sōlis accēnsa convertitur. Īnfrā autem iam nihil est nisi mortāle et cadūcum — praeter animōs mūnere deōrum hominum generī datōs; suprā Lūnam sunt aeterna omnia. Nam ea quae est media et nōna, Tellūs, neque movētur et īnfima est et in eam feruntur omnia nūtū suō pondera."

[*Cantus sphaerārum*]

18 Quae cum intuērer stupēns, ut mē recēpī, "Quid? Hic" inquam "quis est quī complet aurēs meās tantus et tam dulcis sonus?"

"Hic est" inquit [*Āfricānus*] "ille quī intervāllīs coniūnctus imparibus, sed tamen prō ratā parte ratiōne distīnctīs, impulsū et mōtū ipsōrum orbium efficitur, et acūta cum gravibus temperāns variōs aequābiliter concentūs efficit. Nec enim silentiō tantī mōtūs incitārī possunt, et nātūra fert ut extrēma ex alterā parte graviter,

illa *stēlla*

fulgor -ōris *m* < fulgēre (: stēlla fulgēns)
rutilus -a -um = ruber (ut ignis)
Mārtius -a -um < Mārs

subter *adv* = īnfrā

moderātor -ōris *m* = quī moderātur
temperātiō -ōnis *f* = vīs temperāns
lūstrāre = illūstrāre

radius -ī *m* = lūminis līnea
(con)vertī = in orbem movērī, volvī
cadūcus -a -um = quī facile cadit

tellūs -ūris *f* = terra

nūtus -ūs *m* = mōtus deorsum, vīs gravitātis

sē re-cipere = animum recipere, sē recreāre

prō ratā parte = ratō modō (↔ fortuītō)

(sonus) acūtus = clārus, tenuis (ut vōx mulieris); ↔ gravis
con-centus -ūs *m* = cantus multōrum
fert : efficit

stēlli-fer -era -erum
= quī stēllās fert
conversiō -ōnis *f* < convertī
concitātus = citus
(sonus) excitātus = clārus
lūnāris -e < lūna
im-mōbilis -e = quī nōn
movētur


nōdus -ī *m*

duōrum: lūnae et caelī (octāvī), quī concordēs sonōs ēdunt VII intervāllīs interiectīs
doctī hominēs: fidicinēs (fidēs VII *nervōs* habent)


nervī

ob-surdēscere -duisse
= surdus fierī
hebes -etis = obtūnsus
(↔ acūtus, ācer)
Catadūpa -ōrum *n*
praecipitāre = p. ārī
ac-colere < ad-: locum a.
= ad locum incolere

incitātus = citus

aciēs = sēnsus ācer, vīs
videndī

ex alterā autem acūtē sonent. Quam ob causam summus ille caelī stēllifer cursus, cuius conversiō est concitātior, acūtō et excitātō movētur sonō, gravissimō autem hic lūnāris atque īnfimus. Nam terra, nōna, immōbilis manēns ūnā sēde semper haeret complexa medium mundī locum.

"Illī autem octō cursūs, in quibus eadem vīs est duōrum, septem efficiunt distīnctōs intervāllīs sonōs, quī numerus rērum omnium ferē nōdus est. Quod doctī hominēs nervīs imitātī atque cantibus aperuērunt sibi reditum in hunc locum, sīcut aliī quī praestantibus ingeniīs in vītā hūmānā dīvīna studia coluērunt.

"Hōc sonitū opplētae aurēs hominum obsurduērunt. *19*
Nec est ūllus hebetior sēnsus in vōbīs; sīcut, ubi Nīlus ad illa quae Catadūpa nōminantur praecipitat ex altissimīs montibus, ea gēns quae illum locum accolit propter magnitūdinem sonitūs sēnsū audiendī caret. Hic vērō tantus est tōtīus mundī incitātissimā conversiōne sonitus ut eum aurēs hominum capere nōn possint, sīcut intuērī sōlem adversum nequītis eiusque radiīs aciēs vestra sēnsusque vincitur."

[*Angustiae terrārum*]


Haec ego admīrāns referēbam tamen oculōs ad ter- *20*
ram identidem.

Tum Āfricānus "Sentiō" inquit "tē sēdem etiam nunc hominum ac domum contemplārī. Quae sī tibi parva, ut


est, ita vidētur, haec caelestia semper spectātō, illa hūmāna contemnitō!

"Tū enim quam celebritātem sermōnis hominum aut quam expetendam cōnsequī glōriam potes? Vidēs habitārī in terrā rārīs et angustīs in locīs et in ipsīs quasi maculīs ubi habitātur vāstās sōlitūdinēs interiectās, eōsque quī incolunt terram nōn modo interruptōs ita esse ut nihil inter ipsōs ab aliīs ad aliōs mānāre possit, sed partim oblīquōs, partim trānsversōs, partim etiam adversōs stāre vōbīs — ā quibus exspectāre glōriam certē nūllam potestis!

21 "Cernis autem eandem terram quasi quibusdam redimītam et circumdatam cingulīs, ē quibus duōs māximē inter sē dīversōs et caelī verticibus ipsīs ex utrāque parte




subnīxōs obriguisse pruīnā vidēs, medium autem illum et māximum sōlis ārdōre torrērī. Duo sunt habitābilēs, quōrum austrālis ille, in quō quī īnsistunt adversa vōbīs urgent vestīgia, nihil ad vestrum genus; hic autem alter subiectus aquilōnī quem incolitis, cerne quam tenuī vōs



inter-rumpere = inter sē abrumpere

oblīquus = inclīnātus: līnea oblīqua [/]
trāns-versus -a -um: līnea trānsversa [–|–]

redimīre = circum ligāre, vinculō cingere



zōna -ae *f* = cingulus
septentriōnālis -e < septentriōnēs
torridus -a -um = quī torrētur
austrālis -e (< auster) ↔ septentriōnālis

vertice subnīxus = in/sub vertice situs
ob-rigēscere -guisse = rigēns fierī
pruīna -ae *f*: hieme nocte frīgidā p. quasi nix terram operit
habitābilis -e = quī habitārī potest
īn-sistere = stāre
vestīgia : pedēs
nihil ad vestrum genus (: Rōmānōs) *pertinet*

parte contingat! Omnis enim terra quae colitur ā vōbīs, angusta verticibus, lateribus lātior, parva quaedam īnsula est circumfūsa illō marī quod 'Atlanticum', quod 'Magnum', quem 'Ōceanum' appellātis in terrīs — quī tamen tantō nōmine quam sit parvus vidēs!

tantō nōmine: etsī tantō nōmine appellātur
Caucasus -ī *m*: mōns Asiae longinquus
Gangēs -is *m*, *acc* -ēn: flūmen Indiae
trā-/trāns-natāre = trānsīre natandō
sōl obiēns (-euntis) = sōl occidēns
aquilō: septentriōnēs ↔ auster: merīdiēs
amputāre = recīdere, adimere (cultrō)
dī-lātāre = lātē extendere, pandere
quam diū loquentur?

"Ex hīs ipsīs cultīs nōtīsque terrīs num aut tuum aut *22*
cuiusquam nostrum nōmen vel Caucasum hunc, quem
cernis, trānscendere potuit vel illum Gangēn trānatāre?
Quis in reliquīs orientis aut obeuntis sōlis ultimīs aut
aquilōnis austrīve partibus tuum nōmen audiet? Quibus
amputātīs, cernis profectō quantīs in angustiīs vestra sē
glōria dīlātārī velit!

ēluviō -ōnis *f* = vīs aquae in terrās redundantis
exustiō -ōnis *f* < exūrere

"Ipsī autem quī dē nōbīs loquuntur, quam loquentur
diū? Quīn etiam sī cupiat prōlēs illa futūrōrum homi- *23*
num deinceps laudēs ūnīus cuiusque nostrum ā patri-
bus acceptās posterīs prōdere, tamen propter ēluviōnēs
exustiōnēsque terrārum, quās accidere tempore certō
necesse est, nōn modo nōn aeternam, sed nē diūturnam
quidem glōriam assequī possumus.

quid (tuā) inter-est? = quid (tuā) rēfert? quid iuvat?
populāriter = vulgō
annum mētīrī: annī longitūdinem (numerum diērum) statuere
idem: eundem locum

"Quid autem interest ab iīs quī posteā nāscentur ser-
mōnem fore dē tē, cum ab iīs nūllus fuerit quī ante nātī
sunt? — quī nec pauciōrēs et certē meliōrēs fuērunt virī
— praesertim cum apud eōs ipsōs ā quibus audīrī nō- *24*
men nostrum potest nēmō ūnīus annī memoriam cōnse-
quī possit! Hominēs enim populāriter annum tantum-
modo sōlis, id est ūnīus astrī, reditū mētiuntur; cum
autem ad idem unde semel profecta sunt cūncta astra

redierint eandemque tōtīus caelī discrīptiōnem longīs intervāllīs rettulerint, tum ille vērē vertēns 'annus' appellārī potest, in quō vix dīcere audeō quam multa hominum saecula teneantur. Namque ut ōlim dēficere sōl hominibus exstinguīque vīsus est cum Rōmulī animus haec ipsa in templa penetrāvit, quandō ab eādem parte sōl eōdemque tempore iterum dēfēcerit, tum signīs omnibus ad prīncipium stēllīsque revocātīs explētum annum habētō! Cuius quidem annī nōndum vīcēsimam partem scītō esse conversam!

[*Dē glōriā aeternā et animō immortālī*]

25 "Quōcircā, sī reditum in hunc locum dēspērāveris in quō omnia sunt magnīs et praestantibus virīs, quantī tandem est ista hominum glōria quae pertinēre vix ad ūnīus annī partem exiguam potest? Igitur altē spectāre sī volēs atque hanc sēdem et aeternam domum contuērī, neque tē sermōnibus vulgī dederis, nec in praemiīs hūmānīs spem posueris rērum tuārum! Suīs tē oportet illecebrīs ipsa virtūs trahat ad vērum decus. Quid dē tē aliī loquantur, ipsī videant, sed loquentur tamen. Sermō autem omnis ille et angustiīs cingitur iīs regiōnum quās vidēs, nec umquam dē ūllō perennis fuit, et obruitur hominum interitū et oblīviōne posteritātis exstinguitur."

26 Quae cum dīxisset, "Ego vērō" inquam, "Āfricāne, sīquidem bene meritīs dē patriā quasi līmes ad caelī

discrīptiō : ratiō quā discrīpta sunt astra
vertēns : quī vertitur
(hominis) saeculum = aetās (XXX ferē annī)
tenērī = continērī
(sōl) dēficit = obscūrātur
quandō = cum
signum : sīdus
signīs stēllīsque
vīcēsima pars = $1/20$
ille *magnus annus* 12 954 annōs complectitur
quō-circā = itaque
quantī = quantī pretiī (: quam parvī p.)
con-tuērī = intuērī
sermōnibus sē dare = sermōnēs cūrāre
illecebra -ae *f* (< illicere) = praemium
oportet ipsa virtūs suīs illecebrīs tē trahat
ipsī videant (: cūrent) : tū nē cūrāveris!
perennis = perpetuus
posteritās -ātis *f* = tempus posterum/futūrum, posterī
līmes -itis *m* = via angusta

vestīgiīs (*dat*) ingredī = vestīgia sequī

aditum patet, quamquam ā pueritiā vestīgiīs ingressus patris et tuīs decorī vestrō nōn dēfuī, nunc tamen tantō praemiō expositō ēnītar multō vigilantius!"

mēns cuiusque is est quisque : quisque homō est mēns sua (mēns, nōn corpus, est vērus homō)
dē-mōnstrāre = mōnstrāre

Et ille: "Tū vērō ēnītere et sīc habētō: nōn esse tē mortālem, sed corpus hoc. Nec enim is es quem fōrma ista dēclārat, sed mēns cuiusque is est quisque, nōn ea figūra quae digitō dēmōnstrārī potest. Deum tē igitur scītō esse, sīquidem est deus quī viget, quī sentit, quī meminit, quī prōvidet, quī tam regit et moderātur et movet id corpus cui praepositus est quam hunc mundum ille prīnceps deus. Et ut mundum ex quādam parte mortālem ipse deus aeternus, sīc fragile corpus animus sempiternus movet.

ex quādam parte mortālem : cuius quaedam pars mortālis est
fragilis -e = quī facile frangitur

hīc Cicerō verba *Platōnis* Latīnē vertit (*Phaedrus* 245)
ali-unde = ex aliō locō, ex aliā rē
: necesse est id fīnem vīvendī habēre

27 "Nam quod semper movētur aeternum est; quod autem mōtum affert alicui quodque ipsum agitātur aliunde, quandō fīnem habet mōtūs, vīvendī fīnem habeat necesse est. Sōlum igitur quod sē ipsum movet, quia numquam dēseritur ā sē, numquam nē movērī quidem dēsinit; quīn etiam cēterīs quae moventur hic fōns, hoc prīncipium est movendī. Prīncipiī autem nūlla est orīgō; nam ex prīncipiō oriuntur omnia, ipsum autem nūlla ex rē aliā nāscī potest (nec enim esset id prīncipium quod gignerētur aliunde). Quod sī numquam oritur, nē occidit quidem umquam. Nam prīncipium exstīnctum nec ipsum ab aliō renāscētur nec ex sē aliud creābit, sīquidem necesse est ā prīncipiō orīrī omnia. Ita fit ut mōtūs prīncipium ex eō sit quod ipsum ā sē movē-

fōns : orīgō
movendī : mōtūs
quod sī = sī autem
re-nāscī
creāre = prōcreāre
ita fit ut... = ex hōc intellegitur...

tur. Id autem nec nāscī potest nec morī (vel concidat omne caelum omnisque nātūra et cōnsistat necesse est nec vim ūllam nancīscātur quā ā prīmō impulsa moveātur).

28 "Cum pateat igitur aeternum id esse quod ā sē ipsō moveātur, quis est quī hanc nātūram animīs esse tribūtam neget? Inanimum est enim omne quod pulsū agitātur externō; quod autem est animal, id mōtū ciētur interiōre et suō, nam haec est propria nātūra animī atque vīs. Quae sī est ūna ex omnibus quae sē ipsa moveat, neque nāta certē est et aeterna est.

"Hanc tū exercē optimīs in rēbus! Sunt autem optimae cūrae dē salūte patriae, quibus agitātus et exercitātus animus vēlōcius in hanc sēdem et domum suam pervolābit. Idque ōcius faciet sī iam tum cum erit inclūsus in corpore, ēminēbit forās et ea quae extrā erunt contemplāns quam māximē sē ā corpore abstrahet. Namque eōrum animī quī sē corporis voluptātibus dēdidērunt eārumque sē quasi ministrōs praebuērunt impulsūque libīdinum voluptātibus oboedientium deōrum et hominum iūra violāvērunt, corporibus ēlāpsī circum terram ipsam volūtantur nec hunc in locum, nisi multīs exagitātī saeculīs, revertuntur."

Ille discessit. Ego somnō solūtus sum.

vel : aliter
: necesse est omne caelum omnemque nātūram concidere et cōnsistere
ā prīmō = ab initiō

patet = appāret

in-animus -a -um = sine animā, mortuus
pulsus -ūs *m* = impulsus, vīs movendī
ciēre = movēre

quae (nātūra animī atque vīs) : animus

hanc (nātūram animī) : animum immortālem
quibus agitātus... animus : quibus sī animus agitātur et exercitātur

per-volāre
ōcius *adv* = celerius
forās : ē corpore

quam māximē : ut māximē potest

volūtāre = volvere

exagitāre = turbāre, vexāre

INTEGER VITAE

[*Ex Q. Horātiī Flaccī 'Carminum' librō I, carmen XXII ad Fuscum*]

integer vītae : quī vītam integram (: innocentem) agit
Fuscus -ī *m*: amīcus Horātiī
pūrus : īnsōns


pharetra -ae *f*

nec pharetrā gravidā (: plēnā)...sagittīs

Integer vītae scelerisque pūrus
nōn eget Maurīs iaculīs neque arcū
nec venēnātīs gravidā sagittīs,
Fusce, pharetrā,

sīve iter factūrus *est* per...
aestuōsus -a -um = fervēns, turbidus
in-hospitālis -e
fābulōsus -a -um = celebrātus
Syrtēs -ium *f*: sinūs in ōrā Āfricae
Hydaspēs -is *m*: flūmen Indiae

sīve per Syrtēs iter aestuōsās,
sīve factūrus per inhospitālem
Caucasum vel quae loca fābulōsus
lambit Hydaspēs.

lupus mē inermem fūgit in silvā Sabīnā
Lalagē -ēs *f*, *acc* -ēn
cūrīs expedītīs : sine cūrīs

Namque mē silvā lupus in Sabīnā,
dum meam cantō Lalagēn et ultrā
terminum cūrīs vagor expedītīs,
fūgit inermem!

quāle portentum = tāle p. quāle
Dauniās -ae *f* = Āpūlia
aesculētum -ī *n* = silva quercuum
Iuba -ae *m*: rēx Numidiae
āridus -a -um = siccus, torridus

quāle portentum neque mīlitāris
Dauniās lātīs alit aesculētīs
nec Iubae tellūs generat, leōnum
ārida nūtrīx.

in pigrīs (: sterilibus) campīs
aestīvus -a -um < aestās (↔ hībernus)
latus : zōna frīgida
malus Iūppiter = malum caelum (: mala tempestās)

Pōne mē pigrīs ubi nūlla campīs
arbor aestīvā recreātur aurā,
quod latus mundī nebulae malusque
Iuppiter urget;

pōne sub curru nimium propinquī
sōlis, in terrā domibus negātā:
dulce rīdentem Lalagēn amābō,
dulce loquentem!

GRAMMATICA LATINA

Dē vocābulīs faciendīs

(E) *Verba incohātīva*

Litterīs *sc* (*ēsc*) ad verbī thema praesentis adiectīs fit verbum 'incohātīvum' in *-(ē)scere* dēsinēns quod initium agendī significat; plērumque praepōnitur praeverbium (interdum *-a-* mūtātur in *-i-*).

Exempla: pallē|re > pallē*sc*ere
rubē|re > *ē*-rubē*sc*ere
latē|re > *dē*-l*i*tē*sc*ere

Perfectum sine *-sc-*: pallēscere pallu|isse, cēt.

Dē versibus

(1) *Versus Sapphicus*

Nam-que- mē- sil-vā- lu-pu-s in- Sa-bī-nā

Hic versus cōnstat ex XI syllabīs: longā, brevī, tribus longīs, duābus brevibus, longā, brevī, duābus longīs. In duās partēs dīviditur inter syllabam V et VI, sīve in V pedēs: trochaeum, spondēum, dactylum, trochaeum, spondēum: —◡|——|—◡◡|—◡|——

Eius modī versus *Sapphicus* dīcitur, nam eō saepe ūsa est Sapphō, poētria Lesbia.

(2) *Versus Adōnius*

fū-gi-t i-ner-mem

Adōnius dīcitur hic versus, quī cōnstat ex V syllabīs: longā, duābus brevibus, duābus longīs — sīve ex duōbus pedibus: dactylō et spondēō: —◡◡|——

pōne *mē*
currū: quadrīgīs quibus Sōl vehitur
terra domibus negāta (: nōn habitābilis): zōna torrida
dulce = dulciter

incohātīvus -a -um < incohāre

Sapphicus -a -um < Sapphō -ūs *f*
Lesbius -a -um < Lesbos
poēta -ae *m*
poētria -ae *f*

strophē -ae *f*

(3) *Strophē Sapphica*

Singula Horātiī carmina dīviduntur in *strophās* quaternōrum versuum. *Strophē Sapphica* composita est ex tribus versibus Sapphicīs quōs sequitur Adōnius:

Integer vītae scelerisque pūrus
nōn eget Maurīs iaculīs nequ(e) arcū
nec venēnātīs gravidā sagittīs,
Fusce, pharetrā

Vocābula nova:
caelitēs
ānfrāctus
aevum
cōnservātor
pietās
candor
pūnctum
fulgor
moderātor
temperātiō
radius
tellūs
nūtus
concentus
conversiō
nōdus
cingulus
zōna
pruīna
ēluviō
exustiō
illecebra
posteritās
līmes
pulsus
pharetra
aesculētum
excelsus
hērēditārius
fātālis
alacer
globōsus
lacteus
citimus
extimus
subiectus
rutilus
cadūcus
stēllifer
concitātus
excitātus
lūnāris
immōbilis

PENSVM A

(1) Supplenda sunt verba incohātīva:
patēre > —; stupēre > ob—; lūcēre > il—; ārdēre > ex—; valēre > con—; pavēre > ex—; timēre > per—; horrēre > co—; rigēre > ob—; tremere > con—; gemere > in—; fervere > dē—; [-a->-i-] tacēre > con—.

(2) Hī versūs dīvidendī sunt in syllabās brevēs et longās notīs appositīs:

sīve per Syrtēs iter aestuōsās,
sīve factūrus per inhospitālem
Caucasum vel quae loca fābulōsus
lambit Hydaspēs.

PENSVM B

— [= terra], quae in mediō mundī locō — manet, VIII sphaerīs cingitur. In sphaerā summā stēllae — sunt; eī — sunt VII, quārum īnfima est lūnae. Īnfrā lūnam nihil est nisi mortāle et —. Sphaerārum incitātissimā — magnus sonitus efficitur, sed aurēs hūmānae tam — sunt ut eum audīre nequeant. Item aurēs eōrum quī Catadūpa — propter magnitūdinem sonitūs —.

Terra quīnque — redimīta esse vidētur, quōrum duo extrēmī nive et — obrigēscunt, medius sōlis — ārdentibus torrētur. Duo sunt —, alter septentriōnālis, alter —, cuius incolae Rōmānīs adversī aut — stant.

Quī rem horribilem videt —. — est amor deōrum, patriae, parentum. Annus aetātis LVI Scīpiōnī — fuit. Dī immortālēs — sempiternō fruuntur. Ponte ruptō Horātius Tiberim —. — [8×] septēna sunt LVI. — [·] est nota minima. Necesse est membrum aegrum cultrō —. Sagitta ē — prōmitur.

Synōnyma: splendor et —; celsissimus et —; ruber et —; siccus et — et —; solvere et —; movēre et —; celerius et —; quamdiū et —; īnfrā et —; ex aliō locō et —.

Contrāria: ultimus et —; austrālis et —; hībernus et —.

PENSVM C

Quōmodo Masinissa Scīpiōnem Aemiliānum accēpit?
Dē quibus rēbus Masinissa et Scīpiō collocūtī sunt?
Quem Scīpiō eā nocte in somnīs vīdit?
Ubi Scīpiō Āfricānus māior appāruit?
Quid nepōtī suō praedīxit?
Quid eī nārrāvit dē patriae cōnservātōribus?
Quid Scīpiō ab avō suō quaesīvit?
Quem vīdit Scīpiō praeter avum suum?
Quid Aemilius Paulus fīlium suum monuit?
Ex orbe lacteō quanta vidēbātur terra?
Quot sphaerae terram cingunt?
Quōmodo efficitur cantus sphaerārum?
Cūr sphaera caelestis sonum acūtum efficit?
Cūr hominēs cantum sphaerārum nōn audiunt?
Quārē hominēs in terrīs glōriam aeternam assequī nōn possunt?

hebes
incitātus
trānsversus
habitābilis
austrālis
septentriōnālis
torridus
fragilis
inanimus
aestuōsus
inhospitālis
fābulōsus
āridus
aestīvus
collacrimāre
cohorrēscere
offendere
ingemēscere
arrīdēre
dēfīnīre
animāre
dēfugere
laxāre
ēlūcēre
cōnectere
īnfīgere
lūstrāre
obsurdēscere
accolere
interrumpere
redimīre
obrigēscere
īnsistere
trānatāre
amputāre
dīlātāre
contuērī
renāscī
ciēre
pervolāre
volūtāre
citrō
octiēs
quoūsque
subter
aliunde
quōcircā
ōcius

INDEX GRAMMATICVS

		pāgina
Cap. XXXVI.	Dē cāsū genetīvō	26
XXXVII.	Dē cāsū datīvō	41
XXXVIII.	Dē cāsū ablātīvō	52
XXXIX.	Dē cāsū accūsātīvō	67
XL.	Dē cāsū vocātīvō	82
XLI.	Dē generibus verbōrum	95
XLII.	Dē modīs verbōrum	113
XLIII.	Dē adiectīvīs	130
XLIV.	Dē adverbiīs	153
XLV.	Dē prōnōminibus	173
XLVI.	Dē numerīs	196
XLVII.	Dē modīs verbōrum et participiīs	207
XLVIII.	Verbī themata	243
XLIX.	Dē verbīs contractīs. Dē praepositiōnibus	259
L.	Ōrātiō rēcta et oblīqua	289
LI.	Dē vocābulīs faciendīs. Praeverbia	305
LII.	Suffīxa. Verba ē nōminibus	336
LIII.	Adiectīva ē nōminibus	355
LIV.	Nōmina ē verbīs	383
LV.	Nōmina fēminīna ex adiectīvīs	405
LVI.	Verba incohātīva	421
	Dē versibus	421

NOTAE

abl	ablātīvus	*n*	neutrum
a. C.	ante Chrīstum	*nōm*	nōminātīvus
acc	accūsātīvus	*part*	participium
āct	āctīvum	*pass*	passīvum
a. d.	ante diem	p. C.	post Chrīstum
adi	adiectīvum	*perf*	perfectum
adv	adverbium	*pers*	persōna
a. u. c.	ab urbe conditā	*pl, plūr*	plūrālis
c.	circiter	p. R.	populus Rōmānus
cap.	capitulum	*praep*	praepositiō
cēt.	cēterī -ae -a	*praes*	praesēns
comp	comparātīvus	prōcōs.	prōcōnsul
coni	coniūnctīvus	s.	sīve
cōs.	cōnsul	*sg, sing*	singulāris
dat	datīvus	suf.	suffectus
dēcl	dēclīnātiō	*sup*	superlātīvus, supīnum
dēp	dēpōnēns	tr. pl.	tribūnus plēbis
f	fēminīnum	u. c.	urbis conditae
f.	fīlius	v.	vidē, versus
fut	futūrum	*voc*	vocātīvus
gen	genetīvus	=	idem atque
imp	imperātīvus	↔	contrārium
imperf	imperfectum	:	id est
indēcl	indēclīnābile	/	sīve
īnf	īnfīnītīvus	<	factum/ortum ex
k., kal.	kalendae	>	fit
loc	locātīvus	|	fīnis thematis
m	masculīnum	∞	coniūnx


IMPERIVM ROMANVM
Oceanus
Atlanticus
Britannia
Oceanus Britannicus
Gallia
Sequana
Rhenus
Germania
Danuvius
Dacia
Bosporus
Caucasus
Mare Ponticum
Hispania
Numantia
Tagus
Saguntum
Carthago Nova
Hiberus
Pyrenaeus
Garumna
Rhodanus
Alpes
Padus
Liguria
Apenninus
Etruria
Corsica
Sardinia
Insulae Baliares
Fretum Gaditanum
Roma
Tiberis
Italia
Tarentum
Mare Superum
Mare Inferum
Illyricum
Haemus
Thracia
Macedonia
Epirus
Thessalia
Graecia
Athenae
Mare Aegaeum
Mare Ionium
Sicilia
Syracusae
Carthago
Cirta
Mauretania
Numidia
Africa
Syrtis minor
Syrtis maior
Cyrenae
Creta
Rhodus
Pergamum
Ephesus
Lycia
Bithynia
Paphlagonia
Pontus
Asia
Taurus
Cilicia
Cappadocia
Armenia
Tigris
Mesopotamia
Euphrates
Syria
Cyprus
Phoenice
Hierosolyma
Iudaea
Alexandria
Aegyptus
Nilus
Arabia

LINGVA LATINA PER SE ILLVSTRATA

by Hans H. Ørberg

Rōma Aeterna (the main book of Pars II of the *Lingua Latina per se illustrata* series) introduces some of the most celebrated authors of Roman antiquity through the lens of Roman literature and mythology. A vivid description of the city's monuments precedes a prose retelling of the first four books of Virgil's *Aeneid*, with many of the most famous passages in their original verse form. The selection from Virgil is followed by Book One of Livy's engaging mythical history of Rome's foundation. The prose selections are judiciously chosen and, in the first few chapters, gently adapted to provide students with a text that is authentically Latin and yet not difficult. The unadapted selections, which make up the majority of the text, are taken from Aulus Gellius, Ovid, Nepos, Sallust, and Horace. These annotated selections make *Roma Aeterna* useful both as the next step after *Familia Romana* and as a survey of Latin literature in its own right.

ROMA AETERNA incorporates the following features:

- Latin immersion with vowel lengths marked
- Approximately 3,000 vocabulary words
- Short discussions of grammar and exercises for each chapter
- Selected readings that cover the material in a Roman history course
- Index of Roman rulers and of historical events arranged chronologically
- Now with full-color illustrations

Please visit www.hackettpublishing.com for further information on the complete *Lingua Latina per se illustrata* series, including a complete list of titles and additional student materials.

ISBN-13: 978-1-58510-863-3

Focus an imprint of
Hackett Publishing Company

FOREIGN LANGUAGE STUDY | Latin